348.71

INSTITUTIONES
JURIS PRIVATI
ECCLESIASTICI

JOANNIS CARDINALIS SOGLIA

EPISCOPI AUXIMANI ET CINGULANI

INSTITUTIONUM

JURIS PRIVATI

ECCLESIASTICI

LIBRI TRES

EDITIO PRIMA

ALMA COLLEGE
348.71
LIBRARY
S024
Alma, California

Property of
CGuA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ANCONAE
EX TYPIS AURELJ JOSEPHI ET SOC.
1854.

5693

Property of
CTSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

PRAEFATIO AUCTORIS

Jus publicum Ecclesiasticum jampridem edidi in quo illud primum demonstratum est, Catholicam Ecclesiam divinitus institutam Societatem visibilem et perfectam, sive ut ajunt, inaequalem esse, nulli potestati humanae obnoxiam, sed omnino liberam et expeditam in iis omnibus quae ad cultum Dei et salutem animarum pertinent. Deinde palam feci omnem pascendae, regendae, et gubernandae Ecclesiae potestatem a Christo Domino traditam Petro fuisse, et post Petrum legitimis ejus Successoribus Romanis Pontificibus, quos sui Vicarios et Ecclesiae Supremos Principes esse voluit. Apostolis autem quibus sollicitudo om-

nium Ecclesiarum, salvo Petri primatu, commissa fuit, successerunt Episcopi in regimine singularum Ecclesiarum, iisque dictum est: « *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* ».

Praeterea Summus Pontifex suum Senatum habet, Cardinales nempe qui ei perpetuo adhaerent, et in regimine ac administratione Ecclesiae eidem praesto sunt consilio atque opera. Denique cum Summus Pontifex, cui totius Ecclesiae cura et gubernatio tradita est, non ubique adesse possit, ideo ad explicandam auctoritatem suam in Provincias et Regna dissita, vel apud Supremos Principes mittit Legatos et Nuntios, ut sua vice fungantur.

Post haec disputandum fuit circa personas atque Res Potestati Ecclesiasticae obnoxias. Extiterunt enim nonnulli Doctores, qui animo ab Ecclesia prorsus alieno in potestatem civilem unam contulerunt omnia, in ecclesiasticam vero aut nihil, aut parum; verumtamen utrique Societati suae sunt partes, illa curat civium commoda et temporalem hominum felicitatem, haec res sacras atque divinas, et generatim ea quae ad aeternam felicitatem pertinent. Et quamquam non omnia adeo li-

quida et aperta sint, ut sine ulla dubitatione definiri possint, dedi tamen operam, ut opiniones varias atque inter se dissidentes, quantum fieri potuit, conciliarem, et communi Canonistarum sententia fretus utrique Potestati quod suum esset tribuerem.

Sed jam ad Jus Ecclesiasticum privatum veniendum est. Jus Ecclesiasticum privatum est illud, *quod privatorum jura et officia determinat.* Quemadmodum enim Jus publicum Ecclesiasticum universae Ecclesiae negotia moderatur, sic Jus Ecclesiasticum privatum praescribit ea omnia quae ad singularum Ecclesiarum vel Dioecesium administrationem pertinent.

Huic itaque privato Juri tradendo operam daturus sum: hoc autem Jus in tres partes pro triplici ejus objecto commode dividi potest, nempe in Personas, Res, et Judicia; quam quidem divisionem Canonistae ferme omnes sequuntur, et Gratianus ipse in tres partes *Concordiam* suam distribuit ordine vero tantisper immutato; agit enim in prima de Personis, in altera de Judiciis, in tertia de Rebus.

Hic vero adolescentes Sacrorum Canonum cupidos magnopere exhortor, ut si vere proficere cupiunt, omnem operam curamque

adhibeant, ut primas notiones, origines, atque elementa Ecclesiastici Juris tum publici, tum privati bene perspecta habeant, quorum cognitio viam sternit ad Jurisprudentiam rite rectequе addiscendam: quae omnia in eo Libro qui PRAENOTIONES IN JUS CANONICUM inscribitur, quantum in me fuit, diligenter explanavi.

Lectores denique monitos volo, me in hoc opere Jus Ecclesiasticum commune, quod nempe toti Orbi Catholico *commune* est, tradendum suscipere, salvis tamen Regnorum atque Provinciarum consuetudinibus legitime praescriptis, privilegiis Apostolicis, aut pactis cum Apostolica Sede conventis.

INDEX

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS

CAPUT I.

DE STATU PERSONARUM

§ I. *De Jure Personarum* . . . . . Pag. 1.
» II. *De diversis Clericorum ordinibus* . . » 2.
» III. *De Sacra Hierarchia* . . . . . » 6.

CAPUT II.

DE EPISCOPIS

» IV. *De potestate Episcoporum* . . . . » 10.
» V. *De Juribus et officiis Episcoporum* . » ibi
» VI. *De Residentia* . . . . . » 15.
» VII. *De Visitatione Dioecesis* . . . . » 16.
» VIII. *De Procurationibus* . . . . . » 19.
» IX. *De Cathedratico* . . . . . » 20.
» X. *De Adjutoribus Episcoporum* . . » 21.
» XI. *De Archipresbyteris et Decanis* . . » 22.
» XII. *De Archidiaconis* . . . . . » 23.
» XIII. *De Vicariis generalibus* . . . . » 24.

§ XIV. *De potestate Vicariorum generalium* Pag. 26.
» XV. *De Vicariis foraneis* . . . . . » 28.
» XVI. *De Suffraganeis* . . . . . » 29.
» XVII. *De Coadjutoribus* . . . . . » 30.
» XVIII. *De Praelatis inferioribus* . . . » 31.

CAPUT III.

DE CANONICIS ET PAROCHIS

» XIX. *De origine Canonicorum* . . . » 33.
» XX. *De dotibus ad obtinendum Canonicatum* . . . . . » 34.
» XXI. *De officiis Canonicorum* . . . » 35.
» XXII. *De potestate Capituli Cathedralis* » 37.
» XXIII. *De Vicario Capitulari* . . . . » 39.
» XXIV. *De diversis honoris gradibus in Capitulo* . . . . . » 42.
» XXV. *De origine Parochorum* . . . » 44.
» XXVI. *De officiis Parochorum* . . . » 45.
» XXVII. *De Juribus Parochorum* . . » 46.
» XXVIII. *De Parochorum creandorum forma et ratione* . . . . . » 47.

CAPUT IV.

DE MONACHIS ET REGULARIBUS

» XXIX. *De origine Monachorum et Regularium* . . . . . » 50.
» XXX. *De natura Status religiosi* . . . » 53.
» XXXI. *De professione ejusque effectibus* » 54.
» XXXII. *De exemptionibus Regularium* . » 57.

CAPUT V.

DE ELECTIONIBUS

§ XXXIII. *De Electionibus Episcoporum* Pag. 59.
» XXXIV. *De Electoribus Episcoporum* . » 61.
» XXXV. *De personis eligendis* . . . . » 63.
» XXXVI. *De effectu electionis* . . . . » 64.
» XXXVII. *De Postulatione* . . . . . » 66.
» XXXVIII. *De Regia nominatione* . . » 68.
» XXXIX. *De confirmatione Episcoporum* » 69.
» XL. *De consecratione Episcoporum* . . » 70.
» XLI. *De electione ad Praelaturas Regulares* . . . . . » 73.

CAPUT VI.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS

» XLII. *De Ordinatione Clericorum* . . » 77.
» XLIII. *De legitimo Ordinationis Ministro* » 78.
» XLIV. *De Episcopo proprio ratione originis* . . . . . » 81.
» XLV. *De Episcopo proprio ratione domicilii* . . . . . » 82.
» XLVI. *De Episcopo proprio ratione beneficii* . . . . . » 83.
» XLVII. *De Episcopo proprio ratione familiaritatis* . . . . . » 85.
» XLVIII. *De Episcopo proprio Regularium* » 86.
» XLIX. *De Litteris dimissoriis* . . . . » 88.
» L. *De Ordinibus gradatim conferendis* . » 89.
» LI. *De Interstitiis* . . . . . » 90.

§ LII. *De temporibus Ordinationum* . Pag. 92.
» LIII. *De titulo Ordinationis* . . . . » 93.
» LIV. *De titulo Beneficii et Patrimonii* . » 94.
» LV. *De titulo paupertatis et mensae communis* . . . . . » 97.

CAPUT VII.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT

» LVI. *De Irregularitatibus* . . . . . » 99.
» LVII. *De Irregularitate ex defectu natalium* . . . . . » 100.
» LVIII. *De irregularitate ex defectu animi* » 102.
» LIX. *De irregularitate ex defectu corporis* » 103.
» LX. *De irregularitate ex defectu aetatis* » 105.
» LXI. *De irregularitate ex defectu libertatis* . . . . . » 106.
» LXII. *De irregularitate ex defectu famae* » ibi
» LXIII. *De irregularitate ex defectu lenitatis* . . . . . » 108.
» LXIV. *De obligatis ad ratiocinia* . . . » 110.
» LXV. *De irregularitate ex bigamia* . . » 111.
» LXVI. *De irregularitate ex homicidio* . » 112.
» LXVII. *De irregularitate ex iteratione Baptismatis* . . . . . » 116.
» LXVIII. *De irregularitate ex mala susceptione et pravo Ordinum usu* . » 117.
» LXIX. *De irregularitate propter haeresim* » 119.

CAPUT VIII.

DE RELIQUIS AD CLERICOS PERTINENTIBUS

§ LXX. *De vita et honestate Clericorum* Pag. 122.
» LXXI. *De privilegiis Clericorum* . . . » 127.

LIBER SECUNDUS

DE REBUS

CAPUT I.

DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

» LXXII. *De Primitiis* . . . . . » 137.
» LXXIII. *De Oblationibus* . . . . . » 138.
» LXXIV. *De Decimis* . . . . . » 140.
» LXXV. *De Jure percipiendi Decimas* . » 142.
» LXXVI. *De immunitate a solvendis Decimis* » 144.
» LXXVII. *De Decimis infeudatis* . . . » 148.
» LXXVIII. *De bonis Ecclesiae stabilibus* . » 150.
» LXXIX. *De jure acquirendi bona stabilia* » 151.
» LXXX. *De lege amortizationis* . . . » 152.

CAPUT II.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

» LXXXI. *De origine et natura Beneficiorum* » 153.
» LXXXII. *De discrimine inter Beneficia et Capellanias* . . . . . » 156.

§ LXXXIII. *De Beneficiorum divisione*. Pag. 159.
» LXXXIV. *De erectione Beneficiorum* . » 161.
» LXXXV. *De unione Beneficiorum* . . » 164.
» LXXXVI. *De solemnitatibus unionum* . » 166.
» LXXXVII. *De Beneficiorum divisione, dismembratione et suppressione* . » 170.
» LXXXVIII. *De collatione Beneficiorum* . » 173.
» LXXXIX. *De collatione Beneficiorum jure plenario* . . . . . » 174.
» XC. *De Reservationibus Apostolicis* . . » 177.
» XCI. *De affectione et devolutione* . . . » 186.
» XCII. *De collatione Beneficiorum jure ordinario* . . . . . » 188.
» XCIII. *De collatione Beneficiorum jure delegato* . . . . . » 191.
» XCIV. *De iis quibus Beneficia conferri possunt* . . . . . » 194.
» XCV. *De forma collationis* . . . . . » 199.
» XCVI. *De Beneficiorum possessione ejusque effectibus* . . . . . » 206.
» XCVII. *De vacatione Beneficiorum* . . » 209.
» XCVIII. *De dimissione et resignatione Beneficiorum* . . . . . » ibi
» XCIX. *De permutatione* . . . . . » 211.
» C. *De necessariis vacationibus* . . . » 213.

CAPUT III.

DE JUREPATRONATUS, COMMENDIS ET PENSIONIBUS

» CI. *De Jurispatronatus definitione* . . » 217.
» CII. *De acquisitione Jurispatronatus* . » 219.
» CIII. *De translatione Jurispatronatus* . » 222.

§ CIV. *De Jure praesentandi* . . . Pag. 226.
» CV. *De reliquis juribus Patronorum* . » 229.
» CVI. *De amissione Jurispatronatus* . . » 231.
» CVII. *De Commendis Beneficiorum* . . » 232.
» CVIII. *De Juribus et oneribus Commendatarii* . . . . . » 234.
» CIX. *De Pensionibus* . . . . . » 236.

CAPUT IV.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

» CX. *De jure Ecclesiae in bonorum Ecclesiasticorum administratione* . » 240.
» CXI. *De Administratoribus bonorum Ecclesiasticorum, eorumque officiis* » 241.
» CXII. *De rebus Ecclesiae non alienandis* » 244.
» CXIII. *De legitimis causis alienationis et solemnitatibus* . . . . . » 246.
» CXIV. *De Beneplacito Apostolico* . . » 248.
» CXV. *De rebus Ecclesiae non rite alienatis, earumque fructibus recuperandis* . . . . . » 252.
» CXVI. *De emptione et venditione* . . » 253.
» CXVII. *De locatione et conductione* . . » 255.
» CXVIII. *De Emphyteusi* . . . . . » 258.
» CXIX. *De peculio Clericorum, ejusque administratione* . . . . . » 264.
» CXX. *De Testamentis* . . . . . » 270.
» CXXI. *De iis qui testamentum facere possint* » 272.
» CXXII. *De Testamento ad pias causas* . » 277.
» CXXIII. *De Legatis Piis* . . . . . » 279.

*

CAPUT V.

DE REBUS SACRIS, SANCTIS, ET RELIGIOSIS

§ CXXIV. *De Ecclesiis et Altaribus* . Pag. 282.
» CXXV. *De consecratione aut benedictione Ecclesiae, Altaris, aliarumque sacrarum Rerum* . . . . . » 285.
» CXXVI. *De Coemeteriis et Sepulturis Ecclesiasticis* . . . . . » 287.
» CXXVII. *De jure eligendi Sepulturam* . » 289.
» CXXVIII. *De personis Ecclesiastica Sepultura indignis* . . . . . » 292.
» CXXIX. *De Monasteriis* . . . . . » 293.
» CXXX. *De Seminariis Clericorum* . . » 296.
» CXXXI. *De Hospitalibus* . . . . . » 298.
» CXXXII. *De Immunitate Ecclesiarum* . » 301.

CAPUT VI.

DE MATRIMONIO

» CXXXIII. *De Matrimonio generatim et totius argumenti distributione* . . » 309.

CAPUT VII.

DE SPONSALIBUS

» CXXXIV. *De nomine et natura Sponsalium* . . . . . » 310.
» CXXXV. *De forma seu modo contrahendi sponsalia* . . . . . » 311.

§ CXXXVI. *De necessaria in Sponsalibus deliberatione* . . . . . Pag. 314.
» CXXXVII. *De certa persona in sponsalibus designanda* . . . . . » 317.
» CXXXVIII. *De animo se obligandi* . . » 318.
» CXXXIX. *De mutua promissione* . . » 321.
» CXL. *De externa manifestatione promissionis* . . . . . » 323.
» CXLI. *De Sponsalibus per Epistolam aut Procuratorem initis* . . . . » 326.
» CXLII. *De conditionibus contractui Sponsalium adjectis* . . . . . » 328.
» CXLIII. *De Arrhis Sponsalitiis* . . . » ibi
» CXLIV. *De poena Sponsalibus adjecta* . » 330.
» CXLV. *De personis ad ineunda sponsalia idoneis* . . . . . » 332.
» CXLVI. *De Sponsalibus filiorumfamilias* » 337.
» CXLVII. *De effectibus Sponsalium* . . » 341.
» CXLVIII. *De Sponsalium dissolutione ob mutuum consensum* . . . . . » 343.
» CXLIX. *De dissolutione ob lapsum temporis* » 345.
» CL. *De dissolutione ob alterius Sponsi absentiam* . . . . . » 346.
» CLI. *De dissolutione ob matrimonium cum alia initum* . . . . . » 347.
» CLII. *De dissolutione ob posteriora sponsalia inita* . . . . . » 349.
» CLIII. *De dissolutione sponsalium ob professionem religiosam* . . . . » ibi
» CLIV. *De dissolutione ob impedimentum dirimens* . . . . . » 350.
» CLV. *De dissolutione ob fornicationem* » 352.

§ CLVI. *De dissolutione ob mutationem animi, corporis, vel fortunarum* Pag. 352.
» CLVII. *De dissolutione per dispensationem* » 354.
» CLVIII. *De auctoritate Judicis in sponsalium dissolutione* . . . . . » ibi
» CLIX. *De Bannis seu denunciationibus matrimonii* . . . . . » 356.

CAPUT VIII.

DE NATURA MATRIMONII

» CLX. *De Matrimonii definitione* . . . » 360.
» CLXI. *De Matrimonio quatenus Sacramentum* . . . . . » 361.
» CLXII. *De discrimine Matrimonium inter et alios contractus* . . . . . » 364.
» CLXIII. *De materia et forma* . . . » 365.
» CLXIV. *De Ministro Matrimonii* . . . » 366.
» CLXV. *De consensu matrimoniali* . . » 370.
» CLXVI. *De consensu simulato* . . . » 371.
» CLXVII. *De conditionibus Matrimonio appositis* . . . . . » 373.
» CLXVIII. *De modo, causa, et demonstratione* . . . . . » 378.
» CLXIX. *De Matrimonio ad Morganaticam* » 379.
» CLXX. *De Matrimonio conscientiae* . . » 382.

CAPUT IX.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

» CXXI. *De Impedimentis impedientibus* . » 386.
» CLXXII. *De tempore sacrato* . . . . » ibi

§ CLXXIII. *De prohibitione Ecclesiae* . Pag. 388.
» CLXXIV. *De Sponsalibus de futuro* . . » ibi
» CLXXV. *De voto simplici* . . . . . » 389.
» CLXXVI. *De Impedimentis dirimentibus* » 390.
» CLXXVII. *De Errore* . . . . . » 391.
» CLXXVIII. *De Conditione* . . . . . » 394.
» CLXXIX. *De Voto* . . . . . » 397.
» CLXXX. *De Cognatione* . . . . . » 399.
» CLXXXI. *De Cognatione spirituali* . . » 403.
» CLXXXII. *De Cognatione legali* . . . » 405.
» CLXXXIII. *De Crimine* . . . . . » 407.
» CLXXXIII. *De cultus disparitate* . . . » 408.
» CLXXXV. *De Vi* . . . . . » 411.
» CLXXXVI. *De Ordine* . . . . . » 418.
» CLXXXVII. *De Impedimento ligaminis* . » 420.
» CLXXXVIII. *De publicae honestatis justitia* » 421.
» CLXXXIX. *De Affinitate* . . . . . » 423.
» CXC. *De Impotentia* . . . . . » 428.
» CXCI. *De Clandestinitate* . . . . . » 433.
» CXCII. *De Raptu* . . . . . » 442.
» CXCIII. *De Impedimentorum relaxatione* » 447.

CAPUT X.

DE PROPRIETATIBUS, ET EFFECTIBUS MATRIMONII

» CXCIV. *De unitate Matrimonii* . . . » 456.
» CXCV. *De indissolubilitate Matrimonii* . » 460.
» CXCVI. *De dissolutione Matrimonii rati* » 461.
» CXCVII. *De separatione tori et cohabitationis* . . . . . » 462.
» CXCVIII. *De effectibus Matrimonii* . . » 465.

LIBER TERTIUS

DE JUDICIIS

CAPUT I.

DE JUDICIIS GENERATIM

§ CXCIX. *De Natura Judicii* . . . Pag. 468.
» CC. *De Judice Ordinario* . . . . . » ibi
» CCI. *De Judice Delegato* . . . . . » 470.
» CCII. *De qualitate et officio Judicis* . . » 473.
» CCIII. *De Arbitris* . . . . . » 475.
» CCIV. *De Judice Conservatore* . . . » 479.
» CCV. *De Actore* . . . . . » 480.
» CCVI. *De Reo* . . . . . » 481.
» CCVII. *De Advocato et Procuratore* . . » 482.
» CXVIII. *De Foro competenti* . . . . » 487.
» CCIX. *De Ordine judiciali* . . . . . » 496.
» CCX. *De Libello et citatione* . . . . » 497.
» CCXI. *De Contumacia* . . . . . » 501.
» CCXII. *De Exceptionibus et mutuis petitionibus* . . . . . » 503.
» CCXIII. *De ordine cognitionum* . . . » 507.
» CCXIV. *De Litis contestatione et jurejurando calumniae* . . . . . » 509.
» CCXV. *De probationibus generatim* . . » 512.
» CCXVI. *De probationibus per confessionem* » 513.
» CCXVII. *De probatione per ocularem inspectionem* . . . . . » 517.
» CCXVIII. *De probatione per testes* . » ibi
» CCXIX. *De probatione per instrumenta* » 522.

§ CCXX. *De probatione per praesumptionem* . . . . . Pag. » 523.
» CCXXI. *De probatione per jusjurandum* . » 525.
» CCXXII. *De Accusationibus, Denunciationibus, et Inquisitionibus* . . » 527.
» CCXXIII. *De citatione et captura reorum* » 529.
» CCXXIV. *De examine et tortura reorum.* » 531.
» CCXXV. *De sententia et ejus executione* . » 537.
» CCXXVI. *De Appellationibus* . . . . » 545.
» CCXXVII. *De in integrum restitutione* . » 556.

CAPUT II.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS

» CCXXVIII. *De natura delicti Ecclesiastici, ejusque divisione* . . . . . » 559.
» CCXXIX. *De Apostasia et primum de Apostasia a fide* . . . . . » 560.
» CCXXX. *De Apostasia Ordinis* . . . » 562.
» CCXXXI. *De Apostasia Monachatus.* . . » ibi
» CCXXXII. *De Haeresi* . . . . . » 564.
» CCXXXIII. *De controversia super jurisdictione Haereticorum* . . . . . » 570.
» CCXXXIV. *De communicatione cum haereticis* . . . . . » 573.
» CCXXXV. *De Schismate* . . . . . » 576.
» CCXXXVI. *De Simonia* . . . . . » 578.
» CCXXXVII. *De redimenda injusta vexatione* . . . . . » 584.
» CCXXXVIII. *De poenis contra Simoniacos latis* . . . . . » 585.

CAPUT III.

DE POENIS ECCLESIASTICIS

§ CCXXXIX. *De natura poenarum Ecclesiasticarum, earumque divisione.* Pag. 589.
» CCXL. *De Censuris* . . . . . » 591.
» CCXLI. *De Censurarum divisione* . . » 592.
» CCXLII. *De potestate ferendi Censuras* . » 595.
» CCXLIII. *De Excommunicatione* . . » 597.
» CCXLIV. *De Suspensione* . . . . . » 599.
» CCXLV. *De Interdicto* . . . . . » 601.
» CCXLVI. *De Absolutione a Censuris* . » 605.
» CCXLVII. *De Depositione et Degradatione* » 607.
» CCXLVIII. *De laica et peregrina communione* . . . . . » 609.

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS

CAPUT I.

DE STATU PERSONARUM

§ I.

DE JURE PERSONARUM

Tres sunt Personarum status qui Ecclesiae corpus constituunt, nempe Clerici, Laici et Cathecumeni: Clerici qui divino cultui et Ecclesiae ministerio ab Episcopo ordinati sunt: Laici qui nulli peculiari Ecclesiastico ordini vel muneri addicti sunt: hinc dicuntur etiam *saeculares*, quippe qui negotiis saecularibus vacant. Clerici vero a Laicis ratione ordinis et potestatis distincti sunt, et quidem jure divino, quod ex Sacris litteris, ex Catholicae Ecclesiae doctrina, et constanti Sacrorum Canonum traditione comprobatur. In Laicorum numero ponendi sunt etiam Supremi Principes, eo quod Jura Majestatica nullam eis in administratione Ecclesiae potestatem tribuunt; sunt tamen Sacrorum Canonum Vindices et Defensores, eorumque auxilium auctoritatemque saepius implorarunt Sanctissimi Ecclesiae Praesules, quotiescumque res fuit de tuenda Religione et fide Catholica, seu cum actum est de publico scandalo propulsando, ne populi mores palam inficerentur, ipsique Tridentinae Synodi

Patres saluberrimo illo opere ad finem properante non dubitarunt monere Principes « *ad operam suam ita praestandam, ut quae ab ea decreta sunt, ab haereticis depravari aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur.* »

Tandem Cathecumeni, quasi candidati Christianae Religionis, quos Ecclesia fidei Christianae elementa docet, atque ad Baptismi gratiam recipiendam instituit, aliquo pacto ad Ecclesiam pertinere videntur, sive ut ait Augustinus Tract. XI. in Joan. » *nondum filii essent, pertinent tamen ad Ecclesiam* » et salutem aeternam assequuntur, si mortem obeant antequam baptizentur.

De Monachis et Regularibus quaeritur utrum Clerici, an Laici habendi sint? Si primaevam eorum originem et institutionem consideres, profecto inter Laicos adnumerabis; postquam vero ad Sacros Ordines, quibus antea non initiabantur, aditus eisdem patuit, in posterum inter Clericos relati sunt: quapropter etiam Regulares Clerici nominantur. Laici vero professi, qui nempe remoti a quocumque Ordine vota tantum nuncuparunt, revera laici habendi sunt, gaudent tamen, quemadmodum Moniales, privilegiis Clericalibus praesertim fori et Canonis Cap. Non dubium 5. de sent. excom.

§ II.

DE DIVERSIS CLERICORUM ORDINIBUS

Septem sunt Clericorum Ordines, de quibus priusquam dicamus, pauca de tonsura clericali praeponenda sunt. Est autem tonsura exterior quidam ritus seu coeremonia Ecclesiastica, qua Laicus per tonsionem capillorum in vertice capitis, et per vestis clericalis traditionem divino cultui mancipatur, et tonsura prima est

ad Ordines praeparatio. Concilium Trid. sess. 23. cap. 4. de Reform. sic statuit » *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.* » Tonsura clericalis non est ordo, quia nulla spiritualis potestas tonsurato confertur; adde auctoritatem Concilii Trident. sess. 18. cap. 6. ubi tonsuram diserte videtur ab ordinum albo expungere, dum eam ab ordinibus distinguit, ait enim « *nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus* » etc: et Catechismus Romanus parte 2. cap. 7. *Tonsuram quamdam ad ordines suscipiendos dispositionem* appellat. Et Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum in Cap. Cum contingat de aetate et qualit. et ord. praeficiend. declaravit Episcopum Hieracensem ob primam tonsuram extraneo collatam suspensioni non esse subjiciendum, quoniam « *tonsura a Concilio non habetur pro ordine* ». Tonsuratus autem fit capax Ecclesiasticae Jurisdictionis et gaudet privilegiis Canonis et Fori, si vestes Clericales deferat, eaque servet quae de vita et honestate Clericorum sancita sunt, de quibus alio loco dicendum erit.

His praepositis septem Ordines Ecclesiastici in majores, et minores distribuuntur. Minores sunt quatuor, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolytatus: ordinum autem tum minorum, tum majorum natura in eo posita est, ut potestatem aliquam spiritualem conferat, ac proinde distincti sunt sacrorum Ordinum ritus pro distincta potestate quam conferunt. Ostiariis itaque potestas datur templorum januas custodiendi, ab iisque excommunicatos et infideles arcendi, scilicet tempore Sacrificii, non vero Concionis vel lectionis Sacrae Scripturae.

Hac de causa Ostiarii, cum ordine initiantur, claves ab Episcopo accipiunt.

Lectorum potestas est Sacras Scripturas in Ecclesia recitandi, aeque ac explicandi, et idcirco in eorum ordinatione Sacra Biblia iisdem ab Episcopo traditur.

Exorcistis potestas tribuitur invocandi nomen Domini super eos qui ab immundis spiritibus vexantur; quare Exorcistae exorcismorum librum in sua ordinatione accipiunt. Hodie tamen ad malos spiritus adjurandos soli Sacerdotes ab Episcopo adhibentur, iique prudentes atque docti, neque sine licentia Episcopi agere quidquam possunt.

Acolytis potestas conceditur Ceroferarium ferendi, cereos ad Sacrificium Missae accendendi, vinumque et aquam in urceolis parandi, eosque ad Eucharistiam Subdiacono ministrandi. Quapropter eisdem cum initiantur ceroferarium cum cerco et urceoli vacui traduntur.

A minoribus ad majores Ordines transeamus. Sunt autem Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus. Subdiaconi qui diu inter minores Ordines numerabantur, ineunte saeculo XII, aut non multo secus majoribus Ordinibus adscripti sunt, eisque lex continentiae imposita. Eorum officia ita describuntur a Pontificali Romano « *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum Sacrificii eidem offerre.* »

Diaconi ex potestate a Christo accepta ab Apostolis instituti sunt non solum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent: eorum munera sic explicat Pontificale Romanum » *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare* ». Diaconos itaque oportet Episcopo, vel Sacerdoti sacra facientibus ad aram proxime inservire seu ministrare, atque in solemni Missa Evangelium canere. Olim Diaconi Eucharistiam populo passim tribue-

bant; nunc vero ex Concilio Arelatensi I. *Diaconus corpus Christi praesente Presbytero tradere non praesumat* ». Et ex Carthaginensi IV. « *Praesente Presbytero Diaconus Eucharistiam populo, si necessitas cogat, jussus eroget* ». Idem tenendum de baptismo, quem Diaconus solemniter ministrare nequit sine Episcopi vel Parochi delegatione, quae quidem facultas tribuenda non est nisi necessitas postulet. Quod autem ad praedicationem spectat, Diaconus debet Concionis habendae facultatem ab Episcopo impetrare.

Tandem Sacerdotum munera Pontificale Romanum describit his verbis « *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare.* » Itaque Sacerdotes per sacram Ordinationem apti et idonei fiunt ad omnia Sacramenta, si Confirmationem et Ordinem excipias, conficienda et administranda: verumtamen in iis in quibus exercendis assignatio Subditorum necessaria est, actus ordinis sine hujusmodi assignatione seu jurisdictione non modo illiciti, sed etiam nulli atque irriti omnino sunt, quod proximo capite explicabimus. Quod vero ad benedictiones spectat, Sacerdotes aquam, agros, novos fructus et alia hujusmodi ritu christiano lustrant, sed in his ritus et consuetudines Ecclesiarum servandae sunt, quatenus quaedam benedictiones Episcopis vel Presbyteris ab eo delegatis reservantur, quaedam Parochis, quaedam tandem aliis Presbyteris permittuntur; illud vero certum est benedictiones solemnes et majores, ubi praesertim sacra unctio adhibetur, ad solos Episcopos pertinere. Ad reliqua vero Sacerdotum munera rite obeunda, si Presbyter commissam sibi alicujus populi curam non habeat, dubitandum non est, quin Episcopi venia atque auctoritate indigeat.

§ III.

DE SACRA HIERARCHIA

Sacra Hierarchia est coetus personarum ecclesiasticarum, quibus potestas est vel divina Religionis mysteria celebrandi, vel Ecclesiam regendi et administrandi. Qui sacris mysteriis dant operam, ut fidelis populus spiritualibus bonis perfruatur, ad Hierarchiam ordinis; qui optimo Ecclesiae regimini praesunt ut omnia bene consistant, ad Hierarchiam jurisdictionis pertinent. Utraque vero Hierarchia ad cultum Dei, aeternamque salutem animarum divinitus instituta est. Praeclare S. Thomas 2.ª 2.ae Quaest. 39. art. 3. in corp. « *Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis: sacramentalis quidem potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur.... Tamen haeretici et schismatici usum potestatis amittunt, ita scilicet quod non liceat eis sua potestate uti: si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in Sacramentalibus... Potestas autem jurisdictionis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur. Et talis potestas non immobiliter adhaeret. Unde in Schismaticis et haereticis non manet: unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi; quod si fecerint, nihil est actum.* »

Ex quo mire intelligitur, quae sit natura atque proprietates utriusque Hierarchiae. In primis de Ordinis Hierarchia a Tridentina Synodo definitum est sess. 23. cap. 6. « *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex Episcopis et Praesbyteris et Ministris, anathema sit.* » Igitur in

Ecclesia sunt Episcopi, Presbyteri et Ministri. Episcopi omnes rite consecrati sunt pares inter se quod ad Ordinis potestatem attinet, ita ut nec Metropolitae, neque Patriarchae, neque ipse S. Pontifex aliquid plus possint, quam caeteri Episcopi, nam singulorum unus et idem est ordo, atque una eademque potestas, ac proinde in iis quae ordinis sunt, in Episcopatu inest plenitudo potestatis quae a Deo ipso per sese *immediate*, ut ajunt, in ordinatione tribuitur.

Praeterea Ordinis potestas neque moderari, neque auferri, neque deleri ulla ratione potest, neque per quodcumque flagitium amittitur. Quapropter ordinationes ab Episcopis intrusis, haereticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis, aut simoniacis peractae, dummodo quae ad earum validitatem necessaria sunt, scilicet materia, forma et intentio faciendi quod facit Ecclesia, rite servata fuerint, illicitae quidem et sacrilegae sunt, sed ratae, firmae et validae habentur. Denique potestas Ordinis aeque ac character qui in ordinatione imprimitur, indelebilis perseverat, neque delegari unquam potest. Ex quibus perspicuum est: 1. Potestatem ordinis divinae institutionis esse. 2. In quolibet Ministro perpetuo manere. 3. Eamdem delegari non posse.

Potestas Jurisdictionis definiri solet « *legitima assignatio subditorum* » sive ut aliis placet « *deputatio legitima juris dicendi vel imperandi.* » In hac hierarchia assignatio subditorum fit a jure, vel ab homine; a jure quidem vel divino, vel ecclesiastico. Jure divino duo sunt in Ecclesia gradus jurisdictionis, Pontificatus Maximus, et Episcopatus; jure vero ecclesiastico sunt reliqua munera ecclesiastica quibus jurisdictio in foro externo adnexa est: assignatio autem Subditorum fit ab homine, quum aliquis jurisdictionem propriam alteri delegat.

Itaque supremum gradum obtinet S. Pontifex, cui primatus potestatis et jurisdictionis supra universam Ecclesiam a Christo Domino traditus fuit. In qua quidem pote-

state ut aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est ut ostendatur quod ab eo in alios debet ista potestas descendere. Sanctus Optatus Millevitanus Lib. VII. contra Parmen. de Petro ait « *eum claves regni coelorum communicandas caeteris solum accepisse.* » Itaque in Concilio Tridentino magna animorum contentione exagitata quaestio est, an Episcopi hanc jurisdictionis potestatem *immediate* a Christo, an potius a S. Pontifice accipiant. Quaestione hac in medio relicta, de qua in Jure publ. §. 55., in id unum consentiunt omnes, ejus usum et exercitium a Romano Pontifice pendere, qui justis de causis poterit ex toto, vel ex parte auferre, cum Ei cura et sollicitudo omnium Ecclesiarum concredita sit.

Ut vero illuc quo discessimus revertamur, confertur haec potestas per assignationem Subditorum, vel legitimam deputationem ad exercendum munus spirituale, sine qua actus jurisdictionis in foro sive interno, sive externo nulli sunt. Qua de re Tridentina Synodus Can. VII. sess. 23. definivit. « *Si quis dixerit eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt legitimos esse verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit.* » Duo itaque requiruntur, et ordo, et legitima missio, quorum primum per sacram Ordinationem, alterum per legitimam subditorum assignationem obtinetur. Quod vero ad forum internum pertinet, eadem Synodus sess. 24. cap. 7. decrevit. « *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* »

Itaque ad aliquos actus Ordinis potestas Jurisdictionis necessaria est: de reliquo non ita jurisdictio cohaeret

potestati Ordinis ut ab ea sejungi non possit. Vicarius generalis qui Episcopi vicem gerit in administranda Dioecesi, potestatem Jurisdictionis tenet, non autem Ordinis: contra vero Episcopus titularis, qui dicitur etiam Episcopus in partibus infidelium, cum in consecratione characterem Episcopalem receperit, potestatem Ordinis habet, potestate vero Jurisdictionis, cum nulli sibi subditi sint, omnino privatur.

Post S. Pontificem et Episcopos sunt varii in Ecclesia jurisdictionis gradus, veluti Patriarcharum, Metropolitarum etc., qui ex ecclesiastica institutione orti sunt, unde ut ait S. Leo M. in Ep.ª ad Athanasium Thessalon. Episcopum « *est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed esset in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universae Ecclesiae cura confluereț, et nihil usquam a suo Capite dissideret.* »

Quamobrem ordinis et jurisdictionis longe dispar est ratio, cum qui plures provincias tenet, plus jurisdictionis habeat, quam qui uni Provinciae vel Dioecesi praeest; ordo autem unus semper idemque in omnibus perseverat. Denique jurisdictionis potestas alteri delegari potest: delegatur autem, cum quis alteri officium committit, ut illud sua vice et auctoritate exerceat.

Ex quibus omnibus colligitur, potestatem jurisdictionis 1. non per sacrum aliquem ritum, sed per simplicem hominis injunctionem acquiri: 2. interdum potestati ordinis jungi, copularique, saepius vero alteram ab altera omnino sejungi: 3. eamdem variam esse, hoc est majorem, vel minorem pro varia Subditorum assignatione: 4. delegabilem esse: et 5. denique non perpetuo inhaerere, sed justis de causis tum moderari atque etiam adimi, tum ex quibusdam criminibus amitti posse.

CAPUT II.

DE EPISCOPIS

§ IV.

DE POTESTATE EPISCOPORUM

Cum de Conciliis generalibus in Jure Ecclesiastico publico ageremus, dictum est Episcopos ad eadem Concilia jure divino vocandos esse, ut in quaestionibus fidei, morum, atque disciplinae suffragium ferant, propositasque quaestiones definiant, et quamvis judicium Episcoporum non adeo exploratae auctoritatis sit, ut errori obnoxium esse nequeat, nisi Summus Pontifex accedat, et quae definita sunt auctoritate sua confirmet, Episcopi tamen in Conciliis generalibus non Consiliarii, neque Consultores, sed veri Judices habendi sunt. Praeterea Episcopi in extraordinariis Ecclesiae calamitatibus in unum locum per se convenire possunt, ut instanti necessitati provideant. Quae quidem omnia ad bonum et administrationem totius Ecclesiae pertinent. Hic vere de his omnibus non disserimus, sed de Episcopis acturi sumus, quatenus sunt particularium Dioecesium Rectores, et praesertim quae sint eorum jura et officia explanabimus.

§ V.

DE JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPORUM

Episcopus graeca vox est, quae latine *Inspectorem* significat. Episcopi enim debent diligenter inspicere, ne

grex sibi traditus aliquid detrimenti capiat, ac pervigilare, ut ait Paulus ad Hebraeos 13. vers. 17. « *quasi rationem pro animabus reddituri.* » Est autem Episcopatus Sacerdotii fastigium et culmen, uti scripsit S. Ignatius ad Smyrnenses « *Honorate Episcopum tamquam Principem Sacerdotum* ». Et Sanctus Hieronymus in Psal. 45. » *Principes populi idest Episcopi* »: et in Dialogo contra Luciferianos « *Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet* »: quare Tridentinum Concilium sess. 23. can. 7. definivit « *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit* » siquidem Episcopi virtute characteris Episcopalis Presbyteris antecellunt, propterea quod plura praestare possunt, quae simplices Sacerdotes omnino nequeunt. Qua de re Sancti Ecclesiae Patres Episcopis ipsis foecunditatem tribuunt, eo quod Presbyteros aliosque Episcopos generare possunt. Presbyteri vero adeo infoecundi sunt, ut alios Presbyteros ordinare non valeant. Episcopi praeterea Sacramentum Confirmationis conferunt, Sacrum Chrisma conficiunt, Ecclesias et altaria consecrant, calices et patenas benedicunt, multaque alia exequuntur, quae simplices Presbyteri virtute solius ordinis perficere nequeunt.

Quamvis vero usus potestatis Episcopalis sit instar voluntariae, non contentiosae jurisdictionis, quam in sibi subditos explicare ubique possunt, Episcopi tamen in aliena Dioecesi eam potestatem, quotiescumque usus Pontificalium requiritur, exercere non possunt ex Decr. Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. « *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii pretextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi.* »

Ratione vero potestatis Jurisdictionis quinque praecipua sunt Episcoporum jura et officia, *docere*, *jubere*, *judicare*, *corrigere*, *et administrare*.

Primum igitur munus et officium Episcopi est *docere* quae ab omnibus credenda, agendaque sunt; est enim Magister et Doctor in sua Dioecesi: praecipuum autem munus est praedicare, et si legitime impeditus fuerit, idoneos viros deligere ad ejusmodi officium salubriter obeundum. Praeterea quivis sive Diaconus, sive Presbyter, sive etiam Episcopus in aliena Dioecesi sine proprii Episcopi licentia praedicare vetatur. Regulares vero ex decreto Concilii Tridentini sess. 5. cap. 2. de Reform. « *de Superiorum suorum licentia etiam in Ecclesia suorum Ordinum praedicare non possunt, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In Ecclesiis vero quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur.* » Quin imo eadem sess. cap. 4. « *nullus*, ait, *sive saecularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo praedicare praesumat.* » Concionatores Quadragesimae, sive Adventus, quorum deligendorum facultas laicis facta est, eo quod honorarium eisdem solvunt, ab Episcopo approbandi sunt. Ejusdem praeterea Episcopi est institutioni privatae et publicae, quae in Scholis habetur, ita invigilare, ut nihil tradatur quod fidei, moribus et disciplinae adversetur, et demum in Seminariis et Collegiis Magistros designare, aut approbare, qui docebunt quae videantur Episcopo expedire: Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de Reform.

Nemini denique libros imprimere vel imprimendos curare liceat sine venia Episcopi, neque libros quoscumque in aliquam civitatem introducere, vendere, vel legendos tradere, aut commodare, vel apud se retinere,

nisi ante examinati, probatique fuerint ab Episcopo sub poenis in Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi anno 1512, et in Indice Librorum prohibitorum a Patribus Concilii Tridentini sancitis.

Alterum Episcopi jus et officium est *jubere*, namque non modo uti custos et vindex Sacrorum Canonum observantiam ipsorum promovet, poenasque jure communi sancitas ubi opus fuerit exasperat, verum etiam uti verus Legislator novas leges sive in Synodo, sive extra Synodum condit, easdemque ab se, vel suis Antecessoribus latas immutat, abrogat, vel dispensatione relaxat. Nemo autem dubitat, quin leges Episcopales in Synodo latae perpetuam vim habeant, sed in dubium ab aliquibus vocatur, an leges extra Synodum latae ipsius Episcopi morte cessent: verior autem sententia est has quoque leges perpetuas esse, tum quia natura legum ea est, ut sint perpetuae, tum quia sive in Synodo, sive extra Synodum conditae auctoritate ipsius Episcopi firmitatem accipiunt.

Igitur Episcopi praecipue jubent, quae ad populi mores ac fidem, et Sacrorum Ministrorum officia, sacrosque ritus pertinent, itemque publicas preces pro Ecclesiae necessitate, aliisque justis de causis indicit, orandi formulas minus pietati congruas abolet, vetatque abusus, qui in Indulgentias, in imagines et Reliquias Sanctorum, in Sacramentorum administrationem, et in Missarum celebrationem forte irrepserint.

Tertium Episcoporum jus et officium est *judicare*. Judicant autem causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, quae scilicet fidem, mores, disciplinam, Sacramenta, beneficia et alia hujusmodi spectant, tum etiam quae *mixti fori* dicuntur, idest tam ad forum Ecclesiae, quam ad forum Laicale pertinent, cujus generis sunt causae adulterii, perjurii, blasphemiae, et

caeterae quae religionem simul et Rempublicam violant; tum denique causas omnes civiles seu criminales, in quibus Clerici conveniuntur, in prima instantia cognoscunt ac dirimunt. Vide Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. de Reform. ubi Ecclesiasticas causas agendi ratio apertissime praescribitur.

Quartum Episcoporum jus et officium est *corrigere* non modo monitionibus et hortationibus, verum etiam, ubi nihil prosint, censuris, poenis canonicis, poenitentiis salutaribus, mulctis etiam pecuniariis criminosos et contumaces coercere, quin imo graviorum criminum sontes, eosdemque contumaces a communione abscindere, et denuo si indubia poenitentiae signa dederint, in communionem recipere.

Quintum denique Episcoporum jus et officium est *administrare*, quod jus et officium in eo positum est, ut 1. bona temporalia ad Ecclesias et Pia Loca pertinentia religiose administrentur, et omnis cura atque studium adhibeatur, ne eadem ullum detrimentum capiant vel pereant, tum etiam ut piae dispositiones vel mortis causa, vel inter vivos factae rite executioni mandentur. 2. Ut officia et ministeria Ecclesiastica praesertim ad curam animarum pertinentia dignis conferantur, et ab eis indigni arceantur, salvis semper juribus Apostolicae Sedis vel alterius legitimi collatoris. 3. Ut in Beneficiorum erectione, suppressione, divisione, atque etiam unione decreta Concilii Tridentini et regulae Canonicae observentur: de Episcopatuum vero aliorumque Beneficiorum majorum erectione, suppressione etc. dictum est in Libro secundo Juris publici Ecclesiastici §. 27. 4. denique in gerenda paterna cura miserabilium personarum, praesertim viduarum atque pupillorum.

Sed in usu potestatis Episcopalis regulae et modi servandi sunt, quos Sacri Canones posuerunt. Nequit ita-

que Episcopus in negotia Superiori potestati reservata falcem immittere, neque leges a Summis Pontificibus aut a Conciliis latas, quibus jus commune conficitur, immutare, nec quidquam contra statuere, aut super eisdem dispensare, propterea quod, ut ait Clemens VIII. *lex Superioris per Inferiorem tolli non potest.*

Quando autem, et quomodo Episcopi possint sibi subditos a legibus etiam generalibus solvere, seu dispensare, vide quae dicta sunt eodem Libro secundo Juris publici Ecclesiastici §. 54

§. VI.

DE RESIDENTIA

Nemo dubitat quin Episcopi in propria Dioecesi residere teneantur. At quo jure, divino ne, an ecclesiastico tantum, ambiguum est. In Concilio Tridentino multa in utramque partem disputata sunt. » *Cumque*, ut refert Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 7. cap. 1, *dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto cuncti animarum Pastores ad residentiam adigerentur, ac severae poenae contumacibus infligerentur, nihil tamen definiretur de jure, quo iidem continue inter suas oves versari tenentur; quin imo ita decretum concinnandum Patres duxere, ut nihil inde alterutri sententiae detraheretur.* Sed communior sententia est, residendi onus a jure divino proficisci, quin imo Fagnanus ad Cap. Ex PARTE cap. 21. » *nullus*, inquit, *antiquorum contradicebat, quin Pastores animarum tenerentur sub praecepto divino ad personaliter residendum.* »

Sunt tamen aliquae legitimae causae, propter quas ex Apostolicae Sedis dispensatione licet Episcopis a pro-

pria Dioecesi abesse: sic autem enumerantur ab eodem Concilio sess. 23. de reform. cap. 1. « *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedièntia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas.* » Praeterea ex leviori alia, aequa tamen causa eadem Synodus patitur, ut Episcopi quolibet anno duos, tresve ad summum menses, sive continuos, sive interruptos nulla petita venia extra Dioecesim morari possint, dummodo « *id fiat absque ullo gregis detrimento, quod, an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore.* » De his omnibus in primis legenda est Constitutio Benedicti XIV. Ad universae die 3. Septembris 1746. At vero si Episcopus adversus residentiae legem afuerit, poena amissionis fructuum mulctatur, et ita quidem, ut qui sex menses abfuit, quarta parte fructuum unius anni privetur, in fabricam Ecclesiae aut levamen pauperum eroganda, qui alios sex menses, aliam pariter quartam partem ipso jure amittat, et qui diutius adhuc abfuerit, gravioribus poenis a Romano Pontifice plectatur.

§. VII.

DE VISITATIONE DIOECESIS

Residentia Episcoporum materialis esse non debet et otiosa, sed formalis et laboriosa, cum Episcopalis dignitas *nomen sit oneris, non honoris*, August. lib. XIX. de Civit. Dei cap. 19. et ad cultum divinum atque ad procurandam animarum salutem ordinata sit. Cum autem Pastoralis cura omnes Dioecesis Ecclesias complectatur idcirco inter Episcoporum officia frequens Dioecesis visitatio recensetur. Itaque Concilium Tridentinum jure merito praecipit, ut Episcopus singulis annis visitationem Dioecesis instituat, quam si propter ejusdem Dioecesis latitudinem intra-

annum explere nequeat, biennio saltem absolvat. Per se autem debent Episcopi Dioecesim visitare, nisi mala valetudine, aut alia ex causa detineantur: tunc vero eam visitationem Vicario Generali, aut alteri probato Clerico demandare jubentur ex decreto Concilii Tridentini sess. 24. cap. 3. de Reform. quo derogatum est capiti Ut Archidiaconus de offic. Archid. ubi impedito Episcopo facultas Archidiacono tribuebatur Dioecesim quolibet triennio visitandi.

Scopus autem visitationis est sanae et orthodoxae doctrinae inductio, morum emendatio, lapsae disciplinae restitutio, et recta ordinatio rerum omnium, quae ad personas, resque ecclesiasticas pertinent. Itaque visitatio *personalis* est et *realis*. Visitatio personalis est inquisitio de vita et moribus personarum, deque earum officiis, videndi causa, an eisdem rite fungantur. Realis est inquisitio de administratione, custodia et statu Ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, de legatorum aliorumque piorum onerum satisfactione, deque aliis rebus hujusmodi. Sacra Congregatio Concilii censuit Episcopum non posse visitare, si aliter a Fundatoribus statutum fuerit: posse tamen in casu negligentiae Administratorum deputatorum ab ipsis fundatoribus juxta Cap. Tua nobis de testam. ex tom. I. Decret. existen. in Archiv. Congregat. Concilii.

Personalem visitationem nemo est qui declinare possit, atque idcirco Episcopi de moribus omnium Christianorum inquirunt. Speciatim vero personas ecclesiasticas visitant, propterea quod ex bona, aut mala Clericorum vita institutio laicorum maxime pendet. Huic visitationi subsunt etiam Regulares curam animarum habentes, in iis tamen, quae ipsam animarum curam et Sacramentorum administrationem spectant, eosque Episcopus corrigere potest,

si non resideant, si non praedicent, aliisque parochialibus muneribus rite recteque non fungantur.

Visitationi reali, seu locali subsunt Ecclesiae omnes et beneficia, item hospitalia, Collegia et Confraternitates Laicorum, non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt sine ipsorum licentia, Montes pietatis, et omnia Loca Pia, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, et exemptionis privilegio sint munita, ac demum omnia, quae ad Dei cultum, ad animarum salutem, ad pauperes sustentandos instituta sunt, Conc. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8. Praeterea Tridentini Patres decreverunt, ut Episcopus tamquam Apostolicae Sedis delegatus visitaret Capitula etiam exempta; qua de re praeclare agit Benedictus XIV. de Synodo Dioeces. lib. 13. cap. 9, tum Monasteria in commendationem data, in quibus regularis disciplina non viget, et omnia beneficia etiam exempta, tum in Ecclesiis suae Dioecesis, tum etiam in Ecclesiis saecularibus, quae *in nullius Dioecesi* esse dicuntur, dummodo Cathedralis Ecclesia Episcopi visitantis majori Ecclesiae *nullius* sit proximior.

De Visitatione Ecclesiarum Regularium inspicienda est Constitutio ejusdem Pontificis Benedicti XIV. quae incipit Firmandis atque asserendis edita anno 1745.

In visitanda Dioecesi expedit, Episcopum non judicis, sed patris potius personam induere, nec processus conficere, nec sententias proferre, sed in iis quae manifesta sunt, nec multi examinis indigent, sine formulis judiciariis, sed sola summaria cognitione procedere, et paterna caritate ac mansuetudine correctionem potius adhibere quam poenas. Ubi autem de visitatione et morum correctione agitur, nulla exemptio, inhibitio, appellatio, seu querela executionem eorum quae decreta vel mandata sunt impedit, aut suspendit: tantummodo appellationi *in devolutivo*, ut dicitur, locus esse poterit. At si Episcopus con-

fecto processu, servatisque juris solemnitatibus quidquam decreverit, vel judicaverit, ab ejus sententia appellatio tum *in devolutivo*, tum etiam *in suspensivo* tribuitur, qua executio suspenditur, et causa ad majorem Judicem defertur.

§ VIII.

DE PROCURATIONIBUS

Episcopo Sacra Visitatione Dioecesim lustranti debentur procurationes, sive sumptus ad victum necessarii: *procurare* enim hoc loco est alimenta praebere. Hac de re Tridentina Synodus sess. 24. cap. 3. de Reform. sancivit: 1. nihil ut Episcopus vel sponte oblatum occasione, seu causa visitationis reciperet praeter procurationes, quae sibi, suoque honesto comitatui frugaliter et moderate praestandae sunt. 2. Ut iis qui visitantur, optio esset aut solvendi eam pecuniae vim, quae antea Episcopis ex jure vel consuetudine pendebatur, aut ipsa victualia in specie subministrandi, salvis antiquis pactionibus, quae cum Monasteriis aliisve Locis piis, aut Ecclesiis non parochialibus initae fuissent. 3. Ut si aliquibus in locis visitationes gratuitae esse consueverint, recepti mores servarentur. 4. Ut si quid amplius acceptum fuisset, Episcopus intra mensem tum poena dupli restituendi, tum aliis poenis arbitrio Synodi provincialis mulctaretur.

Caeterum Episcopo bis aut saepius eodem anno Dioecesim lustranti, unica tantum procuratio debetur, quod S.ª Congregatio Episcoporum et Regularium an. 1586. et S.ª Congregatio Concilii die 18 Septembris 1682. et deinde Kalendis Junii 1733. declaraverunt. Huc etiam pertinet altera decisio ejusdem S.ae Congregationis Concilii die 28 Julii 1708. *in causa Ostunen. procurationis*,

qua rescripsit Vicario Capitulari Dioecesim visitanti deberi medietatem procurationum, quae Episcopo solvi consueverunt.

Procurationes autem praestandae sunt ab omnibus Ecclesiis Sacrae Visitationi obnoxiis, et a Clericis beneficiariis dum visitantur, idque pro modo facultatum, aut pro recepta consuetudine; non tamen a laicis, neque ab Ecclesiis vi exemptionis, privilegii, vel consuetudinis hoc onere solutis, nec denique ab Ecclesiis Cathedralibus, quod Episcopus nullis extra ordinem impensis in earum visitatione oneratur.

§ IX.

DE CATHEDRATICO

Olim Episcopo Dioecesim visitanti Cathedraticum solvi consuevit, quo nomine intelligitur certa pensio singulis annis Episcopo solvenda, idque in argumentum subiectionis et honoris, qui Cathedrali Ecclesiae tamquam matri a caeteris Ecclesiis tribui debet. Vocatur etiam Synodaticum, quod in Synodo exigeretur, interdum etiam pensio paschalis vocari consuevit, ideo quod Synodus, ubi solvebatur, plerumque post Pascha celebraretur. Nullum ferme jus Cathedratico antiquius est, illudque veteres Canones in certa quantitate taxarunt, ita ut duos solidos non excederet, de quorum aestimatione concertant Canonistae; at vero locorum consuetudo servanda est. Jus istud Tridentina Synodus non sustulit, sed vetuit tamen in visitatione exigi, quod multis probat Fagnanus in Cap. Conquerente de Off. Ordinarii. Cathedraticum ad legem Dioecesanam pertinere dicitur: lex enim dioecesana est jus alicujus rei petendae recipiendaeque. Hinc praeter procurationem et Cathedraticum Episcopus ex

lege dioecesana exigit 1. *subsidium caritativum*, seu moderatum subsidium ex manifesta et rationabili causa a Clericis tribuendum; 2. *quartam decimationum*, seu quartam partem decimarum, et *quartam mortuariam* seu funerum, quae et canonica portio, seu quarta Episcopalis dicitur, atque Episcopo debetur ex legatis et oblationibus quae Ecclesiae relictae sunt. Utraque haec quarta nititur veteri partitione bonorum, ex qua Episcopus quartam omnium redituum ecclesiasticorum recipiebat. Confer Benedictum XIV. de Syn. Dioec. lib. 5. cap. 6. et 7. ubi multa de his Episcoporum juribus disputantur.

§ X.

DE ADJUTORIBUS EPISCOPORUM

Quoniam Episcopi ad gravissima munera vocati sunt, aliorum ope et auxilio prorsus indigent. Hinc Episcopis Adjutores aliqui semper fuerunt, quorum alii ex veteri, alii vero ex nova Ecclesiae disciplina ortum habent. Huc pertinent Chorepiscopi, Archipresbyteri et Decani, Archidiaconi, Vicarii suffraganei, et Coadjutores, Canonici, Parochi et Regulares.

De Chorepiscopis satis multa dicta sunt in jure Ecclesiastico publico, quae potius ad eruditionem pertinent, quandoquidem eorum ordo ineunte saeculo decimo prorsus extinctus fuerit. Dicemus itaque de aliis Episcoporum Adjutoribus, et primum de Archipresbyteris et Decanis.

§ XI.

DE ARCHIPRESBYTERIS ET DECANIS

Nomen Archipresbyteri antiquissimum est, quo Presbyterorum primus intelligitur. Apud latinos Archipresbyter erat, qui ordinationis antiquitate alios Presbyteros anteibat, verum apud Graecos non aetati, aut ordinationis antiquitati, sed maxime virtuti et merito gradus iste tribuebatur. Unus olim fuit in singulis Dioecesibus Archipresbyter, qui in Ecclesia Cathedrali residebat, tamquam Episcopi Vicarius in eis omnibus quae ad sacra ministeria et forum internum pertinerent. Igitur proxime post Episcopum divinis officiis navabat operam, caeteris Presbyteris praeerat, curabatque ut sua munera diligenter obirent, eorumque moribus invigilabat, et absente aut impedito Episcopo ad Archipresbyterum spectabat Missae sacrificium offerre, Sacramenta ministrare, benedictionem impertire, et caetera id genus agere, quorum mentionem faciunt capp. 1. 2. et 3. de Offic. Archip.

Lapsu temporis ruri quoque constituti sunt Archipresbyteri, *rurales* proinde dicti, qui ferme in locum Chorepiscoporum successerunt. Rurales Archipresbyteri vocati sunt etiam *Decani,* quia nimirum Dioeceses in varios, certosque districtus, seu decanias distributae erant ac singulis decaniis suus Archipresbyter praeficiebatur. Munus autem Archipresbyteri ruralis, seu Decani sic describitur in cap. 4. de Offic. Archip. « *Non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiat, et qua quisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renunciet.* »

§ XII.

DE ARCHIDIACONIS

Quemadmodum Archipresbyter urbis in muneribus ordinis Sacerdotalis, ita Archidiaconus in externa jurisdictione et administratione Episcopis subsidio erat. Ex ordine Diaconorum Archidiaconus eligebatur, qui caeteris rerum gerendarum dexteritate praestaret. Amplissima olim fuit Archidiaconorum potestas, cum omnia pene negotia ecclesiastica ipsorum ministerio peragerentur. Archidiaconus enim non solum Episcopo sacris operanti aderat, et officia Diaconorum propria exequebatur, verum etiam Diaconis et inferioribus Clericis suum cuique locum et officium in Ecclesia assignabat, oblationes aliosque Ecclesiae reditus administrabat, et ratam portionem in Clericos, in pauperes, et in Ecclesiae fabricam partiebatur, viduarum, pupillorum, et peregrinorum curam habebat, Parochos aliosque Beneficiatos *corporaliter*, ut ajunt, instituebat, et quos perspiceret ad ordines idoneos Episcopo offerebat, jejunia et dies festos indicebat, et re Sacramentali excepta, nullum ferme negotium erat, quod sine Archidiacono conficeretur; qua de re manus et oculus Episcopi appellabatur. Ab initio tanta Archidiaconi potestas a mandato et arbitrio Episcopi pendebat: at deinceps in potestatem ordinariam abiit, ita ut Archidiaconi non amplius ad Episcopi nutum moverentur, sed tamquam Vicarii Episcoporum nati, sive dati a jure jurisdictionem propriae dignitati adnexam consequuti sunt, eamque inferiorem quidem, distinctam tamen ab Episcopi jurisdictione: et idcirco a sententiis Archidiaconi non ad Metropolitam, sed ad Episcopum provocabatur. Nunc temporis Archidiaconorum potestas pene concidit, et omne

ipsorum munus eo redactum est, ut adsint Episcopo generales Ordinationes habenti, vocentque Clericos, qui ad ordines promovendi sunt. Potestas quoque Archipresbyteri et Decani, de quibus supra diximus, eamdem fortunam passa est. Ergo utriusque auctoritas hodie aut nulla, aut tanta est, quanta eis ex locorum institutis, aut consuetudine tribuitur. At vero ex Archipresbyterorum et Archidiaconorum potestate extincta, seu ad Episcopum revocata, novae dignitates seu officia emerserunt: namque Archidiaconis Vicarii Generales, Archipresbyteris ruralibus Vicarii Foranei, et Archipresbyteris urbanis Episcopi Suffraganei quodammodo suffecti sunt, de quibus agendum est.

§ XIII.

DE VICARIIS GENERALIBUS

In hodierna Ecclesiae disciplina, qui contentiosam et voluntariam jurisdictionem auctoritate et nomine Episcopi exercet, Officialis aut Vicarius Generalis appellatur. Italiae moribus nullum discrimen est inter Vicarium Generalem atque Officialem; nam utraque jurisdictio contentiosa et voluntaria uni eidemque personae delegatur, quem Italiae usum Synodus Tridentina sequuta est, sess. 24. de Reform. cap. 16. ubi Vicarii et Officialis nomina promiscue adhibuit. At in Gallia, aliisque Ecclesiis Transalpinis utraque jurisdictio diversis personis delegatur, et Officialis dicitur, qui jurisdictionem contentiosam exercet, Vicarius autem generalis vocatur, cui voluntariae jurisdictionis administratio tribuitur.

Vicarii habendi consuetudinem plerique acceptam referunt Concilio Lateranensi IV. ubi Innocentius III. Episcopos hortatus est, ut si totam Episcopatus sarcinam

ipsi nequirent sustinere, adjutores sibi adsciscerent, quibuscum collata opera, Dioecesim recte administrarent. Caeterum Vicariorum origo sive ex Lateranensi Concilio, sive ex alia lege vel consuetudine repetenda sit, illud exploratum videtur, quod Vicarii Generales aetate Gregorii IX. apud omnes saltem Ecclesias nondum obtinuerant, cum in Gregoriana Decretalium compilatione Vicariorum Generalium vestigia nulla sint. Contra vero temporibus Bonifacii VIII. Vicarii Generales invaluerant, namque in 6. Decretalium sub titulo de Offic. Vic. ipsorum munera distinctius proponuntur.

Constitutio Vicarii Generalis ad solum Episcopum pertinet, nec vetatur Episcopus plures sibi Vicarios constituere, et 1. quidem uni jurisdictionem voluntariam, et alteri jurisdictionem contentiosam demandando. 2 Utramque jurisdictionem singulis in solidum delegando. 3. Certas Dioecesis regiones unicuique assignando. Vicarius primo modo constitutus illud jurisdictionis genus explicare potest, quod sibi mandatum est, et idcirco voluntaria jurisdictione auctus limites suae potestatis excederet, si Judicis personam indueret et sententiam pronunciaret. Si vero utraque potestas pluribus in solidum concessa sit, semper antefertur qui prior negotium occupavit. Si denique potestas data sit cum certa assignatione seu distributione territorii, unusquisque debet sese intra limites praestitutos continere.

Eligi autem debet in Vicarium Clericus non minor viginti quinque annis, moribus integris, et doctorali utriusque juris, vel saltem canonici laurea insignitus, nisi aliunde ipsius peritia manifeste comperta sit. At in Vicarium sumere non licet Laicum, neque Clericum conjugatum, etiamsi in habitu et tonsura clericali incedat, neque Clericum bigamum, neque consanguineum Episcopi, neque civem Urbis Episcopalis seu Dioecesis, ne-

que Canonicum Poenitentiarium, neque Parochum, neque alium quemlibet animarum curam habentem, ne videantur uti scientia in Sacramento Poenitentiae comparata, nec denique Regulares ex Ordine Mendicantium: Canonici autem Regulares vel Monachi ab eo munere non arcentur, dummodo sui Praelati veniam impetraverint haud concedendam sine gravi causa, et ea lege ut religiosum aliquem sibi socium adjungant.

§ XIV.

DE POTESTATE VICARIORUM GENERALIUM

In constitutum Vicarium transit omnis jurisdictio, quae ad Episcopum jure ordinario pertinet; namque Vicarius in iis quae jurisdictionis sunt, Ordinarius censetur, atque unum idemque Tribunal cum Episcopo constituit, ideoque a Vicario ad Episcopum non appellatur. Caeterum multa sunt hac de re inspicienda, ne Vicarius potestatis suae limites praetergrediatur. In primis autem cum Vicarius mandato Episcopi constituatur, illud plane consequitur, quod ea facere nequeat quae Episcopus nominatim exceperit; nihil enim impedit quominus Episcopus aut ampliorem potestatem, aut contractiorem concedat. Deinde vero quemadmodum Vicarius non ordinis, sed jurisdictionis potestatem consequitur, sic ea praestare nequit, quae ad potestatem ordinis spectant, aut ab ea proficiscuntur, qualia sunt chrisma conficere, Ecclesias et altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem restituere, nec litteras dimissoriales ad ordines tribuere, nisi Episcopus in longinquis partibus versetur, ita ut a Clericis ordinandis sine magna difficultate adiri nequeat cap. Cum nullus de temp. ordin. in 6., et glossa ibid. v. *remotis*. Quin etiam quae sunt Episcopalis ordinis non licet Vi-

cario peragere, etiamsi Episcopali charactere insignitus sit, neque ea exercendi potestatem alteri Episcopo facere potest. Praeterea cum Vicarius in sola ordinaria jurisdictione vices Episcopi gerat, idcirco nequit iis rebus sese immiscere, quae ad Episcopum pertinent, tamquam Sedis Apostolicae delegatum, et multo minus in iis quae Episcopo commissa sunt talibus verbis, aut clausulis, quibus significetur negotium soli Episcopo delegari. Denique ex generali Episcopi mandato quo quis in Vicarium constituatur, et sine speciali concessione Vicarius beneficia non confert, nec eis fundandis, supprimendis, vel uniendis assensum impertitur, factas uniones non revocat, resignationes non admittit, et generatim in materia beneficiali nihil agit eorum quae sunt liberalitatis et gratiae, sed illa tantum quae sunt necessitatis et justitiae, veluti praesentatos a patronis instituere, et electos confirmare. Similiter sine speciali mandato causas matrimoniales, et criminales non cognoscit, irregularitates et suspensiones ex occulto crimine provenientes non relaxat, a casibus Episcopo reservatis non absolvit, neque ab eis absolvendi facultatem largitur. Sic etiam Synodum non indicit, Capitulum Canonicorum non convocat, eique non interest, neque fert suffragium, non visitat Dioecesim, et universim in negotiis valde arduis et gravioribus inconsulto Episcopo non procedit.

Vicarii generalis jurisdictio potius ordinaria videtur quam delegata, quatenus ejus officium per legem seu canonem probatum est, et quamquam alterum sibi Pro-Vicarium substituere nequeat, causas tamen aliquas alteri delegari potest, quod delegatis non licet. Exspirat autem Vicarii jurisdictio tribus praesertim modis, et primo quidem Episcopi voluntate, si nempe Vicarium amoverit, sed remotio evulganda est, et ipsi Vicario denuncianda, et si quid ante denunciationem ipsam a Vicario geratur,

omnino valet, propterea quod generatim jurisdictio non extinguitur, donec judex de revocatione certior fiat. L. Si forte ff. de Offic. Praesidis. Secundo morte Vicarii, aut expressa renunciatione, vel etiam tacita; censetur autem tacita, si Vicarius a Dioecesi discedat animo non redeundi, quod docet Fagnanus in cap. Praesentata de testibus n. 10. Tertio denique cessante jurisdictione Episcopi per ejus mortem, renunciationem, translationem, aliamve causam ob quam Episcopus Episcopatu abeat, aut jurisdictione privetur, quin illud peculiare est, quod etiam rebus non integris potestas Vicarii extinguatur, ita ut in negotiis jam coeptis non progrediatur, qua in re Vicarius differt a delegato: hujus enim potestas in negotiis jam coeptis delegantis morte non exspirat.

§ XV.

DE VICARIIS FORANEIS

Praeter Vicarium Generalem alii sunt peculiares Vicarii, quos *Foraneos* dicimus, qui in certa parte Dioecesis constituti per unum aut plura oppida aliquas levioris momenti causas expediunt. Quia vero Vicarii Foranei Tribunal habent ab Episcopo discretum et separatum, idcirco ab eorum sententiis ad ipsum Episcopum appellatur. Quod si hoc discrimen inter Episcopi et Vicarii Foranei tribunal aliquibus minus placeat, illud afferre possumus appellationem a Vicariis Foraneis ad Episcopum deferri, sive quod hujusmodi mos consuetudine roboratus est, sive quod Vicarii Foranei cum judicibus pedaneis videntur convenire, a quibus provocatur ad eum qui delegavit. Itaque pro arbitrio Episcopi constituuntur, tantaque ipsorum potestas est, quantam Episcopus demandaverit. Praecipuum tamen Vicarii Foranei munus est, Episcopo

renuntiare mores Clericorum, atque in eorum crimina inquirere, observantiam Constitutionum Synodalium, et Decretorum Episcopi sedulo promovere, et Episcopum admonere, si qua forte in suis oppidis adversus fidem et bonos mores, aut Dei cultum, Templorum venerationem, Festorum dierum observantiam, et christianam disciplinam perpetrentur; denique causas civiles parvi momenti definire.

§ XVI.

DE SUFFRAGANEIS

Ubi in aliqua Dioecesi Episcopus non resideat, vel ob aetatem, aut valetudinem, aut ipsius Dioecesis amplitudinem nequeat per se Episcopalis ordinis munera explere, auxiliator interdum conceditur qui Episcopus *Suffraganeus* vocitatur. Itaque Suffraganeus est Episcopi auxiliator in Sacri Ordinis ministeriis, quae ipsemet Episcopus obire aut nolit, aut nequeat. Ergo necesse est ut Suffraganeus cum titulo alicujus Ecclesiae in partibus infidelium sitae Episcopus consecratus sit; nec datur Ecclesiae, sed Episcopo, atque adeo illius munus et officium cessat statim ac Episcopus aut morte, aut alia ratione Episcopatum reliquerit. Quamquam vero Suffraganeus ad ordinis ministeria sumatur, et nequeat quae jurisdictionis sunt ulla ratione attingere, nihil tamen obstat, quominus ab Episcopo adjuto in Vicarium Generalem constituatur, quo expeditior sit utriusque potestatis administratio. Suffraganeus autem a Romano Pontifice petendus est, quod ea res causis majoribus adnumeretur. Sed Apostolica Sedes Suffraganeum non concedit, nisi ejus habendi et necessitas et consuetudo probetur, adsignata etiam Suffraganeo pensione certa, ex qua honestum habeat vitae cultum, neque

unquam egere cogatur in dedecus Episcopalis ordinis et dignitatis. Vide Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 14. ubi de Suffraganeis copiose disserit.

§ XVII.

DE COADJUTORIBUS

De constituendis Episcoporum Coadjutoribus sive ad tempus, sive cum futura successione dictum est in Jure pub. Eccl. lib. 2. §. 31: nunc eorum officia breviter commemorabimus. In primis vero animadvertimus, Canonem VIII. Concilii Nicaeni, quo cautum est, ne duo in eadem Ecclesia simul essent Episcopi, non ita intelligendum esse tamquam si duo in una civitate Episcopi omnino prohiberentur, licet unus Episcopus et Ecclesiae Sponsus, et alter Coadjutor esset, sed dumtaxat ne duo Episcopi eodem jure et titulo ad unam regendam Ecclesiam constituerentur. At S. Augustinus in ea videtur opinione fuisse, Nicaenum Canonem electioni Coadjutorum non adversari, non tamen permittere, ut Coadjutor, vivente Coadjuto, Episcopus consecretur. Itaque Eraclium sibi in Episcopatu Hipponensi Coadjutorem haereditarium adscivit, non tamen Episcopum ordinavit, scribens epist. 110: « *adhuc in corpore posito beatae memoriae Patre et Episcopo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicaeno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter ut est, quando Deus voluerit futurus Episcopus.* » In praesenti disciplina coadjutores cum jure successionis Episcopi consecrantur, ut Coadjuto impedito alter sit qui munera Episcopalis ordinis explere possit. Sed ne duo simul unam eamdemque sedem tenere, neve duo esse unius Ecclesiae sponsi videantur, Coadjutor ad

titulum alterius Ecclesiae in partibus infidelium promovetur, quem quidem titulum retinet usque dum Coadjutus vitam vixerit.

Potestatem vero Coadjutorum ex fine metimur, cujus gratia constituti sunt. In Coadjutoriis finis est auxilium impotenti Episcopo ferendum. Universim itaque potestas Coadjutoris ad omnia illa pertinet quibus Coadjutus Episcopus impar est. Quamobrem si Coadjutor Episcopo amenti, aut plane inhabili datus sit, plenam potestatem habet administrandae Dioecesis, excepta tamen alienatione bonorum, cap. unic. de Cler. aegrot. in 6. Quo tamen ex capite non vetatur beneficia conferre, siquidem alienatio Coadjutoribus interdicta est earum rerum quae servari possunt, collationes autem beneficiorum ex quadam necessitate fiunt, ne beneficia imminutione divini cultus, et animarum detrimento diutius vacent. At si Episcopus Coadjutus ratione praeditus sit, id ipsi licet quod libeat et possit facere nullo Coadjutoris consilio vel consensu adhibito, cum Episcopali titulo et jurisdictione non privetur. Privatur autem potestate delegandi, propterea quod quae Coadjutus efficere aut nolit, aut nequeat, ea in primis Coadjutor explere suo jure debet. Verumtamen in statuendis Coadjutorum juribus non modo finis, seu causae cur dati sint, verum etiam literarum Apostolicarum praecipua ratio habenda est.

§ XVIII.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS

Praelati inferiores secundi Ordinis Clero praestant, sed infra Episcopos sunt, et medium veluti locum inter utrosque tenent, quorum triplex genus est. Primum est eorum, qui certo generi personarum intra septa alicujus

Ecclesiae, Conventus, vel Monasterii praesunt, uti sunt Moderatores generales Ordinum, Provinciales et Abates sive Regulares sive Saeculares Romano Pontifici immediate obnoxii, et eam jurisdictionem in Clerum sive Regularem sive Saecularem exercent, quam a Regulis et Constitutionibus Ordinis, aut Apostolicis privilegiis consequuti sunt. Alterum genus eorum est, qui dicuntur *in Dioecesi* quatenus potestatem exercent in Clerum et Populum certi loci, qui in Dioecesi alterius Episcopi continetur: propterea territorium ab ea separatum non habent, eorumque jurisdictio videtur magis esse personalis quam localis. Tertium denique genus Praelatorum, qui *nullius* dicuntur, omnium nobilissimum est: habent enim jurisdictionem in Clerum et Populum alicujus loci vel Oppidi, aut etiam plurium locorum vel Oppidorum, quae omnino avulsa et separata a cujuslibet Episcopi Dioecesi constituunt quamdam quasi Dioecesim, et sunt eorum locorum Ordinarii. Horum jurisdictio quasi Episcopalis dicitur, eo quod exceptis iis quae Ordinis Episcopalis sunt, reliqua omnia suo jure exercent; Synodum tamen celebrare non possunt, nisi a Sede Apostolica expressum privilegium convocandi Synodum obtinuerint, et nisi de usu ejusdem privilegii legitime constiterit. Quoniam vero jus convocandi Synodum, et jus indicendi concursus ad Parochiales Ecclesias quodammodo inter se connexa videntur, quum ex Concilii Tridentini sess. 24. cap. 18. de Reform. concursus coram Examinatoribus in Synodo Dioecesana electis instituendus sit, idcirco qui Synodum congregare potest, concursum etiam et examen indicere, eaque omnia praestare poterit quae ab eodem Concilio sancita sunt citato loco.

CAPUT III.

DE CANONICIS ET PAROCHIS

§ XIX.

DE ORIGINE CANONICORUM

Primis Ecclesiae saeculis Canonicorum nomen Clericis omnibus commune fuit, tum quia per sacram ordinationem canoni seu matricolae Ecclesiae, idest ecclesiastico ministerio addicebantur, tum quia ex bonis ecclesiasticis canonem seu certam portionem, vel sportulam singulis diebus vel hebdomadibus, vel mensibus seorsim accipiebant, tum quia vitam sub Canone, videlicet sub certa quadam ecclesiastica regula agebant. Ejus ecclesiasticae regulae praecipuum caput erat vitae communis, quam fideles omnes, in primisque Clerici ab ipsis Apostolis edocti fuerant. At lapsu temporis cum ea rerum communitas negligeretur, in ea promovenda, et ubi lapsa esset restituenda, sanctissimi Antistites Ecclesiae bono nati plurimum laboraverunt. Hinc Canonici deinceps vocati sunt ii soli, qui communem quodammodo vitam, et certam vivendi regulam sectabantur.

Verum a saeculo decimo illud communis vitae institutum nutare coepit, et sensim corruit. Non omnes tamen Clerici ab ea vivendi forma recesserunt; namque aliqui clericalem statum cum vita monastica conjunxerunt, et propterea Canonici Regulares appellati sunt. Caeteri autem Clerici qui abjecta vita communi suis in domibus singularem vitam agebant, Canonici saeculares dicti fue-

runt; saeculares quidem, quia propria bona retinentes, perpetuisque praebendis donati in saeculo viverent; Canonici autem vocati, ideo quod in Ecclesiis Cathedralibus unum veluti corpus cum Episcopo componerent.

Modo itaque Canonici vel Ecclesiis Cathedralibus addicti sunt, et Canonici Cathedralis Ecclesiae dicuntur, vel alicui inferiori Ecclesiae serviunt, et Canonici Ecclesiae Collegiatae nuncupantur. At Canonici Ecclesiae Cathedralis jus antea comparatum retinuerunt, namque excluso reliquo Clero antiquum Presbyterium et Senatum Episcopi constituunt, eorumque consilio ecclesiastica negotia tractantur.

§ XX.

DE DOTIBUS AD OBTINENDUM CANONICATUM

In eo qui ad Canonicatum adspirat, multae dotes desiderantur; 1. est ordo, ut nimirum illo ordine insignitus sit qui Canonicatui adnexus est, videlicet Presbyteratu, si praebenda Presbyteralis, Diaconatu si Diaconalis, et Subdiaconatu si Subdiaconalis sit, aut saltem ut infra unius anni spatium eodem ordine initietur. Qui vero nondum Subdiaconus est sive in Cathedrali, sive in Collegiata Ecclesia vocem non obtinet in Capitulo, etiamsi id sibi libere a Canonicis aut Episcopo concederetur: 2. est aetas: in Canonicatibus Ecclesiae Collegiatae aetas quatuordecim annorum satis habetur, nisi certus ordo Canonicatui sit adjunctus, aut nisi major aetas ex tabulis fundationis requiratur. At vero in Ecclesiis Cathedralibus nemo aptus est ad Canonicatum nisi qui vigesimum primum agat aetatis annum, ita ut infra annum ipsum sacro Subdiaconatus Ordine initietur; major vero requiritur aetas, si superior ordo Diaconatus, vel Presbyteratus

Canonicatui adnexus fuerit. Dignitates vero Canonicales curam animarum habentes vigesimum quintum aetatis annum postulant: 3. est Theologiae et SS. Canonum scientia; Canonici enim praesertim Ecclesiae Cathedralis Episcopo a consiliis sunt in regimine animarum; qua in re quantum necesse sit res fidei et morum, et Ecclesiasticas leges callere, nemo est qui non apertissime cognoscat: 4. eximia vitae integritas, quamobrem Concilium Tridentinum sess. 29. cap. 12 de Reform. Canonicos monet, « *ut ea integritate morum polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possint.* »

§ XXI.

DE OFFICIIS CANONICORUM

Canonicorum officia, vel singulorum peculiaria sunt, vel omnibus communia. Officium cujuslibet Canonici positum est in eo peculiari munere digne, diligenterque explendo quod ipsius Canonicatui adjunctum est. Omnes vero Canonici tenentur 1. ad professionem fidei emittendam: « *Provisi de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo orthodoxae suae fidei publicam facere professionem tenentur, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondere et jurare, alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* » Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de Reform. 2. Ad solemnem horarum Canonicarum recitationem, aliaque obeunda divina officia vel quotidie, vel alternis vicibus, aut hebdomadibus pro more institutoque Capitulorum. Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia, quod sancitum est a Concilio Tridentino saepius cit. loc. At Sacra Congregatio Concilii

die 15. Decembris 1605. in causa Eugubina censuit, sublatam non esse Canonicis, et Mansionariis in Civitate vel Suburbiis degentibus, non autem ipsorum Coadjutoribus, facultatem « *sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint.*» Quin immo Ivo Carnotensis quotidianas distributiones invexit: « *ut ad quas horas Canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret* » sicut ipse loquitur in epistola ad Paschalem Papam. Quod quidem institutum Tridentina Synodus probavit, atque adeo jussit, ubi distributiones nullae aut nimis tenues essent, tertiam Canonicatuum partem in quotidianas distributiones impendi. Decrevit etiam, ut « *distributiones, qui statutis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii VIII. decretum.* » 3. Ad residentiam; siquidem Canonici propria officia atque munera explere nequeunt nisi in suis Ecclesiis immorentur. Veruntamen Tridentina Synodus indulget, ut Canonici ex aliqua honesta causa tres menses abesse possint « *salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* » Sunt autem causae quaedam Sacris Canonibus probatae, quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet, quin tamen fructus praebendae, et distributiones quotidianas amittant. Hae legitimae causae absentiae tres numerantur a Bonifacio VIII. in Cap. Consuetudinem de Cler. non resid. 1. Infirmitas seu morbus. 2. Corporalis necessitas, uti captivitas, carcer, senium etc. 3. Evidens Ecclesiae utilitas. Vide passim Canonistas, et praesertim Benedictum XIV. Institut. Ecclesiast. 107.

§ XXII.

DE POTESTATE CAPITULI CATHEDRALIS

Omnia Capitula, quatenus peculiare corpus et ab Episcopo separatum constituunt, absque Episcopo conventus agunt, de rebus ad Capitulum pertinentibus deliberant, nova statuta condunt, non tamen fundationis legi aut praescriptae consuetudini, nec juri communi, nec juribus tertii contraria, atque a legitimo Superiore probanda et confirmanda, proprio sigillo utuntur, et Syndacum habent qui negotia Capituli gerit. At vero Cathedralis Ecclesiae Capitulum, quatenus unum corpus efficit cum Episcopo, et Senatum Ecclesiae constituit, amplissima potestate potitur tum Sede Episcopali plena, tum ipsa Sede vacante. Sede Episcopali plena pleraque negotia sunt, in quibus tenetur Episcopus aut consensum aut saltem consilium Capituli exquirere, quandoquidem Canonici Ecclesiae Cathedralis sunt Consiliarii nati Episcoporum, ex Cap. Novit de his quae fiunt a Prael; et Cap. Quanto eod.; et quodammodo vices gerunt antiqui Presbyterii, cujus operam et consilium in regenda Ecclesia Episcopi adhibebant. Igitur generalis regula est, ne quid Praesul in negotiis gravioribus sine Capituli consilio aut consensu agat, et ita quidem, ut quae de consensu Capituli fieri debent, eo neglecto nulla sint. Quare Episcopus et eum consensum exquirere, et illud facere cogitur quod major Capituli pars faciendum esse duxerit. Dum vero consilium Capituli postulatur, oportet illud audire, non tamen sequi, quod consilium necessitatem non infert, eaque de causa tantum exquiritur ne quid Episcopus inconsiderate et negligenter agat. At vero si Episcopus, ubi consilium petendum erat, illud non pe-

tierit, res gesta putatur valida, nisi consilium sub conditione actum irritante quaerendum esset. Qua de re legendus Schmalzgrueber ad hunc titulum num. 16. Quibus autem in rebus aut consensus, aut consilium Capituli requirendum sit, vix statui potest. Certe quidem consensu Capituli opus est in causis, ubi de re ad Capitulum quavis ratione pertinente agitur, in alienandis rebus ecclesiasticis, in conjungendis Ecclesiis vel Beneficiis: Consilium autem audiendum est in convocanda Synodo, et Statutis in ea condendis, in puniendis Clericis, in ferendis Censuris, aliisque causis id genus, de quibus Interpretes ad hunc titulum fusiorem sermonem habere solent. Illud unum observabimus, quod ex antiqua suae Ecclesiae consuetudine eximi Episcopus potest ab obligatione aut consensus aut consilii requirendi in iis quoque rebus, in quibus spectato jure communi ad consilium vel consensum exquirendum obstringeretur, quod plane colligitur ex Cap. Ea noscitur de his quae fiunt a Prael. et ex Cap. Non est de consuetudine in 6.

At vacante Sede Episcopali non ex privilegio vel delegatione, sed ex jure communi administratio Ecclesiae vacantis ad Capitulum pertinet. In ipsum enim ordinaria Episcopi jurisdictio transfertur per textum in Cap. His quae, et in Cap. Cum olim de Major. et Obed. Itaque Capitulum, vacante Sede, statuta condit, et poenas infligit, Fagnanus in Cap. A nobis 21. de sent. excom. num. 45. et seqq; causas ecclesiasticas cognoscit atque dirimit, et caetera peragit quae ordinaria potestate Episcopali continentur. Caeterum multa sunt, quae, dum Ecclesia vacat, Capitulum agere nequit. In primis itaque non facit ea quae sunt ordinis Episcopalis, licet ad exercenda Pontificalia recte queat exterum Episcopum advocare. Item quo primo anno Sedes vacat, literas dimissorias ad suscipiendum ab alieno Episcopo ullum ordinem non con-

cedit, nisi Clericis arctatis, iis nempe qui ratione beneficii ecclesiastici recepti, aut recipiendi ad ordinem suscipiendum compelluntur: post annum autem a die vacationis, sive post annum luctus Clericos omnes etiam non arctatos ad ordines suscipiendos dimittit. Nihil quoque, vacante Sede, innovare potest de juribus Episcopalibus, nec bona Ecclesiae alienare et donare, in proprios usus convertere, ejus statum deteriorem facere, nec litem de jure Ecclesiae movere aut prosequi, quod ex natura interregni dimanat, in quo nihil innovant, nihil diminuunt qui gubernant, sed tantum ea sibi sumunt quae sine damno non differuntur. Hinc praesentatos a patronis instituit, quod institutio est actus justitiae et necessitatis; sed beneficia non confert, neque ad ea eligit, nec praesentat, ubi collatio, electio aut praesentatio ad unum Episcopum pertinent, neque etiam Parochiales Ecclesias vacantes confert, sed tantum concursum indicit, et repertos idoneos et inter ipsos magis idoneum Pontifici exhibet; qua de re multis agit Fagnanus in cap. 2. Ne Sede vacante aliq. innov. Denique Capitulum non facit ea quae ex Canonum delegatione Episcopis concessa sunt, nec potest iis negotiis sese immiscere, quae per rescripta sive per literas Apostolicas Episcopo aut ejus Vicario Generali commissa fuerint, quamvis uterque rem infectam reliquerit.

§ XXIII.

DE VICARIO CAPITULARI

Quamquam viduatae Ecclesiae regimen ad universum Capitulum spectet, ejus tamen regiminis administratio singulari personae committenda est. Etenim Tridentini Patres constituerunt, « *ut Capitulum, Sede vacante, Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi*

constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alius quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque ut praefertur negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta OEconomum et Vicarium idoneos possit constituere.» Eligendus est autem Vicarius ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis, sed non vetatur Capitulum extraneum etiam eligere, cum praesertim ex Canonicis nemo sit qui ad id muneris par et idoneus habeatur. Semel autem Vicarius electus revocari non amplius potest, nisi causa cognita, et a S. Congregatione Episcoporum et Regularium probata, quod ab eadem Congregatione saepe declaratum esse refert Barbosa de Canon. et Dignitat. cap. 24. n. 47. Praeterea nihil sibi potest Capitulum reservare, sed tota potestas, quam habet, in Vicarium conferenda omnino est. Tempus autem dierum octo currit a die quo notitia vacationis habita sit: et si Ecclesia per translationem Episcopi vacaverit, duo meminisse oportet: primum est, jurisdictionem penes ipsum Episcopum prorogari, quoad ejus vinculum cum priori Ecclesia in Concistorio Pontificis solutum fuerit: secundum est, perlata ejus solutionis notitia ex documento Secretarii S. Collegii, vel alio indubio testimonio, Episcopum translatum ab omni usu jurisdictionis abstinere omnino debere, etiamsi Apostolicae litterae translationis nondum expeditae, nec secundae Ecclesiae possessionem adeptus fuerit.

Vacantis Ecclesiae Vicarius esse nequit, qui futurus est ejusdem Ecclesiae Episcopus. Cum enim Tridentina Synodus sess. 24. cap. 16. de Reform. jusserit «*Episcopum ad vacantem Ecclesiam promotum de iis quae ad eam spectant ab OEconomo, Vicario et aliis quibuscumque, Sede*

vacante, constitutis rationem exigere » perspicuum est Vicarii Capitularis et futuri Episcopi personam esse distinctam oportere, cum sibi nemo rationem reddat. Ad haec Patres Concilii Lugdunensis II. Cap. Avaritiae de Election. in 6°. constituerunt, « *ut nullus de caetero administrationem dignitatis ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, oeconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quaesito colore in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium pro parte, vel in toto gerere, vel recipere, aut illis se immiscere praesumat: omnes illos qui secus fecerint, jure si quod eis per electionem quaesitum fuerit decernentes eo ipso privatos.* » Bonifacius VIII. Extravag. Injunctae inter comm; Alexander V. Constit. Ex injuncto, Julius II. Constit. Romani Pontificis, et Julius III. ut alios mittam, Constit. Sanctissimus non modo Lugdunensi Canoni adstipulati sunt, verum etiam poenas in eo sancitas admodum auxerunt. Jam vero si nullus ad Episcopatum electus vel nominatus ante confirmationem possit quovis unquam nomine, vel quaesito colore administrationem ejus Episcopatus suscipere, consequens omnino est, electum vel nominatum Episcopum in Vicarium Capitularem constitui nullo pacto posse, secus enim hoc nomine vacantem Ecclesiam administraret. Quamobrem Clemens XI. in suis litteris in forma Brevis incipientibus In supremo datis die 24. Augusti 1709. jure merito declaravit, Franciscum de Solis, qui habita a Philippo V. Hispaniarum Rege ad Episcopatum Abulensem nominatione, regimen et administrationem ejusdem Episcopatus, ceu Procurator et Vicarius, ante Apostolicam confirmationem aggressus erat « *nullam in eadem Ecclesia sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia jurisdictionem aut potestatem habere vel habuisse, adeoque nec ullam circa ea quae Sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut alias forum conscientiae, vel contentiosum quo-*

modolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse nec potuisse. » Sic etiam Pius VII. in suis litteris Savonae datis ad Vicarium Capitularem Ecclesiae Florentinae die 4. Decembris 1810, tum aliis ad Vicarium Capitularem Ecclesiae Parisiensis datis die 19. ejusdem mensis et anni graviter pronunciavit, Episcopos ad eas sedes nominatos administrationi earumdem Sedium recipiendae, gerendaeque sub Vicarii Capitularis, aut alio quovis nomine inhabiles prorsus esse, atque adeo administrationem hujusmodi « *non modo improbandam, verum etiam irritam et nullam fore, quoniam adversus sanctissimas Ecclesiae leges, ejusque vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad principia legitimae missionis obscuranda et destruenda.* »

§ XXIV.

DE DIVERSIS HONORIS GRADIBUS IN CAPITULO

Inter Canonicos eminent qui Personatum, aut Officium, aut Dignitatem obtinent. Personatus est honoris praerogativa sine ulla administratione et jurisdictione : Officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine ulla honoris praerogativa et jurisdictione : Dignitas est praerogativa honoris cum jurisdictione aut administratione. His honoris gradibus praesertim insigniti fuerunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Praepositi, Decani, Primicerii, Cantores, Thesaurarii et Scholastici. Nunc autem Canonicis haec quidem honoris nomina relicta sunt, sed nomina inania et dignitates ventosae vocari solent, quod nullum pene retinent vestigium pristinae potestatis.

At nomine, et re quidem vera dignitas vel officia sunt illa duo quae Concilium Lateranense IV. instituit, scilicet Theologi et Poenitentiarii. Saluberrima haec institutio stabiliorem deinde formam accepit a Synodo Tri-

dentina, quae jussit, in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, et insignioribus Collegiatis Theologum esse, sive Canonicum in S. Theologia Doctorem, qui divinas litteras explanaret, unamque ex Canonicalibus praebendis, ubi primum vacaverit, huic officio assignari. Jussit etiam, « *in omnibus Cathedralibus Ecclesiis ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarium aliquem cum unione Praebendae proxime vacaturae ab Episcopo institui, qui Magister sit vel Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico, et annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro qualitate loci reperiatur.* »

Igitur Theologi officium est, praestitutis ab Episcopo diebus et horis Scripturam Sacram explanare, aut etiam in rebus Theologicis quae ad salutem animarum spectant, Clerum et populum erudire. Qua de re multis agit Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 9. Munus autem Poenitentiarii est fidelium confessiones excipere; est enim, ut ait Fagnanus in Cap. Grave de Praeb. et Dig. « *quasi parochus totius Dioecesis, habetque jus audiendi Dioecesanorum confessiones non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege idest a Tridentino Concilio, ideoque Ordinarius censeri debet.* » Ejus tamen potestas non ita late patet, ut possit casus Episcopo reservatos sine ipsius Episcopi delegatione relaxare.

Theologus autem qua die Scripturae lectionem habet, aeque ac Canonicus Poenitentiarius quamdiu in Sacro Tribunali judex sedet, quotidianas distributiones capiunt, perinde atque choro et divinis officiis interessent. Denique Benedictus XIII. in sua Constitut. Pastoralis Officii ann. 1725. statuit, ut officium Theologi et Poenitentiarii per concursum coram Episcopo et quatuor Examinatoribus magis idoneo et probato conferatur.

Sacra Congregatio Concilii in Aversana 21. Novembris 1829. proposito dubio « *an Episcopus polleat jure*

eligendi ad Praebendam Theologalem et Poenitentiariam, quem ipse inter adprobatos in formali concursu digniorem judicaverit, seu potius illum eligere teneatur quem magis idoneum in eodem concursu Examinatores renunciaverint » respondit « *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* » Idem confirmavit in Urbevetana Concursus 11. Julii 1845.

Item Archidiaconus non amplius tenetur decreto Concilii sess. 24. cap. 12. de laurea doctorali suscipienda, etiamsi in Bulla Apostolica suae provisionis sit clausula « *quod infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis* ». Qua de re confer Lucium Ferraris ad verba Archidiaconus, et Monacelli tom. 3. supplem. ad 1. tom. num. 212.

§ XXV.

DE ORIGINE PAROCHORUM

Parochi sunt Presbyteri, quibus intra certos limites Dioecesis assidua et perpetua animarum cura tradita est. Hanc Parochorum germanam indolem exhibet Tridentina Synodus sess. 24. cap. 13. de Reform. dum ait « *In iis civitatibus ac locis ubi Parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, sed promiscue Sacramenta administrant, mandat S. Synodus Episcopis pro tutiore animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo licite Sacramenta suscipiant, aut alias utiliori modo, prout qualitas loci exiget, provideant.* »

Primis Ecclesiae saeculis nulli extiterunt Parochi, qui certa hujusmodi et stabili sede proprium populum ac ter-

ritorium haberent, sed unus erat totius Dioecesis Pastor et idem Episcopus, qui animarum salute procuranda, ubi opus esset, Presbyterorum opera utebatur. Hinc Tertullianus de Bapt. cap. 17. « *Dandi quidem baptismi jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus; dein Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* » At numero fidelium aucto tum in civitatibus, tum etiam ruri Presbyteri constituti sunt, eisque peculiaris et proprius populus assignatus est, unde Parochi duxerunt originem, quorum institutio quarto Ecclesiae saeculo antiquior non videtur. Nam Canone Dionysii Papae qui tertio saeculo vixit, non satis evincitur Paroecias ea jam aetate extitisse, dum Canon a plerisque apocryphus traducatur. Non tamen desunt, qui tertio saeculo antiquiorem, immo vero divinam originem et institutionem Parochis tribuunt, tamquam Successoribus septuaginta duorum Discipulorum, quos Christus ipse designavit. Verum haec de divina Parochorum institutione sententia a celeberrimis Theologis et Canonistis jamdiu profligata est; qua de re jam diximus in Jure publ. Ecclesiast.

§ XXVI.

DE OFFICIIS PAROCHORUM

Praecipua Parochorum officia haec sunt. 1. Dominicis et festis diebus Sacrificium pro populo offerre et applicare, qua de re confer Constitutionem Benedicti XIV. incipien. Cum semper. 2. Pueros rudesque personas christianae fidei rudimenta, ac vitae praecepta edocere, atque diebus etiam Dominicis, festisque solemnioribus concionem ad populum habere, eique explanare quae ad aeternam salutem necessaria sunt, eo tamen orationis genere, quod sit ad audientium captum atque intelligentiam

accomodatum. 3. Dies festos, indulgentias, jejunia quae intra hebdomadam occurrerint, et futura matrimonia denunciare. 4. Praesto esse in Sacramentis Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis populo administrandis, eique paterna charitate et studio opitulari. Baptizatos, matrimonio copulatos, et mortuos suis libris distincte diligenterque adnotare. 6. Missarum oneribus, aliisque legatis piis satisfacere, aedificia et bona Ecclesiae temporalia sedulo curare. 7. Denique oves suas agnoscere, eisque verbo et vitae exemplo praeire et in Paroecia residere.

§ XXVII.

DE JURIBUS PAROCHORUM

Gravissimis Parochorum officiis multa jura adjuncta sunt, quae idcirco Parochialia vocantur. Itaque ad Parochum pertinet 1. jus fori poenitentialis, et ideo Parochus potestate ordinaria Parochianos suos sacramentaliter absolvit, tum in propria Paroecia, tum etiam in alieno territorio, cum jurisdictio voluntaria extra proprium territorium explicari possit. Non tamen Parochiani vetantur coram altero Sacerdote approbato peccatorum maculas expiare. 2. Jus conferendi Baptismum ac proinde habendi fontem Baptismalem, nisi eum sibi Ecclesia matrix reservaverit. 3. Jus administrandi sacram Eucharistiam in Paschate, quo tempore Parochiani sacram Synaxim alibi sumentes sine Parochi venia Paschali praecepto non satisfaciunt. 4. Jus ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem Parochianis in periculo mortis constitutis. 5. Jus assistendi matrimoniis, et nuptiis benedicendi. 6. Jus sepeliendi, jura stolae, aliasque oblationes, seu consuetas et laudabiles praestationes accipiendi, atque etiam per-

cipiendi decimas, nisi victui et cultui Parochorum aliunde consultum sit. Verum praeter jura Parochialia sunt etiam *functiones Parochiales* dictae, quia a Parochis fieri consueverunt, non tamen omnes *privative*, ut ajunt, ad eos pertinent, de quibus Parochos inter, et Confraternitates laicorum, earumque Cappellanos et Officiales saepius certatum est, proindeque S.ae Congregationes, in primisque Congregatio Sacrorum Rituum ad avertendas lites decreta ediderunt, quae referuntur a Benedicto XIV. in Instit. Eccl. 105. § 4.

Parochis illiteratis, aut curae animarum ineptis ab Episcopo etiam tamquam Sedis Apostolicae delegato Coadjutor *ad tempus* dari potest, quin imo debet ex cap. 3. de Cler. aegrot, et ex Tridentina Synodo sess. 21. cap. 6. de Reform, « *partemque fructuum eisdem Coadjutoribus pro sufficienti victu Episcopus assignare, vel aliter providere potest.* »

§ XXVIII.

DE PAROCHORUM CREANDORUM FORMA ET RATIONE

Nemo Parochiali Ecclesiae praeficiendus est, qui vigesimum quartum aetatis annum non exegerit, Cap. Cum in cunctis de Elect. Parochiales vero Ecclesias dignioribus conferendas esse statutum est in Cap. Quoniam de Jurepatron; et in Cap. Constitutis de Appellat. Quae quidem res ut fideliter servaretur, in Concil. Trid. cap. 18. sess. 24. de Reform. lata lex fuit de concursu habendo in collatione Parochialium Ecclesiarum, quae ad liberam Ordinarii collationem pertinent, ut ex praevio competitorum examine is Parochiali Ecclesiae praeficiatur, qui moribus, doctrina, et prudentia caeteris antecellit. Examen autem competitorum ex eadem Tridentina Synodo coram Epi-

scopo, vel suo Vicario, et tribus saltem Examinatoribus Synodalibus habendum est, eoque absoluto non Examinatorum, sed solius Episcopi est eum eligere quem magis idoneum judicaverit.

Ecclesiae jurispatronatus Laicorum a lege concursus solutae sunt; namque Episcopus debet Rectorem a patrono oblatum instituere, dummodo facto experimento coram Examinatoribus in Synodo designatis eum ferendo muneri Parochiali parem esse compererit. Potest vero Patronus Laicus plures vel simul, vel etiam successive Episcopo praesentare; ei tamen non licet praesentationem primi jam perfectam retractare. At vero Ecclesiae jurispatronatus Ecclesiastici conferendae sunt per concursum, ita quidem ut patronus debeat inter Competitores approbatos ab iisdem Examinatoribus digniorem eligere, eumque Episcopo offerre: Episcopus autem praesentatum a Patrono Ecclesiastico tamquam digniorem instituere omnino debet, neque in judicium patroni inquirere potest, nisi aliquis sit qui de eo judicio conqueratur. Vide Benedictum XIV. in Constit. Reddite nobis tom. 2. sui Bullarii. Quin etiam ab indicendo concursu abstinendum est in Parochialibus Ecclesiis jurispatronatus mixti, ne jura laicorum ob consortium cum Ecclesiastico Patrono laedantur; quae declaratio est Congregationis Concilii die 6. Febr. ann. 1628.

Sunt praeterea Paroeciae quaedam primitivae, seu *in habitu* ut vocantur, quarum nempe cura *habitualis* cum Capitulis, Abbatiis, aliisve Ecclesiis conjuncta est; *actualis* autem per Vicarium, seu Pro-Parochum exercetur. De his Paroeciis a Tridentina Synodo sic decretum est sess. 7. cap. 7. de Reformat. « *Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, aut Monasteriis, seu Collegiis, aut Locis piis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum*

annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum aut majori vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione etiam super certa re assignanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur. » Illud vero compertum est ad Vicarium Parochialem totam animarum curam, et jura spiritualia pertinere, adeoque Vicarius proprio et ordinario Parocho comparatur. Debet tamen Vicarius sive perpetuus, sive amovibilis ab Episcopo examinari et probari, ac proinde integrum est Episcopo praesentatum sibi Vicarium non probare, si parochiali muneri impar sit, aut congrua eidem portio non assignetur.

Vicarii autem perpetui officio suo privari non possunt, nisi legitima causa et probata, et consulto Episcopo cap. 31. de Praeben. Sed Vicarii temporarii, seu ad nutum amovibiles sine causa removeri possunt, dummodo dolus et omnis odii causa abfuerit; quin immo tum ab Episcopo, tum a Superiore Regulari, non requisito alterius consensu animarum cura privari possunt, nec unus alteri tenetur causas judicii sui aperire; quod a Congregatione Concilii decretum est, et confirmatum a Benedicto XIV. in sua Bulla Firmandis edit. ann. 1744.

CAPUT IV.

DE MONACHIS ET REGULARIBUS

§ XXIX.

DE ORIGINE MONACHORUM ET REGULARIUM

Personis ecclesiasticis accensentur Monachi et Regulares, de quibus postremo loco dicendum est. Jam inde ab Ecclesiae primordiis fuere, qui vitam ad Evangelica consilia accuratius exigerent, ab ipsa severioris vitae exercitatione *Ascetae* dicti. Hujus vitae institutum tum viri, tum foeminae, et praecipue virgines profitebantur, quae perpetuam castitatem promittentes, ab Episcopo consecrabantur, sacrumque velamen accipiebant. At in propriis domibus versabantur; si tamen minus caste viverent, aut nuptias inirent, excommunicabantur, quod ex Can. 15. Concilii Chalcedonensis compertum est. Inducta vero inter mares monastica vita, paullatim factum est, ut virgines quoque a frequentia hominum separatae, et intra coenobia perpetuam castitatem, et communem vivendi regulam profiterentur.

Quae autem fuerit monasticae vitae origo, non una est omnium sententia. Monachi primum dicti sunt, qui ut curas profanas, aut persecutiones effugerent, vel etiam ut liberius pietati et divinarum rerum contemplationi operam darent, in loca deserta et solitudines sese receperunt, inter quos primi ac nobilissimi fuerunt Paulus et Antonius Ægyptii Eremitae. Paulus quidem ejus vitae auctor, illustrator autem Antonius, qui sectatores plurimos habuit, eosque certis vivendi regulis ac legibus ad-

dixit. Videntur itaque non procul a veritate abesse, qui monasticae vitae institutum Paulo et Antonio acceptum referunt. At vero monasticum institutum aedificatis monasteriis, et inducta communi vita Pacomius et Basilius in Oriente perfecerunt, in Occidente autem S. Athanasius primus induxit, et dein S. Benedictus absolvit, et longe lateque diffudit. Benedictus enim aut primus, aut certe inter primos et communem regulam tradidit, et solemnis professionis formulam praescripsit, ut Monachi ad perpetuam ejusdem regulae observantiam adstringerentur, cum antea « *tot propemodum typi ac regulae essent, quot cellae ac monasteria* » ut ait Cassianus lib. 2. Instit. cap. 2.

Monasticum Institutum ad Benedictinae regulae normam stetit ad saeculum usque nonum, quo tempore cum aliquid remittere de pristina disciplina visum esset, ad illam instaurandam ortae sunt Congregationes Cluniacensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosae, Cisterciensis, aliaeque, unde monasticum institutum, quod antea ferme unum erat, in plures Ordines divisum est, et nova itidem monastica Instituta invecta sunt.

Canonici Regulares, uti supra diximus, ineunte saeculo nono clericalem statum cum vita monastica conjunxerunt, et regulam a S. Augustino exaratam passim amplexati sunt, ideoque Canonicorum Regularium S. Augustini nomen acceperunt. Ex his ortum habuit Canonicorum Regularium Congregatio, quae in Basilica Lateranensi recepta, Lateranensis appellata est. Celebres etiam fuerunt Congregationes Canonicorum Praemonstratensium et SS. Salvatoris: Canonici autem Regulares a Monachis discrepant, quia « *etsi a Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regulae tamen inserviunt laxiori* » ut legitur cap. 5. de statu Monach.

Perfectionem vitae Monasticae et Clericalis simul aemulati sunt Ordines Mendicantes, inter quos praecipui

et celeberrimi Fratres Minores S. Francisci, Praedicatores, Carmelitae, Eremitae S. Augustini ex quibus veluti stipitibus processerunt caeteri Ordines Regulares, quorum originem atque indicem exhibet Doujat in Append. Praenot. Canonic. cap. ultimo. His denique accesserunt Congregationes Clericorum, qui nuncupatis votis, certisque legibus addicti communem vitam agunt, ex quo factum est, ut Clerici Regulares vocarentur. Horum prima Congregatio est Theatinorum; deinceps Barnabitae, Societatis Jesu, Somaschi, Scholarum Piarum, et alii plures prodierunt.

Interim Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de Reform. « *concessit omnibus Monasteriis, et domibus tam virorum, tam mulierum et mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Cappucinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* » Hinc Fratres Minores de Observantia, et Cappucini Mendicantes ex regula, caeteri Mendicantes ex Constitutionibus dicuntur.

Illud denique monendum est, quod cum coeptum esset varias vivendi regulas, novosque Ordines excogitare, Concil. Lateranense sub Innoc. III. « *ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem induceret, prohibuit ne quis de caetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat* » cap. 9. de relig. domibus. Quod quidem decretum a Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. renovatum est, atque adeo ad novam religionem instituendam Summi Pontificis approbatione opus omnino est.

§ XXX.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

Religio, seu Status Religiosus communiter definitur — Fidelium ad christianae charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus. — Ex quo facile colliges: 1. Finem status religiosi in Christiana perfectione positum; tria autem vota tamquam modum et media esse, quibus ad perfectionem facilius et tutius pervenitur. Quibus quidem votis peculiares Ordines alia superaddere possunt: sic Trinitarii captivorum redemptionem etiam vovent. 2. Ad statum religiosum aliqua regula atque regimine opus esse, quod stabilis in communi vivendi modus ita comparatus est, ut sine certa regula et regimine non subsistat. 3. Vim et essentiam status religiosi in obligatione perpetuo servandi eadem vota ac regulam sitam esse, atque adeo promissionem eamque personalem atque perpetuam requiri. At satis esse videtur simplicia vota emittere, dum simplex quoque votum est perpetuum et constans vinculum quo religioni obligamur. Huc facit Constitutio Greg. XIII. Ascendente Domino, qua Scholastici Societatis Jesu veris et propriis Religiosis accensentur, etsi tria tantum vota simplicia nuncuparint. 4. Tandem regulam ab Ecclesia approbatam, et debita auctoritate munitam esse oportere, ut ea Communitas, ubi vovetur, in statum religiosum erecta sit, eique collata spiritualis potestas, qua status religiosus continetur, ex. gr. condendi statuta, eligendi Praelatos, ad professionem recipiendi, et alia id genus.

§ XXXI.

DE PROFESSIONE EJUSQUE EFFECTIBUS

Itaque religiosa professio est certae et probatae Religionis promissio rite ac libere facta, legitimeque acceptata: rite facta dicitur, si profitens in eo statu sit quo libere vovere possit, ac integrum et continuum probationis annum exegerit. Vovere autem prohibentur, qui decimum sextum aetatis annum non expleverint. Servis etiam ex antiquis regulis sine dominorum consensu, et Episcopis sine Pontificis venia ad professionem aditus non patet. Item conjugati post carnis commixtionem professionem edere nequeunt, nisi uterque libere consentiat, et in claustra sese recipiat, aut nisi saltem qui in saeculo remanet aetatis provectae sit, et ab omni incontinentiae suspicione absit, et praeterea coram testibus, et Ecclesiastico Superiore votum castitatis emittat. Quod si nullus adhuc matrimonii usus fuerit, tum certe alteri altero etiam invito ad monasticam vitam transire licet, quia conjuges post initas nuptias habent duorum mensium inducias, ut interim possint de amplectenda Religione deliberare. Necesse deinde est, ut professio libere edatur, propria nimirum et omnino libera voluntate ejus qui profitetur. Itaque non voluntas parentum liberos obstringere potest, et prorsus abesse debent quae libertati et voluntati propriae contraria sunt, veluti error et ignorantia, multoque magis metus et coactio. Denique professio a legitimo Superiore acceptanda est: fit enim contractus instar, quo nempe profitens ad servandum vota et regulas obstringitur Deo et Religioni: religio autem obligationem contrahit ipsius alendi, retinendi, augendi-

que illis bonis atque juribus quae peculiares Ordinum constitutiones communia esse voluerunt.

Professio autem duplex est, expressa nempe et tacita, quatenus aut verbis ore prolatis, vel scripto exaratis, aut factis ipsis enunciatur. Jure Decretalium et praesertim cap. 4. et 22. de Regul; et cap. 1. et 6. eodem in 6; et Clementina 2.ª eodem, qui exacto probationis anno habitum monasticum non dimittit, sed manens intra claustra actibus Professorum propriis sese immiscet, tacite professus habetur. Sed moribus jam receptis professiones expressis verbis et adhibitis singulorum Ordinum solemnitatibus et ritibus emittuntur, scriptisque consignantur.

Validae professionis effectus sunt: 1. quod irregularitatem ex natalibus intuitu sacrorum Ordinum, non dignitatum ecclesiasticarum abstergat. 2. Matrimonium nondum consummatum dissolvat, contrahendum vero dirimat. 3. Obligationem pariat in suscepta vita monastica permanendi, nisi forte causa perfectionis ad rigidiorem ordinem transire cupiat, petita, licet non impetrata, Superioris sui venia, « *ubi enim spiritus Dei est*, inquit Innocentius III. cap. 18. de Regul., *ibi libertas, et qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo.* » Si tamen dubitatio occurrat, subdit Pontifex « *utrum quis velit ad Ordinem laxiorem aut arctiorem ex caritate, an temeritate transire, Superioris judicium est requirendum, ne forte Angelus Sathanae in lucis Angelum se transformet.* » Sed ab Ordine rigidiore ad laxiorem transitus vetitus est sine venia Summi Pontificis et justa causa, veluti si quis ob aegritudinem aut corporis infirmitatem rigidiori regulae servandae impar effectus sit. 4. Omnia vota in saeculo nuncupata prorsus perimat, quod in ipsa professione eminenter contenta seu commutata censentur. 5. Eluat maculas seu inhabilitatem ad civiles ef-

fectus ex anteactae vitae delictis ortam « *est enim conversatio monachalis sic honesta,* ut ait Justinianus in Novel. 5.ª *ut omnem maculam detergat* ». Quin etiam peccatorum omnium maculas delet quod ad poenam, non autem ad culpam attinet, ita ut professio religiosa veluti secundum baptisma habeatur, eamque Trullana Synodus Can. 40. benedictionem gratiae appellavit. 6. Tollat notam ingratitudinis, ut exinde filii a parentibus exhaeredari nequeant, quod ex Novel. 123. refert Gratianus Can. finali causa 19. quaest. 3.ª 7. Patriam potestatem solvat, quia professus in religiosam familiam transit, et potestati Superioris subjicitur. 8. Beneficia, si qua professus obtinebat, statim vacent, fitque incapax aliis beneficiis obtinendis, regularibus beneficiis exceptis, quae nonnisi regularibus personis conferuntur. 9. Denique omnia bona professi tum praesentia, tum futura ad Monasterium transferantur si capax sit, sin minus ad haeredes ab intestato venientes deferuntur, perinde atque professus mortem naturalem obiisset. Verumtamen Novitiis, antequam profiteantur, integrum est sua bona distribuere. Ne tamen fortunis suis imprudenter spolientur, atque adeo inopes facti vel inviti cogantur professionem emittere, Tridentina Synodus sess. 25. cap. 16. de Regular. et Monial. ita statuit « *Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujusque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac nec alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus.* »

§ XXXII.

DE EXEMPTIONIBUS REGULARIUM

Regulares nonnullis privilegiis cumulati sunt, inter quae illud est praecipuum quod ab ordinaria Episcopi jurisdictione eximantur. Exemptionem tamen hujusmodi Concilia, et praecipue Tridentinum, et Summi Pontifices in multis temperarunt, quorum abs re non erit saltem potiora capita enumerare. In primis itaque quod ad vitam et mores Regularium pertinet, Regulares cujuslibet Ordinis et Instituti qui extra claustra etiam cum Superiorum venia vel obedientia versantur, si deliquerint, ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicae delegato corrigi possunt et puniri. Regulares autem in claustris degentes, si notorie delinquant ut populo scandalo sint, a suis Superioribus, instante Episcopo et infra tempus ab eodem Episcopo constituendum, revera puniendi sunt, et Episcopus de poena irrogata monendus; sin minus Superiores a Praelatis majoribus officio privandi sunt, et ipsi Episcopo in delinquentem Regularem animadvertendi potestas erit. Cum autem Superiores interdum delinquentem Monachum extra Dioecesim impunitum dimitterent, Clemens VIII. in sua Constitut. Suscepti omnibus Ordinum Praepositis sub poena privationis officii mandavit, ut infra praestitutum ab Episcopo tempus reum, ubicumque esset, castigarent.

Quod autem ad actus hierarchicos pertinet, Regulares confessiones fidelium nec in Ecclesiis alienis, aut suis sine auctoritate et approbatione Episcopi audire non possunt, neque absolvere a casibus Episcopo reservatis, quamvis potestatem habeant absolvendi a casibus et censuris Pontifici reservatis; neque Monialium confessiones

excipere, quamvis sint e Monasterio Regularibus subjecto, neque approbatus pro uno Monasterio potest eadem facultate in alio uti. De praedicatione vero jam dictum est superiori § V.

Monasteria etiam, quibus animarum cura adnexa est, in iis quae ad eam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni et correctioni Episcopi subjiciuntur, qua super re videnda est Constitutio Benedicti XIV. quae incipit Firmandis ed. ann. 1745. ubi diligentius explanat quid possit Episcopus in Parochialibus Regularium, quid facere nequeat. Praeterea Regulares ab Episcopo pendent in Ordinibus recipiendis, quod multis explicat idem Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 9. cap. 17. Censuras et interdicta ab Episcopo promulgata, tum dies festos in Ecclesiis suorum Ordinum servare debent, atque etiam ad publicas processiones accedere, iis tantum Monachis exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in suis Ecclesiis custodire possunt: eis tamen non licet publice fidelium venerationi exponere, nisi ex causa publica et ab Episcopo approbata: possunt tamen privata de causa, dummodo e tabernaculo non extrahatur, et ita velo sit tectum ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. Praeterea Sacram Eucharistiam die Paschatis administrare nequeunt, ne iis quidem qui illam jam a proprio Parocho acceperint, nisi fuerint de eorumdem Regularium familia. Itemque SS.mi Viatici et Extremae Unctionis Sacramenta iis tantum administrare possunt qui sint de Coenobii familia: neque novas reliquias, aut insolitas Imagines exponere sine approbatione Episcopi, neque nova miracula novasque indulgentias promulgare audeant sine ipsius Episcopi recognitione et approbatione. Concil. Trid. sess. 25. de Invocat. Sanctorum.

In reliquis autem quae ad disciplinam domesticam, observantiam regularum et votorum, modum vivendi, officia, promotiones, coercitiones Religiosorum pertinent, nequit Episcopus sese immiscere.

CAPUT V.

DE ELECTIONIBUS

§ XXXIII.

DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM

Hactenus de singulis Clericorum gradibus, eorumque juribus et officiis disseruimus. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut videamus quemadmodum ad eos Ecclesiae gradus et dignitates perveniatur. Jam vero primi gradus in hierarchia jurisdictionis, videlicet Summus Pontificatus, Episcopatus et Praelaturae Regulares et Saeculares per electionem obtinentur: inferiores hierarchiae gradus per collationem Beneficiorum tribuuntur; potestas vero ordinis per consecrationem, aut sacram Ordinationem confertur. Primum itaque de Electionibus, tum de Sacris Ordinationibus enucleate videamus, nam de Beneficiorum collationibus proximo libro dicendum est. Verumtamen cum de nova et veteri eligendi Pontificis disciplina dictum sit in Jure publico Ecclesiastico, reliquum est ut hoc loco de electione Episcoporum et Praelatorum Regularium agamus.

Jam usque a primis Ecclesiae saeculis Episcoporum electiones a Provinciae Episcopis, Clero, et Christiana Plebe suffragantibus celebrabantur. Sed Populus Christianus in Ministrorum electione suffragatus est indulgentia Ecclesiae, cum hujusmodi electiones jure divino ad plebem non pertineant, quod duabus distinctis propositionibus late probat Nat. Alexander in Histor. Eccles. saec. 1. dissertat. 8. Spectabat haec disciplina, tum ut indigni quorum vitia plebem latere haud possunt, ab Episcopatu arcerentur, et optimi quique ac vulgo probati eligerentur. Huc pertinet illud Cypriani ep. 68. « *Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitia plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit* » tum etiam ut populus suum de persona eligenda desiderium et votum exprimeret, seu ne invito populo daretur Episcopus. « *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti* » ut ait S. Leo Magnus ep. ad Rusticum cap. 1.

Jam vero ubi Cleri et Populi testimonium ac votum de persona eligenda inter se convenissent, praecipua et summa in eo negotio auctoritas penes Episcopos erat, ad quos tamquam legitimos judices et electores electio proprie spectabat. Itaque si Clerus et populus aliquem minus idoneum designassent, eumdem rejicere integrum Episcopis erat, quos docere populum, non sequi oportere, tradidit Caelestinus I. Can. 2. dist. 62; idcirco Nicaeni Patres Can. 4. quem refert Gratianus Can. 1. dist. 64. maxime optabant, ut hujusmodi electionibus omnes Provinciae Episcopi adessent, aut tres saltem, si aut urgens necessitas, aut itineris longitudo obstaret, quominus singuli interessent. Verum inter Episcopos praecipua fuit auctoritas Metropolitae, ita ut citra ejus praesentiam vel assensum electio fieri nequiret; immo ab errantibus Episcoporum judiciis, aut inter se dissidentibus Metropolitae sententia quaestionem dissolvebat.

§ XXXIV.

DE ELECTORIBUS EPISCOPORUM

Personarum de quibus in electione habenda ratio est, quaedam eligunt, quaedam eliguntur. Dicendum est primo loco de iis qui eligunt. Jus eligendi Episcopum ad solum Cathedralis Ecclesiae Capitulum jure communi pertinet, sed jure speciali, consuetudine scilicet, pacto, vel privilegio, alii etiam Clerici qui ex gremio Capituli non sint, jure eligendi potiri possunt. Itaque vocandi sunt omnes, qui eligendi jus habent, et possunt interesse, sive in provincia praesentes, sive absentes, et si quis contemnatur, aut opportune non vocetur, poterit de contemptu agere, ut electio irrita habeatur, cap. 36. de Elect. Si qui autem vel incertis, vel nimium dissitis in locis versentur, aut si periculum aliquod esset in mora, eis non vocatis recte fieri electio potest, cap. 28. eod., tum quia vocatio aut inutilis esset aut impossibilis, tum quia privatis juribus publicum bonum praeferendum est. Qui vero vocati sunt, alterum agant necesse est, aut accedant, aut juri ferendi suffragii renuncient; neque enim fas est per litteras suffragium ferre, cap. 46. hoc tit. in 6. Ii tantum qui ex justa causa accedere nequeant, possunt suffragium suum uni ex ipso Capitulo demandare, aut etiam extraneum ex consensu ipsius Capituli procuratorem sibi constituere. Procurator autem si de gremio Capituli sit, non potest ancipiti conscientia alium suo, alium principalis nomine eligere, cum digniorem unum eligere teneatur, nisi mandatum speciale ad certam personam eligendam traditum sit, cap. eod. §. *Porro.*

Caeterum ab electione facienda aliqui removentur vel impedimento naturae, vel impedimento legis: impedi-

mento naturae arcentur furiosi, mentecapti, et omnes consilii et rationis inopes, cap. 22. eod; impedimento autem legis removentur impuberes, Subdiaconatus Ordini nondum initiati, excommunicatione majori excommunicati, infames infamia juris, ab officio suspensi, quique ne eligant personaliter interdicti sunt. Praeterea laicos ad suffragium ferendum excipientes, indignum eligentes, intra tempus a jure definitum operam electioni non dantes, aut canonicam formam non observantes, jure eligendi pro una et prima vice privantur, et jus ipsum reliquis Canonicis accrescit: quod si Canonici omnes deliquerint, ad proximum Superiorem devolvitur.

At vero celebrari electio debet in Ecclesia Cathedrali, aut alio decenti et honesto loco, ubi res ita postulare videatur. Jure Decretalium electio Episcopi infra tres menses a die vacationis celebranda est, cap. 41. de Elect. idque aut per scrutinium, aut per compromissum, aut per inspirationem.

De forma electionis per scrutinium haec habentur Cap. Quia propter 42. de Elect. « *Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire cogantur, et multa impedimenta proveniunt et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus ut cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione habita eligātur, in quem omnes, vel major et sanior pars Capituli consentit.* » Et cap. 2. de Elect. in 6. haec sunt animadversione digna « *In electionibus et postulationibus ac scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus reprobamus, statuentes ut hujusmodi votis pro non adiectis habitis, ex puris consen-*

sibus celebretur electio, voce illorum qui non pure consenserint, ea vice in alios recidente. »

Si vero numeratis suffragiis nemo a majori parte Capituli electus inveniatur, aut iteranda electio quoad majora suffragia in unum consenserint, aut res componenda est per compromissum, quod fit quando ab universo Capitulo, nemine discrepante, electio arbitrio paucorum Capitularium vel etiam extraneorum committitur, cap. 2. et seqq. de Elect.

Denique fit per inspirationem, quum Electores omnes, nemine repugnante, in loco solito congregati, quasi divino spiritu ducti in unum consentiunt, cap. 45. de Elect.

§ XXXV.

DE PERSONIS ELIGENDIS

Electores tum ex Sacris Canonibus, tum ipso jure naturali tenentur eo meliori modo quo fieri possit, communi bono atque utilitati Ecclesiae providere, atque adeo inter plures dignos dignior eligendus est. Attamen electio minus digni subsistit, dummodo indignus non sit, secus enim nulla electio tuta esset, cum perpetuae disceptationes de majori vel minori dignitate excitarentur. Indignus autem dicitur, qui aut dotibus instructus non est quas Canones in Episcopo postulant, aut aliquo impedimento affectus, propter quod aditus ad Episcopatum intercludatur. Itaque Canones has dotes in Episcopo flagitant: 1. aetatis maturitatem, nempe triginta annos absolutos. 2. Morum et fidei integritatem: mores sint oportet, quos designat Apostolus I.ª ad Timot. cap. 1. et ad Titum cap. 1. et 2: Religio autem adeo integra esse debet, ut non modo haeretici eorumque receptores, fautores et defensores, verum etiam ipsorum filii, licet catholici usque

ad secundam generationem ex linea paterna, et ad primam ex linea materna eligi nequeant, nisi parentes ante mortem poenituerit, et iterum in Ecclesiae Catholicae communionem fuerint cooptati, Cap. Statutum 15. de Haer. in 6. 3. Scientiam literarum, siquidem ex Concilio Trid. sess. 6. de Reform. cap. 1. « *necesse est, ut Episcopus eligendus in aliqua studiorum Universitate ad Sacrae Theologiae, vel Juris Canonici lauream merito sit promotus, aut publico saltem alicujus Academiae testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur.* » 4. Denique Ordinem Sacrum, quandoquidem ad Episcopatum assumendus saltem sex ante Menses quam eligatur, in Sacro Subdiaconatus Ordine constitutus sit oportet. Ratione impedimenti seu vitii indigni sunt, atque adeo eligi nequeunt irregulares omnes, sive irregularitas ex defectu, sive ex delicto proficiscatur.

§ XXXVI.

DE EFFECTU ELECTIONIS

Electionem canonice factam multa consequuntur. Aliqua Capitulum spectant, quorum primum est quod electione publicata variare nequeat, seu factae electionis poenitere: secundum est quod electores intra octo dies electionem praesentare electo debeant, ejusque consensum petere. Quaedam spectant electum ipsum, et primo electo mensis ad deliberandum datur, an dignitatem sibi delatam acceptare velit, an eidem renunciare, quo tempore elapso si renunciaverit aut non consenserit, jus omne amittit ex electione quaesitum, et ad aliam electionem via aperitur. 2. Si electus assentiatur, jus ad rem acquirit, seu ad obtinendam dignitatem ad quam electus est, atque adeo matrimonium spirituale cum Ecclesia

inchoatur. 3. A die consensus praestiti iter ad Apostolicam Sedem intra mensem arripere debet si commode fieri possit, et intra tres menses confirmationem postulare. 4. Denique antè impetratam confirmationem jus non est electo se immiscere negotiis ullis Episcopatus, secus enim jure per electionem quaesito excidet, omniaque ab eo gesta nullius momenti et roboris sunt, et indignus evadit qui in posterum eligatur, Cap. Avaritia 5. de Elect. in 6°., et Extravag. Injunctae eodem tit. inter comm.

Sed nonnulli Canonistae in vim Capitis Nihil 44. de Elect. putant, Episcopos extra Italiam constitutos et valde remotos, dummodo in concordia electi sint, administrationem Ecclesiae suscipere ante confirmationem posse, non quidem jure proprio, sed dispensatione Pontificis, quod constat ex verbis ipsius capitis, ubi Pontifex « *dispensative*, ait, *propter necessitates Ecclesiarum, et utilitates in spiritualibus et temporalibus administrent: et sic tamen ut de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent.* » Quamquam autem de speciali illius capitis indulgentia per Canones et Constitutiones posteriores nihil admodum derogatum esset, illud tamen certum est quod locum habeat in solis electionibus concorditer celebratis, qua nempe in re consensio omnium suffragiorum putanda est luculentissimum de electi meritis argumentum.

Passerinus in tractat. de Elect. cap. 33. putat dictum caput Nihil penitus antiquatum esse; sed veterem consuetudinem ubi viget, vim legis obtinere, ut administrare electo liceat, antequam confirmetur. Panormitanus etiam in idem caput n. 10. eamdem sententiam habet, sed ejus mentem sic interpretatur Engel in Collegio universi Jur. Can. tit. 6. n. 51. « *Panormitanus loquitur de inferioribus dignitatibus et beneficiis, nam in majoribus Praelaturis, ubi majus est periculum, ne indignus vel simoniacus cum damno et scandalo Ecclesiae eligatur, non putarem talem*

consuetudinem fore rationabilem. » At plerique Doctores affirmant Episcopum electum administrare posse, si electus sit in concordia, et si in ea Ecclesia vel regione vigeat antiqua consuetudo administrandi.

Episcopi vero aut a Summo Pontifice, aut a Regibus nominati, quandoquidem idem Caput Nihil ad eos non pertinet, vetantur omnino ad suas Ecclesias ante confirmationem vel Bullas Apostolicas accedere, vel ipsarum administrationem ullam suscipere.

§ XXXVII.

DE POSTULATIONE

Si forte contigerit, ut qui Ecclesiae utilissimus fore videtur, ob defectum aliquem aut canonicum impedimentum eligi nequeat, tum electoribus extraordinarium praesidium datur, nimirum postulatio per quam ejusdem impedimenti remissio apud Superiorem postulatur. Duplex est postulatio, simplex et solemnis. Simplex est petitio apud Superiorem, ut consentiat in electionem ejus qui suae potestati subest, veluti si Monachum eligere velis, opus est venia sui Abbatis: quae quidem non vera et propria postulatio est, dum persona hoc modo postulanda nullo canonico impedimento teneatur, quominus eligi possit, sed potius electio est quam nequit electus sine venia Superioris acceptare. Solemnis et vera postulatio est, dum a Romano Pontifice petitur, ut ex indulgentia et dispensatione in Episcopum assumat qui per Canones eligi nequit. Itaque postulatio est quaedam dispensationis species a Superiore petita, unde satis intelligitur impedimentum ejus generis esse oportere, super quo Pontifex dispensare possit et soleat, qualis est defectus natalium, aetatis, ordinis, libertatis ob vinculum spirituale cum alia Ecclesia, et hujusmodi.

Ex quibus perspicuum est postulationem duobus absolvi, scilicet postulantium suffragiis, et Pontificis auctoritate. Forma postulationis eadem est atque electionis, fitque communiter per scrutinium, aut compromissum, neque concordia suffragiorum poscitur, sed electoribus diversas personas postulantibus ejus postulatio valet qui majora suffragia obtinuerit: majora vero intelligimus quae dimidium omnium suffragiorum superent. Non minus enim in postulatione quam in electione major numerus suffragiorum computatur respectu omnium eligentium, non respectu electorum quibus aliqua forte suffragia obtigerunt. At si postulatio cum electione concurrat, si videlicet pars postulaverit, pars elegerit, tum postulatio electioni praefertur, cum numerus postulantium duplo excedit numerum eligentium, cap. 40. de Election.: velut ex viginti quatuor suffragantibus si sexdecim postulent, et octo eligant, postulatio vincit. Contra vero electio postulationi praefertur, si suffragia quae favent electo, medietatem excedant. Qua super re si quis plura desideret, conferat clarissimum Neller in collectione methodica Sacrorum Canonum de Elect. Praelat.

Quod vero spectat ad Pontificis auctoritatem, integrum eidem est postulationem non admittere, quia magis est gratiae, quam justitiae dispensationem super impedimentis indulgere, unde illud etiam intelligitur, quod postulatus ante admissam postulationem nullum jus acquirat, et re adhuc integra, hoc est postulatione Pontifici nondum oblata, Capitulum potest se poenitere, et consilium mutare. Admittitur autem postulatio praevia cognitione causae, qua inquiritur utrum postulatio sit canonica, quibus impedimentis postulatus laboret, itemque num adsit justa causa dispensationis concedendae. Sed postulatione admissa locus est confirmationi, de qua mox dicendum erit.

§ XXXVIII.

DE REGIA NOMINATIONE

Episcoporum electiones paullatim sublatae sunt, Episcopatuum collationibus ad Sedem Apostolicam revocatis. Primus Clemens V. Ecclesias Cathedrales, quae tempore sui Pontificatus apud Sedem Apostolicam vacarent, sibi reservavit, mox Joannes XXII., Benedictus XII. et Paulus II. alias novas reservationes induxerunt, deinceps vero Pontifices alii editis Cancellariae regulis Ecclesias omnes Cathedrales sibi reservarunt, ut eisdem optimos Episcopos praeficerent. Verum cum eam rem Capitula et Reges ipsi aegre ferrent, bono pacis factum est, ut Apostolicis Indultis, aut pactis conventis electiones Episcoporum aliquibus Capitulis restituerentur, et etiam Catholicis Regibus privilegium nominandi Episcopos pro omnibus aut aliquibus Ecclesiis tribueretur, ea tamen lege ut electiones, seu nominationes a Romano Pontifice confirmarentur. Nunc igitur Episcopos aut Romanus Pontifex constituit, aut Capitula eligunt, aut Principes nominant.

Nominatio autem regia ex gratia et privilegio Ecclesiae consistit, et Principes in Episcopis nominandis viros deligere debent sanctitate vitae et scientia spectatissimos, aut saltem illis dotibus ornatos, quas Sacri Canones, et privilegium Apostolicum, aut pacta conventa postulaverint: secus enim Pontifex nominationem oblatam jure meritoque non admittit. Sic autem nominati nullum jus Ecclesiae gubernandae ante confirmationem consequuntur, quod multis probat Zypaeus de Jurisd. Ecclesiast. lib. 1. cap. 37.

§ XXXIX.

DE CONFIRMATIONE EPISCOPORUM

Confirmatio est electi vel nominati approbatio, seu decretum Pontificis, quo electus vel nominatus probatur, et Pastor Ecclesiae constituitur. Electus ipse aut nominatus intra mensem a die electionis vel nominationis, aut infra tempus in Apostolico Indulto praefinitum per se, aut per Procuratorem petere confirmationem omnino debet. Tribuitur autem confirmatio a Pontifice praevia causae cognitione, et in Concistorio Cardinalium, unde videtur Concistorium successisse in locum Synodi Provincialis in qua praesidente Metropolita Episcopi confirmabantur. Causae cognitio versatur super natalibus, aetate, morum honestate, scientia aliisque dotibus quae in Episcopo desiderantur. Si electus vel nominatus extra Italiam commoretur, inquisitio de ipsius qualitatibus a Nuncio Apostolico, vel ab alio Ordinario de speciali Pontificis mandato instituitur, et processus inde confectus Romam mittitur. In Italia vero atque Insulis adjacentibus electi vel nominati coram ipso Pontifice periculum doctrinae faciunt, eorumque processus in Urbe conficitur, quibus absolutis totius inquisitionis et examinis acta Cardinali relatori seu proponenti traduntur, atque tum ab ipso, tum ab aliis tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus serio expensa, et subscriptione roborata ab eodem Relatore in Concistorio referuntur, quod dicitur *praeconizare*. Dein in eodem Concistorio, nisi Pontifici expedire videatur in alterum Concistorium rem differre, ut melius Cardinales possint dotes Candidati despicere, judicium de ipsius idoneitate profertur, quod *propositionem* appellant. Tum denique Pontifex consultis Car-

dinalibus, et solemni verborum formula decretum confirmationis emittit.

Verum cum Episcopum faciat confirmatio, duo praecipui ejusdem confirmationis effectus sunt. Primus est nexus, seu vinculum conjugii spiritualis Episcopum inter et Ecclesiam; quod proinde Episcopus nequit sua auctoritate dissolvere, neque Ecclesiam derelinquere, et Ecclesia nequit Episcopum ipsum repudiare, si ex. gr. ob infirmitatem, aliamve causam supervenientem factus impotens fuerit; nam quod attinet ad spirituale vinculum Episcopi et Ecclesiae, Episcopus confirmatus pro consecrato habendus est. Alter effectus in eo positus est, quod Episcopus jus in re, seu plenam Ecclesiae administrationem et sacram jurisdictionem accipiat, iis exceptis quae sunt ordinis seu consecrationis Episcopalis, quae tamen alteri Episcopo delegare potest, quod hujusmodi delegatio potestate jurisdictionis contineatur. Ne quis tamen pro Episcopo habeatur, qui Episcopus non fuerit, cautum est ut Episcopi confirmati tum demum administrationem Ecclesiae suscipiant, cum literas Pontificis, quae confirmationem testentur, jam acceperint et Capitulo exhibuerint, et si Capitula quempiam Episcopum sine Apostolicis litteris receperint, beneficiis ecclesiasticis suspenduntur.

§ XL.

DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM

Confirmationem sequitur consecratio, quam Episcopus suscipere debet infra tres menses ab impetrata confirmatione, quibus elapsis, si consecratus non fuerit, perceptos fructus amittit, Ecclesiam quoque ipso jure amissurus, si tres alios menses consecrationem pro-

traxerit. Consecratio autem est ritus sacer quo culmen et complementum Sacerdotalis Ordinis confertur, ut proinde Episcopus consecratus non solum nomine et dignitate, verum etiam potestate Ordinis Presbyteris antecellat, multaque efficere possit quae Presbyteri nequeunt, veluti conferre Ordines, chrisma conficere, eoque inaugurare Ecclesias et altaria consecrare, et hujusmodi.

At eum consecrare Episcopum non licet, qui Presbyter antea non fuerit. An vero consecratio Episcopalis valida foret, si collatio Presbyteratus non antecesserit, in quaestionem vocatum est, sed tutior et communis sententia tenet, consecrationem Episcopi Presbyteratu omisso non consistere, nullumque exemplum certum et exploratum extat de Episcopatu non Presbytero collato, qua de re confer Joannem Morinum de Sacr. Ordinat. part. 3. exercit. 11. cap. 2. Praeterea ad Episcopi consecrationem tres Episcopi requiruntur, quorum unus consecrator dicitur, reliqui duo adsistentes, idque semper in Ecclesia custoditum est. Haec vero trium Episcoporum praesentia potius ad disciplinam quam ad consecrationis validitatem spectat, quandoquidem saepius Pontifices indulserunt, ut in remotis regionibus, ubi copia trium Episcoporum haberi non facile posset, consecratio ab uno Episcopo celebraretur, quod multis ostendit Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 13. n. 2. et seqq.

In praesenti Ecclesiae disciplina nullus Episcopus licite potest consecrari nisi a Romano Pontifice, vel ex ejus mandato speciali, quod initio consecrationis recitandum est, quare Consecrator ante omnia quaerit — Habetis mandatum Apostolicum? — Consecratio autem aut Romae, aut in ipsa Ecclesia ad quam consecrandus assumptus est, aut saltem in provincia, si fieri possit, celebranda est die Dominica, aut Apostolo sacra post actum

antecedenti die jejunium, manuum impositione, annuli et baculi traditione, unctione chrismatis, libri Evangeliorum supra caput Consecrandi impositione, aliisque adhibitis ritibus, quos Pontificale Romanum titulo de Consecr. Episcop. singillatim describit. Tanti vero consecratio Episcopalis facienda est, ut ejusdem anniversariam memoriam recolere quilibet Episcopus in sua Ecclesia debeat, quod traditione Majorum acceptum est: plurimi enim extant sermones veterum Patrum habiti natali Episcoporum die, hoc est die consecrationis singulis annis recurrente.

Praestantissimus consecrationis effectus est character Episcopalis, vi cujus praeter divinam gratiam ad Episcopatus munia rite obeunda Consecratus accipit omnem ordinis potestatem et plenitudinem Sacerdotii; deinde vero spirituale matrimonium cum Ecclesia consummatum intelligitur, et appellatione Fratris a Pontifice honoratur. Porro ipso jure vacant Beneficia omnia, quibus Consecratus antea fruebatur, non vero pensiones ecclesiasticae, quae hac in re stricto nomine beneficii non accipiuntur.

In ipso actu consecrationis Episcopus consecrandus professionem fidei emittit, et Sacramento fidelitatis et obedientiae Romano Pontifici sese adstringit. De hoc jurejurando vide Paschalem II. in Cap. Significasti 4. de Election. et Elect. Potestat., et Gonzalez in ejus Capitis explanationem, nec non Barthel Opusculorum juridic. tom. 2. Opus. 4. in quaestione inaugurali, ubi quaerit. — Cujus disciplinae sit juramentum, quod in actu consecrationis Episcopi Germaniae Romano Pontifici praestant, et an hoc Imperatori et Imperio noxium sit? —

§ XLI.

DE ELECTIONE AD PRAELATURAS REGULARES

De Praesulum Regularium electione quaedam specialia sunt. Eligere non possunt Regulares 1. qui nondum professi sunt: 2. qui sunt quidem professi, sed inter fratres laicos: 3. qui tamquam proprietarii convicti sunt, siquidem per biennium voce activa et passiva privantur: 4. qui demum ex Ordine Mendicantium ad Ordinem non Mendicantium etiam dispensatione Apostolica transierunt, namque ex Clement. 2.ª de Regular. nec vocem, nec locum habent in Capitulo.

Quod vero pertinet ad eligendos, eligi non possunt nondum expresse professi, et universim Regulares omnes qui eligere nequeunt, nec possunt eligi. Excipe tamen Irregulares, de quibus si censura aut aliud impedimentum non obsit, plerique Doctores dubitant an quemadmodum ad dignitates et officia sive regularia, sive saecularia eligi nequeunt, sic etiam eligere prohibeantur, cum enim irregularitas sit inhabilitas ad ordines suscipiendos, susceptosque exercendos, videntur irregulares eligi haud posse, quod praelaturis et dignitatibus aliquod sacri ordinis munus semper conjunctum sit, sed tamen eligere posse, quod in facienda electione nullum ordinis munus exerceatur. Verum hac in re illud Regularibus peculiare est, quod religiosa professio, quamquam ex natalibus ortam irregularitatem abstergat ad ordines suscipiendos, eos tamen ad dignitates obtinendas habiles et aptos non efficiat. Praeterea ex decreto Cong. Episcop. et Regul. 7. Februarii 1648. Regulares nec voce activa, nec passiva fruuntur « *nisi collocati de familia in aliquo Conventu per tres menses immediate proximos capitulo*

celebrando ibidem perpetuo permanserint. » Cavit item Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de Regular. ne Abbatissae, aut Priorissae, aliaeve Monialium Praefectae crearentur, nisi quadragenariae, et quae octennium saltem religiosae professionis expleverint, jussitque ut Episcopus, aut qui ejus mandato Monialium electionibus praeest, secreta Monialium suffragia e fenestrella colligeret, nec claustra ingrederetur.

Quod ad formam electionis attinet, eadem Tridentina Synodus sancivit, ut electio per vota secreta celebraretur, et eligentium nomina nunquam publicentur; quo quidem decreto sublatae sunt Regularium electiones per inspirationem et compromissum, quod S. Congregatio Concilii saepius declaravit. Caeterum electio per compromissum secretum consistere videtur, quandoquidem ut observat Remigius Maschat Instit. Can. lib. 1. ad titul. de Elect. § 4. « *dispositio Tridentini ad evitandas discordias et inimicitias in Religiosos facta sustulit formam inspirationis et compromissi, dum fiunt per vota publica: si tamen compromissum more scrutinii fiat per vota secreta, non est sublatum per Tridentinum, cum idem finis obtineatur.* » Collatis autem suffragiis omnibus major numerus praevalet; et si nullus a majori parte electus sit, scrutinium iteratur; schedulae vero concremantur. Multa Congregationum decreta de validitate electionum Regularium congessit Ubaldus Giraldi in exposit. Jur. Pontif. part. 2. ad sess. 25. Concil. Trid. cap. 6. de Regular.

Confirmatio ab immediato Superiore petenda est. Hinc Praepositi Generales Ordinum, Abbates, aliique Praelati Regulares exempti, et Apostolicae Sedi immediate subjecti a Pontifice confirmantur, nisi forte privilegio aucti sint, quo ab eorum in electionem consensu plenam jurisdictionem et administrationem sine ulla confirmatione obtineant, eoque privilegio Generales Ordinum Mendi-

cantium donatos esse testatur Passerinus de Elect. cap. 33. Provinciales autem et Abbates, exempti a jurisdictione Episcopi, non tamen Apostolicae Sedi immediate subjecti a Praeposito Generali, Priores et Guardiani a suo Provinciali confirmationem accipiunt. Praelati autem Regulares a jurisdictione Episcopi non exempti ab eodem confirmandi sunt. Pariter Abbatissis et Priorissis Sedi Apostolicae immediate subjectis confirmatio a Pontifice tribuitur, exemptae vero ab Episcopi jurisdictione, sed alicui Virorum Monasterio obnoxiae a Superiore ipsius Monasterii, reliquae omnes ab Episcopo confirmantur. Vide Leurenium in foro Benef. sect. 2. cap. 3. de Confirm. quaest. 461. et 462. Verumtamen hac in re, et in caeteris quae ad Regularium electionem pertinent, speciales Constitutiones, consuetudines et privilegia singulorum Ordinum servanda sunt.

Abbatibus qui Episcopis honore proximi, et quorumdam Episcopalium munerum participes sunt, consecrationis loco benedictio tribuitur, quae ab aliquibus minus proprie consecratio appellatur. Nam benedictio Abbatum characterem Ordinis non imprimit, et ferme in eo tantum consecrationem sequitur, quod iteranda non sit, etiamsi Abbas ad alterius Monasterii regimen eligatur. Abbates Regulares perpetui ex Constit. Benedicti XIII. quae incipit Commissi Nobis infra annum ab electionis die benedictionem juxta ritum in Pontificali Romano praescriptam suscipere debent, nec interea Pontificalibus indumentis, nec ipsorum usu potiuntur, quandoquidem ex Can. 14. Concilii Nicaeni II. et Ordo Presbyteratus et Benedictio Episcopalis in Abbate postulantur, ut minores Ordines conferre possit. Huic tamen Canoni peculiaribus privilegiis interdum derogatur, quod observat Benedictus XIV. de Synodo Dioeces. lib. 2. cap. 11. n. 9. Abbates exempti aut in Curia Romana benedicuntur, aut etiam alibi ex

Summi Pontificis mandato non exempti autem ab Episcopo, in cujus Dioecesi Monasterium positum est, benedicuntur. Quaenam autem sit Abbatum potestas in usu Pontificalium, in collatione minorum Ordinum, in regimine et administratione spirituali et temporali, late disserit Barthel Opuscul. jurid. tom. 2. Opus. 5.

Abbatissae quoque nonnullorum Monasteriorum benedici solent per sacram caeremoniam, in qua Episcopus orat ut Abbatissa electa Monialibus sibi creditis pie sancteque invigilet. Si Abbatissae benedici solitae infra annum a die confirmationis suae benedictionem petere negligant, excidunt omni jure quod consequutae fuerant, Clement. 2.ª de Statu Monac. et Canonic. Regul. Sed Abbatissis in Moniales et Clericos Monasterio addictos nulla est jurisdictio spiritualis, ad quam accipiendam foeminae non sunt idoneae tantummodo quidquam vetare possunt aut jubere, monere et corrigere, quod passim tradunt Interpretes ad Caput Dilecta de Majorit. et Obedient.

Nihil hoc loco dicimus de electione ad Dignitates et reliqua officia Canonicalia, quod ex communi sententia Doctorum necessum non est, ut forma electionis proprie dictae in iis conferendis observetur, et idcirco suffragia palam et aperte ferri possunt et accessu compleri, neque ulla confirmatione opus est. Sufficit enim ut Capitulum collegialiter congregatum, aut major totius Capituli pars in personam idoneam consentiat.

CAPUT VI.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS

§ XLII.

DE ORDINATIONE CLERICORUM

Sed jam videndum est, quemadmodum potestas Ordinis per Sacram Ordinationem conferatur. Ordo latine significat aptam rerum dispositionem, aut gradum quemdam personarum seu dignitatem, unde persona distat a persona, uti Ordo Senatorius, quo Senatores a reliqua plebe distinguebantur. Hac ratione in Ecclesia Ordo Clericalis est gradus quidam personarum, quae ad sacra obeunda mysteria addictae eaque de causa a Laicis distinctae sunt. Quia vero cuique Clerico diversus ordo sive diversa potestas data est, ut alii aliis praestantiores sint, sic pro varietate ordinum, sive potestatis varii sunt etiam gradus Clericorum. Igitur sacra potestas singulorum graduum propria ordo dicitur, modus autem quo potestas tribuitur, sacra ordinatio vocatur, et idcirco quemadmodum effectus a causa, ita ordo ab Ordinatione derivatur.

Quibus positis sacra ordinatio definiri solet, sacer ritus per quem aliquis ex laico fit Clericus, aut ex inferiori ordine Clericatus ad altiorem ordinem promovetur. Ordo autem est « *sacramentum novae legis a Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi ac ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non Sacerdotio*

ex officio inserviendi » quae definitio ex Tridentinis Patribus sess. 23. cap. 1. et. 2. sumpta est. An vero diversi Ordines et majores, et minores per quos veluti per gradus quosdam ad Sacerdotium tenditur, singuli sacramenta sint, an vero soli majores Ordines veri Ordinis Sacramenta dici queant, non reliqui Diaconatu inferiores, controversia est, quae ad Theologos omnino pertinet. Nostrum est de Sacris Ordinationibus disciplinam Ecclesiae dilucide explanare, idque efficere conabimur distinctis paragraphis qui sequuntur.

§ XLIII.

DE LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO

Soli Episcopi jure divino ordinarii sunt Sacrae Ordinationis Ministri. Hanc perpetuam Catholicae Ecclesiae doctrinam firmavit Tridentina Synodus sess. 23. cap. 7. « *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* » Sed in vim privilegii Romanae Sedis simplex Sacerdos potest minorum Ordinum Minister extraordinarius esse. Hinc Cardinales Presbyteratus Ordine insigniti in Ecclesiis suorum titulorum, et Abbates Sacerdotes solemniter benedicti suis subditis regularibus primam tonsuram et minores ordines conferunt.

Episcopi vero etiam haeretici aut schismatici, degradati, aut quocumque scelere inquinati, vel censura irretiti valide Ordines administrant, modo debita forma et materia utantur, et intentionem habeant faciendi quod facit Ecclesia; quia character Episcopalis seu potestas in Ordinatione semel accepta nec deleri potest, nec amitti. Eorum autem Ordinationes sunt illicitae et sacrilegae.

Generatim vero Ordines non licite conferuntur nisi ab Episcopo proprio, scilicet ab eo cui ordinandus subjectus est. Salutaris haec disciplina jam ab initio Ecclesiae viguit, et in Conciliorum Canonibus adeo severe proposita et confirmata est, ut Ordinationes alieni subditi irritae pronunciatae sint, hoc nimirum sensu, quatenus ab Episcopo non suo ordinati susceptorum Ordinum munera explere omnino vetarentur. Ita Concilium Nicaenum I. sancivit can. 17. « *Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet, in sua Ecclesia ordinare, quum non habeat consensum Episcopi ipsius a quo recessit Clericus, irrita* (hoc est illicita) *erit hujusmodi ordinatio.* » Et Concilium Sardicense can. 15. « *Si quis Episcopus ex aliena Parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii Episcopi in aliquo gradu constituere, irrita et infirma hujusmodi constitutio existimetur.* » Haec autem ecclesiastica disciplina aliquibus Canonistis visa est solos Clericos respexisse, non etiam laicos, atque adeo putant ea aetate laicos a quocumque Episcopo ordinari potuisse. Huc referunt Origenis, Hieronymi, Augustini, aliorumque illustrium Virorum exempla, qui adhuc laici inconsultis propriis Episcopis ordinati sunt. Nulla itaque ratio habebatur originis et domicilii, et proprius ordinationis Episcopus evadebat, qui aliquem primum ad ordines promovisset. Sed huic sententiae difficultatem creare videtur Can. 5. Concilii Carthaginensis I. quo Episcopi vetantur non modo Clericum, verum etiam laicum alterius Dioecesis sine consensu Episcopi ordinare. « *Non debere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui, nec apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi de cujus plebe est.* » Quamobrem cum Epigonius Bullensis Episcopus in Concilio Carthaginensi III. conquestus esset, quod Julianus Episcopus Clericum sibi eripuisset, et Dia-

conum ordinasset, quem ipse Epigonius in sua Ecclesia baptizaverat, quem multis annis aluerat, et Lectorem ordinaverat, cum Concilii Patres judicassent id a Juliano inique factum atque indigne, hinc triplex titulus olim fuisse videtur, quo proprius Episcopus censeretur, nempe titulus baptismi seu nativitatis spiritualis, titulus diutinae habitationis, et titulus ordinationis.

Verum quisque fuerit veteris disciplinae titulus, quo aliquis Episcopus proprius haberetur, certum est Bonifacium VIII. generalem regulam edixisse, qua sancivit proprium ad ordines conferendos Episcopum eum fore qui ordinandi Episcopus sit ratione originis, aut beneficii, aut domicilii. « *Cum*, ut ait Cap. 3. de temp. Ordinat. in 6.°, *nullus Clericum parochiae alienae praeter Superioris ipsius licentiam debeat ordinare*; *Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.* » Cui triplici titulo ex Bulla Innocentii XII. Speculatores accessit titulus familiaritatis, atque adeo proprius ordinationis Episcopus nunc est, cui Ordinandus subest ratione originis, aut domicilii, aut beneficii, aut familiaritatis.

Hic vero monendum est, Praelatos saeculares nulla ordinandi potestate praeditos esse, sed suorum subditorum ordinationes pertinere ad Episcopos in quorum Dioecesi eorum territorium continetur; si autem sint vere nullius, et territorium separatum habeant, ordinatio ad Episcopum viciniorem spectat, ad quem subditos suos cum litteris non dimissoriis, sed testimonialibus mittere debent; nisi ex privilegio Apostolico post Tridentinam Synodum obtento, jus concedendi dimissorias consequuti sint. Qua de re confer Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 2. cap. 11. n. 15. et 16.

§ XLIV.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE ORIGINIS

Primo itaque Episcopus ratione originis is esse intelligitur, in cujus Dioecesi aliquis oriundus est. Oriundum enim Bonifacius dixit, non natum, adeoque si quis fortuito in aliquo loco natus sit, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cujusvis alterius temporalis morae, seu permanentiae duorum parentum, tum quidem non ejusmodi fortuita nativitas, sed Patris origo spectanda est. Si quis autem in eo loco ubi fortuito natus est, tanto tempore moram traxerit, ut ibidem potuerit canonico impedimento irretiri, tunc etiam ab ejus loci Ordinario obtinere literas testimoniales debet, quibus ab omni canonico impedimento ibidem contracto declaretur immunis, easque Episcopo ordinanti exhibere, ut in actis Curiae suae conservari jubeat, earumque mentionem faciat in collatorum Ordinum testimonio. Quod si pater in eo loco in quo fortuito natus est filius, tamdiu eoque animo permanserit, ut ibidem vere domicilium de jure contraxerit, tunc non patris origo, sed contractum ab eo domicilium pro filii ordinatione attendi debet. Haec de filiis legitimis. At vero si de filiis illegitimis sermo sit, et super defectu natalium dispensationem obtinuerint, non amplius paternae, sed maternae originis locus attendendus est, etiamsi de patre certo constet, quia illegitimi conditionem matris sequuntur, et ab ipsa certius procedunt. Expositorum autem, quorum scilicet parentes et locus originis ignorantur, habendus est « *originis Episcopus in cujus Dioecesi situm est hospitale in quo alendi et educandi expositi sunt.* » Derelicti vero qui parentum nomen et patriam semper ignorarunt, quod hi

mortui sint peregrinando vel militando, originarii videntur esse Episcopi ejus loci, in quo domicilium primo contraxerunt: quod si nullibi domicilium elegerint, recurrendum erit ad S. Congregationem Concilii pro designatione Episcopi, idemque, quotiescumque de proprio Ordinationis Episcopo aliquod dubium emerserit, faciendum est. Haec autem omnia confirmantur decreto S.ae Congregationis Concilii die 15. Februarii anno 1704, nam consulta « *quod si filius sit illegitimus, vel expositus, vel infidelis baptizatus* » respondit: « *Si I.um attenditur origo matris, si II.um locus in quo fuit expositus, si III.um locus in quo baptisma suscepit.* »

Tandem Neophyti, recens nimirum ad fidem conversi, sive ex gentilibus, sive ex judaeis nati sint, originarii sunt loci in quo Sacro Baptismate regenerantur, ex Constit. Cupientes Pauli III. 21. Martii 1542.

§ XLV.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE DOMICILII

Episcopus proprius ratione domicilii is est, in cujus Dioecesi Ordinandus domicilium habet, quamvis in alia Dioecesi natus sit. Verum domicilii ratio ex diuturna inhabitatione, et ex animo permanendi desumitur. Itaque ex Constitutione Speculatores Innocentii XII. postulatur, ut ordinandus « *vel per decennium saltem in ea Dioecesi habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius se in utroque casu vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.* » Hinc ab animo potius et conjecturis, quam ab

annorum diuturnitate domicilium existimatur. Si quis enim per decennium non animo manendi, sed ex alia causa in aliquo loco moratus sit, domicilium contractum non intelligitur: contra vero si quis lares et fortunas in aliquo loco constituit animo ibidem perpetuo manendi, etiam sine mora decennii domicilium contraxisse putandus est. Quare cum animus permanendi esse nequeat in iis, qui dumtaxat studiorum aut negotiorum causa alicubi morantur, nullum ibi domicilium acquirunt, nec possunt ab Episcopo illius loci ordinari. Qui autem domicilium contraxit, si a propriae originis loco in ea aetate discesserit, ut canonico alicui impedimento obnoxius effici potuerit, testimoniales quoque Ordinarii suae originis litteras Episcopo domicilii exhibere debet, qui mox earum mentionem faciat in collatorum Ordinum attestatione, quod expressis verbis constituit Innocentius XII. citata Constitutione.

Quod si quis diversa domicilia habeat, ex decreto ejusdem S.ae Congregationis Concilii poterit ab alterutro Episcopo ordinari; « *quia utrique subditus est ratione domicilii, modo in iis aequaliter, licet non mathematice habitet.* »

§ XLVI.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE BENEFICII

Episcopus proprius ratione beneficii est Episcopus illius Dioecesis, in qua Clericus Beneficium jam habet et pacifice possidet per se, et sine adjectione alicujus patrimonii aut supplementi ad congruam vitae tuitionem aptum atque sufficiens. Hujusmodi vero sufficientia ex Constit. In supremo Benedicti XIII., si beneficium continuam residentiam postulet, aestimanda est ex taxa Synodali, vel more vigente in eo loco ubi beneficium situm est;

sin autem beneficium residentiale non fuerit, sufficientia praefinienda est ex taxa, aut more vigente in loco ubi beneficiatus domicilium habet. Nomine itaque beneficii venit quodvis sive simplex, sive liberae collationis, sive jurispatronatus, non vero beneficia improprie dicta, pensiones nempe licet perpetuae et ecclesiasticae, neque Cappellaniae manuales, sive ad nutum amovibiles, sive perpetuae, neque mera officia, licet ecclesiastica, neque Commendae aut Coadjutoriae temporariae, sed Commenda perpetua, si non nomen beneficii, at certe naturam habet dum plenam ecclesiastici beneficii administrationem afferat, veroque titulari Commendatarium aequet, idcirco satis esse videtur ut Commendatarius addicatur Episcopo in cujus Dioecesi Commenda posita est, ab eoque possit ordinibus initiari. Quod autem attinet ad Coadjutorias perpetuas seu cum futura successione, Coadjutor vivente quoque Coadjuto ab Episcopo Dioecesis, ubi titulus Coadjutoriae extat, ad ordines rite promovetur aut ratione beneficii ecclesiastici, aut saltem ratione domicilii, quod in residentia Coadjutoriae collocatum esse praesumitur. Quamobrem S. Congregatio Concilii in Tarraconens. Ordinat. diei 1. Julii 1741. respondit: « *Coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere, ut Coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in Constitutione Innocentii XII. incipien.* Speculatores. » Quoniam vero nisi Clericis saltem tonsuratis beneficium ecclesiasticum conferri nequit, illud plane consequitur, quod nemo possit, etsi a patronis praesentatus aut statim beneficio providendus, nisi a proprio originis aut domicilii Episcopo clericali tonsura initiari. Praeterea Clericus ab Episcopo proprio jam tonsura aut ordinibus initiatus, ad superiores Ordines ab alio Episcopo ratione beneficii promovendus non est sine testimonialibus litteris Episcopi proprii et originis et domicilii, easque Episcopo ordinanti exhibere

debet, qui tum earumdem litterarum, tum collati beneficii ejusque redituum in collatorum Ordinum testimonio expresse meminisse jubetur.

Ex quibus omnibus colliges, tria postulari antequam Episcopus ordines conferat ratione beneficii, scilicet pacificam beneficii possessionem, praescriptam redituum quantitatem, et Clericatum.

§ XLVII.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE FAMILIARITATIS

Denique Episcopus fit proprius ratione familiaritatis intuitu illius, quem trium annorum spatio secum habuerit familiarem, et suis sumptibus aluerit. Qua super re Tridentina Synodus sess. 23. cap. 9. de Reform. ita constituit. « *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum commoratus fuerit, et Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsâ illi conferat.* » Mentem Tridentinorum Patrum explicavit Innocentius XII. in Constitutione saepius citata, in qua edixit: 1. Tridentini decretum tum in majorum aut minorum Ordinum, tum etiam in collatione primae tonsurae locum obtinere. 2. Opus esse ut triennium sit integrum et completum. 3. Tum primam tonsuram, tum ordines impertiendos non esse sine litteris testimonialibus Episcopi proprii sive originis, sive domicilii. 4. Beneficium intra terminum unius mensis a die factae ordinationis conferendum, quod Clerico ad honestum cultum et alimenta suppetat. 5. In Ordinationis testimonio de litteris testimonialibus Episcopi proprii, deque familiaritate expressam mentionem faciendam.

Eumdem Tridentini decretum, multis exortis dubitationibus, Congregatio ejusdem Concilii interpretata est,

antequam Constitutio Innocentii XII. in lucem ederetur. Sed plures hujusmodi declarationes per dictam Constitutionem antiquatae sunt. Ita declarationem ab se editam, quod Tridentini lex de beneficio conferendo tum tantum vigeret, cum Episcopus familiarem suum sacris Ordinibus inauguraret sine ulla Ecclesiae suae necessitate aut utilitate, eadem Congregatio rescidit contraria declaratione in Tricaricen. 27. Julii 1697. in qua proposito dubio: « *An stante novissima Constitutione Innocentii XII. possit Episcopus familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiae nullo collato beneficio* »: respondit « *Negative* ».

Ita Episcopus nequit familiari suo super defectu natalium, vel interstitiis dispensationem largiri ut eum ad recipiendam primam tonsuram aut minores ordines aptum reddat; propterea quod Episcopus erga suum familiarem auctus est privilegio conferendi ordines, non dispensandi: privilegia vero tanti valent, quantum verba sonant. Sed Episcopus titularis ne privilegio quidem donatur familiarem suum ad ordines promovendi, quod apertis verbis sancitum est a Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. de Reform.

§ XLVIII.

DE EPISCOPO PROPRIO REGULARIUM

Proprius ordinandorum Regularium Episcopus est, in cujus Dioecesi Monasterium aut domus religiosa constructa est. Sed ob oculos in primis habenda sunt, quae Clemens VIII. in suo Decreto per Congregationem Concilii die 15. Martii 1596. edito, et Benedictus XIV. in sua Constitut. Inpositi sub die 27. Februarii 1741. de-

creverunt, quorum omnium summa est. 1. Praelati Regulares subditis suis Regularibus qui ordines suscipere cupiant et requisitis dotibus praediti sint, litteras dimissoriales ad Episcopum Dioecesanum, ejus nempe loci in quo Monasterium existit, non vero ad Episcopum alium concedere debent. 2. Si Episcopus Dioecesanus abfuerit, aut ordinationes proximo legitimo tempore non sit habiturus, Praelatis Regularibus integrum est litteras dimissoriales ad quemcumque Episcopum dare, ut ab eo Regularis Subditus ordines suscipere possit. 3. In eisdem dimissoriis inseri debet authenticum testimonium Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ipsius Episcopi Dioecesani, ex quo plane constet eumdem Episcopum vel a Dioecesi abesse, vel proximo legitimo tempore Sacras Ordinationes habiturum non esse. 4. Regularis, quod ad doctrinam attinet, diligenti examine probandus est ab Episcopo qui ordines contulerit. 5. Qui secus egerint, multis canonicis poenis ipso facto afficiuntur. 6. Denique privilegia Regularium ordines a quocumque Episcopo suscipiendi nullius roboris et momenti sunt, nisi post Tridentinam Synodum directe et nominatim, non vero per communicationem concessa sint, vel in forma specifica cum literali veteris Indulti insertione, ejusque expressa innovatione fuerint restituta et confirmata.

Num vero Regulares omnes privilegio fruantur, quod dicitur *extra tempora*, hoc est num ordinari possint extra tempora a jure statuta etiam post praedictam Constitutionem Benedicti XIV., aliqui Doctores disputant, de quo confer Ubaldum Giraldi in Expositione Juris Pontificii edit. romana 1769. Part. II. sess. 95.

§ XLIX.

DE LITTERIS DIMISSORIIS

Si Episcopus proprius Saecularium Sacras Ordinationes habiturus non sit, tum jure suo poterit sibi subditos ad alium Episcopum ordinandos dimittere litteris datis, quae idcirco *dimissoriae* dicuntur. Itaque litterae dimissoriae sunt delegatio facultatis conferendi Ordines, atque ideo ipsarum concessio potius ad jurisdictionem Episcopalem, quam ad Ordinis potestatem pertinet. Tridentina Synodus edicit, ut proprii Episcopi qui ex justa causa ordinationem non habeant « *subditos suos non aliter quam jam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* » Igitur necessum est, ut praeter delegationem conferendi ordines, testimonium etiam tum de legitimis natalibus, aetate, moribus, aliisque dotibus, tum etiam de examine super doctrina, deque approbatione eisdem litteris contineatur. » *An vero Episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse et idoneos repertos, teneatur hujusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem ordinandos iterum examinare*: » celebre est dubium propositum S. Congregationi Concilii in causa NULLIUS 16. Januarii 1595. ubi responsum prodiit « *posse Episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed non teneri.* » Non tamen expedit, ut Episcopus ad quem literae dimissoriae datae sunt, de Ordinandi idoneitate periculum faciat, tum quia significaret Episcopi dimittentis judicium sibi suspectum esse, tum quia contingere posset, ut unus et idem a diversis Episcopis approbaretur et reprobaretur. At si Episcopus jure meritoque timeat, ne Ordinandus ad se dimissus aut illiteratus,

aut indignus sit, procul dubio ab imponendis manibus abstinere debet, nisi primum Ordinandi doctrinam aut vitam probaverit, namque indignum ordinans peccatis alienis communicaret. Episcopus autem Suffraganeus quamquam non possit omnino illos examini subjicere, quorum sibi ordinatio ab Episcopo Dioecesano commissa est, verumtamen, si causa subsit, et ipse potest atque etiam debet a collatione Ordinum abstinere; quod S. Congregatio Concilii censuit in causa Elboren. dubiorum diei 22. Augusti 1721.

At vero litterae dimissoriae, nisi ad tempus tributae sint, vi sua consistunt, licet aut morte, aut alio modo concedentis potestas intereat: qui tamen dedit, ejusque Successor datas litteras potest re adhuc integra revocare. De caetero satius est dimissorias litteras concedere certo definito tempore, intra quod ordines suscipi debeant, cum fieri possit, ut mores ordinandi post aliquod tempus immutentur.

§ L.

DE ORDINIBUS GRADATIM CONFERENDIS

In veteri Ecclesiae disciplina Majores Ordines interdum collati sunt omissis gradibus inferioribus, cum nimirum Clericus inferiori Ordini addictus, si altiorem ordinem promereri videretur, ad illum promovebatur, quin porro intermedio ordini initiaretur; nec talis ordinatio illicita habebatur, neque ordo qui deerat, supplebatur: qua de re confer Thomassinum de nov. et vet. Eccl. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 35. Ad rem S. Thomas in supp. quaest. 35. art. 5. « *In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperunt, et tamen poterant omnia quae inferiores ordines*

possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiore virtute, sicut sensus in intellectu, ducatus in regno. » Hodie vero ex capit. unico de Clerico per saltum promoto, et Tridentina Synodus sess. 23. cap. 14. de Reform. ordines gradatim conferendi sunt ab inferioribus ad superiores progrediendo. Qui praetermisso ordine inferiore ad majorem promovetur, veluti si Subdiaconus omisso Diaconatu Presbyter ordinetur, per saltum ordinatus dicitur, et ordinatio hujusmodi illicita est, licet non sit invalida, « *quia potestates sunt distinctae et una quantum est de sui ratione non requirit aliam in eodem subiecto* » ait S. Thomas in 4.^um^ distin. 24. q. 1. art. 2. q. 5. At si Episcopatus, omisso Presbyteratu, collatus sit, tum collatio et illicita et invalida habenda est, de quo supra diximus §. XL. Itaque initiati per saltum ordinibus Episcopatu inferioribus accipiunt quidem ordinem, sed ab ordinis usu suspensi sunt, donec acta poenitentia, et suppletis ordinibus omissis officium male suscepti ordinis ab Episcopo impetraverint. Verum ex Concilio Trid. cit. loco « *cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare* » namque si ministraverint, irregulares fiunt, et Summo tantum Pontifici facultas dispensandi reservatur.

§ LI.

DE INTERSTITIIS

Ordines non modo gradatim conferendi, verum etiam inter unius et alterius ordinis collationem certa temporum spatia, quae *interstitia* vocantur, intercedere debent, tum ut Clerici in unoquoque Ordine sive minore, sive majore sese exerceant, et paullatim virtutem acquirant Sacerdotio consentaneam, tum etiam ut in ordine susce-

pto diutius immorantes probari possint, num digni sint qui ad superiorem ordinem promoveantur. Interstitium, seu spatium quod inter Acolytatum et Subdiaconatum intercedere debet, est spatium integri unius anni, idemque temporis spatium in singulis majoribus Ordinibus servandum est. Sed interstitia inter Minores Ordines prudenti arbitrio Episcopi relicta sunt; quandoquidem Tridentinum sess. 23. cap. 11. de Reform. sic habet. « *Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* » Eadem quoque Synodus Episcopis permisit ut super Majorum Ordinum interstitiis dispensarent; sed ita quidem ut pro dispensatione interstitii Subdiaconatum inter et Diaconatum prudentem et rationabilem causam postulet « *nisi aliud Episcopo videatur* »: pro dispensatione inter minores Ordines et Subdiaconatum aut necessitatem aut utilitatem Ecclesiae requirat « *nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi illud exposcat* »: et pro dispensatione Diaconatum inter et Presbyteratum necessitatem et utilitatem Ecclesiae conjunctim poscat « *nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur* ». Episcopus autem suis tantum subditis interstitiorum tempora contrahit. Quamobrem alienum Subditum cum dimissoriis litteris Episcopi proprii Ordinibus initiari nequit, interstitiorum tempore nondum exacto, nisi Episcopus proprius abs se concessam dispensationem in eisdem litteris declaraverit. Item subditis regularibus non ipsorum Praelatus, sed Episcopus Dioecesanus eam dispensationem largitur. Sed Episcopi potestas in contrahendis interstitiis non ita porrigitur, ut eadem die duo Majores Ordines, aut unus vel plures minores una cum Subdiaconatu conferantur. Minores autem, si Episcopo videatur, vel uno die conferre licebit.

§ LII.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM

Gelasius Papa ep.ª ad Episcopos Lucaniae cap. 11. Ordinationum tempora constituit: « *Ordinationes Presbyterorum et Diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii ac mediana quadragesimae die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* » Haec itaque tempora sunt jejunium quarti mensis, hoc est Junii, qui quartus est mensis a Martio, unde veteres Christiani annum inchoabant; et jejunium mensis septimi, hoc est Septembris: decimi hoc est Decembris, initium et medium Quadragesimae. Ex his quinque ad conferendos majores Ordines temporibus unum mutatum est, et unum additum, nempe ordinatio mediae Quadragesimae in Sabbatum ante Dominicam Passionis translata est, et Sabbatum Sanctum inter legitima habendae Ordinationis tempora relatum est, quod constat ex Alexandri III. rescripto cap. 3. de temp. ordinat. « *Ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione nulli Episcoporum praeter quam Romano Pontifici licet aliquos ordinare.* » Igitur ad Ordinationes constituta sunt tempora quae jejunando transigimus, quin imo quatuor temporum jejunium Ordinationis causa institutum est. Sed « *licitum est Episcopis Dominicis et aliis festivis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere,* » ut Alexander III. respondit citato cap. 3. de temp. ordinat. in illa verba « *unum aut duos promovere;* » Glossa haec habet « *Numquid plures? Utique, dummodo non videatur generalis ordinatio.* » Quae interpretatio communiter recepta est. Clericatus autem sive

prima tonsura quacumque die, hora et loco conferri potest.

Si quis autem Ordinibus Majoribus sine venia Pontificis extra tempora initietur, ex capp. 2. et 8. de temp. ordinat. Episcopus ordinans auctoritate ordinandi privandus est, et ordinatus ab officio ordinum suspendendus, donec a Summo Pontifice in suos gradus restituantur. At Gregorius IX. cap. 16. eod. videtur permisisse, ut contra Canones extra tempora ordinati, si poenituerint, ex venia Episcopi qui ejus ordinationis nulla culpa teneatur, in susceptis ordinibus possent ministrare. Pius II. autem extra tempora ordinatos ipso jure suspensos pronunciavit, et Sixtus V. ejus suspensionis relaxationem uni Pontifici reservavit, aliasque poenas et censuras contra Ordinantes et Ordinatos sancivit. Verumtamen Clemens VIII. in sua Constitut. Romanum Pontificem poenas a Sixto constitutas ad antiquos juris terminos revocavit.

In collectione Decretorum Congregationis S. Rituum haec habentur: « *Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis; hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores?* » Responsum est die 12. Novembris 1851. « *Affirmative ad primam partem, et etiam ad secundam, sed mane tantum.* »

§ LIII.

DE TITULO ORDINATIONIS

Apud Scriptores ecclesiasticos Tituli vocantur Ecclesiae vel a titulis seu nominibus Sanctorum, quibus dicantur, vel ab ipsis Clericis, qui suum inde titulum et nomen accipiebant. Itaque titulus Ordinationis est Ec-

clesia, cui Clericus in sua Ordinatione adscribebatur, ubi propria sui ordinis officia obiret.

Ex antiqua Ecclesiae disciplina nemo unus ordinari poterat sine titulo, hoc est sine certa Ecclesia cujus ministerio addiceretur. Neque amplius licebat Clerico Ecclesiam illam deserere: idque si forte fecisset sine venia et litteris Episcopi sui, ab aliis Episcopis excipi non poterat, eoque unde discesserat, redire cogebatur; secus enim usu ordinum cadebat, et excipientes Episcopi excommunicabantur. Sed quemadmodum Clericus perpetua in sua Ecclesia assiduitate tenebatur, sic etiam jus acquirebat ex reditibus ipsius Ecclesiae accipiendi quae pro ratione officii sui ad victum et cultum suppeterent. Ergo titulus duplicem obligationem pariebat: Clericus obstringebatur ad serviendum perpetuo Ecclesiae, Ecclesia vero ad alimenta Clerico suppeditanda.

§ LIV.

DE TITULO BENEFICII ET PATRIMONII

Beneficiis erectis, eisque in titulum Ordinationis assignatis vetus Ecclesiae disciplina nonnihil immutata est, sed prorsus non interiit; namque beneficia ecclesiastica quae residentiam postulant, et Clericum cujusdam certae Ecclesiae ministerio alligant, et jus tribuunt percipiendi fructus beneficii; aut si beneficia ejus generis sint, quae simplicia vocamus, etsi Clericum perpetuo Ecclesiae defixum non teneant, ipsum tamen alicui spirituali officio addicunt, cum beneficium, ut ajunt, detur propter officium.

Cum vero plures Diocceses ecclesiasticorum beneficiorum parum feraces, aliaeque penitus destitutae essent, illud perspectum est, quod si unicus beneficii ti-

tulus reliquus esset, facile contingere poterat, ut aliquae Dioeceses spiritualibus auxiliis carerent, et idcirco factum est, ut Clerici propter Ecclesiae necessitatem aut utilitatem ad titulum patrimonii aut pensionis ecclesiasticae et perpetuae ordinarentur. Itaque titulus patrimonii per indulgentiam et dispensationem quamdam a Tridentinis Patribus permissus est, cum nempe necessitas vel commodum Ecclesiae postulaverit; et proinde sublata est Decretalis Innocentii III. in cap. 23. de Praebend. in qua pro arbitrio Episcoporum, nulla etiam necessitate vel Ecclesiae utilitate suadente, concessum erat Clericos sive ad beneficii sive ad patrimonii titulum promovere, quod recte observat Fagnanus ad cap. 4. de Praeben. et Dignit. n. 24. Tum vero Clerici titulo patrimonii ordinantur non modo ut congruam sustentationem habeant, verum etiam ut Ecclesiae serviant, cujus utilitate vel necessitate ordinantur; et idcirco sive Clericus ad titulum Beneficii, sive ad titulum Patrimonii ordinibus initietur, una semper ratio est, quamobrem ordinatur, scilicet Ecclesiae ministerium, cujus gratia ordines conferuntur.

Nemo ordinari potest quin titulum habeat, et Episcopus qui sciens et prudens sine titulo Beneficii, aut patrimonii, aut pensionis ordines conferat, cogitur honestum cultum et victum ordinato Clerico, donec titulum assequatur, suppeditare. Clericus autem, qui Episcopum decipit aut falso, aut simulato oblato titulo (quod praesertim in constitutione patrimonii committitur, cum ejus bona aut annui fructus pluris aestimantur quam reapse sint) a susceptis ordinibus suspenditur, quamdiu integrum et legitimum titulum exhibuerit.

Quia vero turpe et indecorum est. Clericos etiam in minoribus Ordinibus constitutos aut emendicare, aut sordido aliquo munere sibi victum comparare, ideo nec Clerici minores ordinandi sunt, qui carent titulo unde

vivant; quod expresse tradit Glossa in cap. 2. de Praeben. et Dignit. Sed forsitan ob eam causam, quod minores Clerici ab incepto desistere possunt, factum est, ut totum hujusmodi negotium arbitrio et prudentiae Episcoporum relinqueretur.

Sed oportet ut Beneficium, aut Patrimonium, aut Pensio honestae Clerici tuitioni sufficiat. Quanta vero fructuum copia honestae sustentationi sufficiat, ex Synodali taxa vel locorum consuetudine colligendum est. Cum autem taxa Synodalis aut consuetudo pro variis locorum moribus alibi major, et alibi minor sit, Innocentius XII. in sua Constitut. Apostolici Ministerii declaravit « *sufficientiam hujusmodi praefiniendam esse non juxta taxam Synodalem, seu morem vigentem in loco beneficii, nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat, sed juxta taxam, vel ea deficiente juxta morem in loco domicilii vigentem.* » Fructus autem per Synodalem taxam vel consuetudinem praefiniti ab omni onere vacui atque puri esse debent. An vero etiam onera Missarum detrahenda sint, ambiguum olim fuit, sed Congregatio Concilii eam rem conscientiae et arbitrio Ordinariorum relinquendam putavit: confer Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 12. cap. 9. An vero hujusmodi fructus ex uno, an ex duobus Beneficiis obveniant, nihil ad rem interest, quin imo fructus Beneficii, si satis non sint, adjectione patrimonii in eo quod deficit, expleri possunt.

Denique necesse est: 1. ut titulus ordinationis pacifice et immobiliter possideatur, quia subsidium vitae Clericalis discrimini committendum non est, et idcirco bona et jura litigiosa, Vicariae et Cappellaniae ad nutum amovibiles in titulum conferri non possunt. 2. Ut fundetur in bonis stabilibus et certis: sic ad titulum constituendum non valent bona mobilia et semoventia, neque proventus qui industria et honesto labore comparantur.

3. Ut eadem bona frugifera et stabilia nullo aere alieno gravata, nullaque hypotheca affecta sint; et si patrimonium in censibus constituatur, constituentes in forma juris valida promittere et recipere debent, se Clerico, si census redimatur, copiam victus suppeditaturos, donec pecunia ipsius census aut in novis censibus, aut in fundis frugiferis collocetur. Ad haec Tridentina Synodus sess. 21. cap. 2. de Reform. constituit, ut Clericus « *beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad istius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit.* » Similiter ut ordinati ad titulum patrimonii vel pensionis « *patrimonium illud, vel pensionem sine licentia Episcopi alienare, aut extinguere, vel remittere nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.* » Quin imo decreto ipsius Episcopi opus est, quo aut beneficium, aut bona a Clerico adepta in locum prioris tituli subrogentur, etiamsi patrimonium constitutum sit ea conditione « *donec et quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico, aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat, quo casu eveniente patrimonium redeat ad constituentem absque ulla declaratione* »; quandoquidem ea conditione non obstante semper prior titulus viget, quoad Episcopus novum titulum subrogaverit, quod saepius Congregatio Concilii declaravit.

§ LV.

DE TITULO PAUPERTATIS ET MENSAE COMMUNIS

Praeter recensitos S.ae Ordinationis titulos qui ad Clericos saeculares spectant, unus adhuc vel alter titulus superest quo caeteri Clerici communem vitam agentes

ordinari solent. Verum ex his Clericis alii nulla vota nuncupant vel tantum simplicia, alii vero solemnibus votis in probata Religione profitentur. Posteriores ordinantur ad titulum Religiosae professionis, vi cujus abdicata rerum omnium proprietate vel ex reditibus bonorum si quae Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam indigent. Priores vero qui more Regularium in communi vitae disciplina degentes aut nunquam, aut ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro seu domo religiosa exire vel dimitti, atque ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis hujusmodi praetextu sine titulo Beneficii, patrimonii, aut pensionis nequeunt sacris Ordinibus initiari; quod sancitum est a S. Pio V. in sua Constitut. Romanus Pontifex, nisi speciali privilegio Apostolicae Sedis aucti sint, quo ad titulum ejus Congregationis cui nomen dederunt, et unde subsidia vitae percipiunt, promoveri possint; quod quidem privilegium Patribus Congregationis Missionis, aliisque Congregationibus concessum est, ut proinde ipsarum Alumni ad titulum Mensae Collegialis, aut Mensae communis vel Missionis ordinentur.

Ab hoc titulo multum distat *titulus mensae* simpliciter dictus, quo Principes, Comites, aliique Viri Nobiles atque etiam Communitates litteris patentibus se obstringunt ad praestanda honesta alimenta Clerico qui beneficio aut sufficienti patrimonio careat. Hic titulus non jure scripto, sed quadam consuetudine obtinuit in Germania, verum in Italia nostra non admittitur ex declaratione Congregationis Concilii in Florentina 28. Junii 1704.

Si quis autem postquam Ordinibus sacris ad titulum Religiosae paupertatis aut mensae communis initiatus est, ab Ordine Regulari vel Congregatione legitime recedat aut dimittatur, sacris operari non permittitur, donec sibi certum et sufficiens patrimonium comparaverit.

CAPUT VII.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT

§ LVI.

DE IRREGULARITATIBUS

Non omnibus qui petunt, aditus ad ordines aperiendus est. Nonnulli enim ad ordines promoveri non possunt, et eorum ordinatio non modo illicita, verum etiam invalida omnino esset. Hujusmodi sunt nondum baptizati, et mulieres; ordinum enim sunt incapaces. Alii vero ordinibus recipiendis sunt inhabiles; si tamen ordinentur, illicite quidem sed valide ordinantur. Hos Nicaena Synodus I.ª can. 12. alienos a canone seu regula dixit, et Innocentius III. irregulares appellavit, quatenus ecclesiastica regula eisdem impedimento est, quominus ordinentur; et si promoti sint, quominus susceptos ordines exerceant. Igitur irregularitas definitur: — impedimentum canonicum, quo ordinum susceptio, eorumque usus si suscepti fuerint, interdicitur. — Ex qua definitione consequitur: 1. Irregularitatem quoque contrahi sine delicto; quod aliquis non criminosus, sed vitio corporis aut animi impedimento a regula alienus esse potest. 2. Omnem irregularitatem a jure esse nullam ab homine, cum sit impedimentum canonicum, quod a canone seu lege ecclesiastica constituitur, adeoque neminem irregularitate ligari nisi casibus jure expressis, quod diserte innuit Bonifacius VIII. Cap. Is qui de sent. excomm. in 6.° illis

verbis « *licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit.* »

3. Irregularitatem tum ordinum susceptioni, tum eorum usui directe obstare; indirecte vero obstare atque impedire, quominus beneficia ecclesiastica consequamur, dum ineptos et inhabiles reddit ad suscipiendos vel exercendos ordines, quos beneficium postulat.

Variae sunt irregularitatis species, sed omnis irregularitas vel ex defectu est, vel ex delicto, et idcirco ad haec duo capita omnis tractatio revocatur. Irregularitatem ex defectu gignit defectus natalium, animi, corporis, aetatis, libertatis, famae et lenitatis, quibus adde reddendis rationibus obstrictos et bigamos. Irregularitatem ex delicto pariunt homicidium, iteratio Baptismatis, indigna ordinum susceptio, pravus eorumdem ordinum usus, violatio censurarum, et demum haeresis: de quibus singillatim dicendum est.

§ LVII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU NATALIUM

Ex defectu natalium irregulares sunt illegitimi, videlicet extra legitimas nuptias procreati. In veteri disciplina nemo qui dignus esset, ob natalium defectum ab ordinibus et beneficiis ecclesiasticis arcebatur, quod multis veterum Patrum testimoniis ostendit Gratianus dist. 56. At saeculo praesertim undecimo cum Clerici meretrices et concubinas alerent, et filii ex nefando concubitu nati beneficia paterna mortuis parentibus obtinebant, sive occupabant, et Duces etiam et Comites, ut ait Christianus Lupus, « *suos passim ex ancillis bastardos violenter intruderent in sacras dignitates, atque ita servili simul et adulterino sanguine faedarent Ecclesias;* » primo quidem

filii Presbyterorum, dein quilibet ex vetito concubitu nati, irregulares pronunciati sunt « *ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur* » quae verba sunt Concilii Trid. sess. 25. cap. 15. de Reform.

Sed illegitimi habendi non sunt filii ex justis nuptiis ante Sacerdotium geniti, nec proinde ab ordinibus et beneficiis repelluntur: tantummodo ad suspicionem haereditariae successionis avertendam nequeunt beneficia consequi, quae pater obtinuit, nisi media persona intercesserit. Neque illegitimi putantur infidelium filii, licet nuptiae in gradibus ab Ecclesia prohibitis initae sint, modo in ratione naturalis et civilis contractus valeant, quod docuit Innocent. III. cap. ultimo, qui filii sint legit., neque demum illegitimis accensendi sunt, qui ex matrimonio ob dirimens impedimentum nullo quidem et invalido geniti sunt, si tamen uterque aut alteruter conjugum impedimentum invincibiliter ignoraverit; idque locum obtinet, etiamsi impedimentum postea compertum sit, et conjuges sententia Judicis invicem separati, cap. 2. et 14. eod. titulo. At si parentes aut clandestinas nuptias inierint, aut denunciationes omiserint, non censentur bona fide contraxisse, unde filiis nocent qui illegitimi et irregulares traducuntur.

Jam vero irregularitas ex defectu natalium orta tribus modis abstergitur. Primo quidem religiosa professione: si enim illegitimus aut monachus fiat, aut in Congregatione canonica regulariter vivat, ad sacros ordines, non vero ad praelaturas licite promovetur. 2. Legitimatione, sive per subsequens matrimonium, sive per Romani Pontificis rescriptum, nam saecularium Principum rescripta ad effectus civiles tantummodo valent. 3. Demum dispensatione, quam pro minoribus Ordinibus et simplicibus Beneficiis Episcopus recte tribuit; ad ordines vero ma-

jores, et ad Beneficia quibus animarum cura immineat, dispensatione Pontificis opus est.

§ LVIII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU ANIMI

Defectu animi irregulares sunt qui carent ratione, scientia et fide confirmata. Primo itaque ob defectum rationis irregularitate ligantur dementes et furiosi, licet amentia aut furor intermissionem aliquam interdum faciat, quibus accensendi sunt lunatici et energumeni, seu daemoniaci, quod rationis usum intercisum et veluti dimidiatum habeant, et epileptici sive morbo comitiali laborantes, si praesertim eo morbo post decimum quartum aetatis annum correpti sint, quo casu ab ordinibus perpetuo excluduntur, ideo quod pubertate expleta vix aut nunquam epilepsia curetur. Quod si sacris ordinibus jam susceptis morbus superveniat, vetatur epilepticus rem divinam facere, nisi morbus integro anni spatio omnino cessaverit, et sacris daturus operam Sacerdotem jejunum sibi adjungat, qui sacrificium perficiat, si forte epilepticus pristino morbo corripiatur. 2. Defectu scientiae irregulares sunt inscii literarum; qui enim scientiam repellit, ab altari repellendus est. Episcoporum autem est judicare qua quisque scientia pro diversis ordinibus praestare debeat. 3. Demum ob defectum fidei confirmatae promoveri non possunt neophyti, hoc est nuper per baptismum in Christo geniti, quandoquidem ipsorum constantia in fide adhuc dubia et incerta est; neque inter Magistros et Doctores populi collocandus qui necdum discipulus extitit. Apostolus ipse vetuit neophytos ad Sacerdotium evehi « *ne in superbiam elati in judicium incidant diaboli* » 1.ª ad Timoth. cap. 3. Quanto vero tem-

pore neophyti probandi sint, jura non explicant ut recte sentire videantur, qui eam rem prudenti arbitrio Episcopi relinquunt. Ob eumdem fidei confirmatae defectum arcentur in aegritudine baptizati, Clinici dicti quorum magna copia olim fuit. De quibus conceptus est Can. 1. distin. 57. apud Gratianum: « *Si quis in aegritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi postea forte ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* »

§ LIX.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU CORPORIS

Ea semper fuit Graecorum disciplina ut vitia corporis irregularitatem non inducerent, nisi ejus generis essent, quae usum Ordinis impediret. Primis quoque saeculis eadem disciplina obtinuit in Ecclesia latina, et forsitan ob eam causam, quod persecutionibus ea tempestate furentibus plures ob confessionem fidei detrimenta corporis patiebantur; quamobrem eo ipso defectu corporis summopere commendandi, nec proinde ab Ordinibus arcendi. At reddita Ecclesiae pace disciplina quoque immutata est, et Ecclesia latina leges jussit quibus corpore vitiati ab Ordinibus arcerentur. Sed non omnes defectus corporis irregularitatem pariunt, sed illi tantum qui aut sacro muneri obeundo impares faciunt, aut eam corporis deformitatem afferunt, ut horrorem aut risum moveant. Utramque hujus irregularitatis causam complexus est Eugenius III. Cap. Presbyter de Cler. aegrot. ubi Presbytero, cui media palma cum duobus digitis abscissa fuerat celebrare non permittitur, quia « *nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri*

hoc fieri potest. » Itaque propter corporis debilitatem aut membrorum jacturam irregulares sunt caeci et muti, carentes brachio aut pede, aut etiam digitis ad hostiam frangendam necessariis; paralytici aut manus ita tremulas habentes ut sine periculo effusionis calicis celebrare non possint, et vini abstemii, ut evomendi periculum adsit. Ob deformitatem irregulares sunt insigniter claudicantes, perridicule gibbi, aut pusilli, leprosi, uno oculo orbati praesertim sinistro, quem canonis oculum dicunt: necesse siquidem est ut sinistro oculo carentes vultum indecore contorqueant ad legendum Canonem. At si ambiguum sit, num corporis defectus, aut sacris ministeriis impedimento sit, aut gravem deformitatem et offensionem pariat, judicium ab Episcopo ferendum est, dispensatio autem, quatenus opus sit, ad Rom. Pontificem pertinet.

Verumtamen ratio habenda est defectuum, qui Ordines et Beneficia antecedunt, et eorum qui subsequuntur. Defectus enim qui Ordines et tonsuram praeiverint, ab omni ordine prorsus excludunt: qui vero subsequuti sunt ab usu ordinum arcent, quorum obeundis functionibus imparem reddunt. Rursus defectus qui tonsuram praecesserint, ad omnia beneficia irregularitatem inducunt; qui vero deinde contrahuntur, ab iis tantum beneficiis submovent, quorum explendis officiis impedimento sunt. Nemo autem beneficio privandus est ob defectum quo deinde afficiatur, « *cum afflicto non sit addenda afflictio, sed ejus miseriae miserendum* » cap. 5. de Cler. aegrot.

§ LX.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU AETATIS

Immatura aetas a canone excludit, quod inordinatum est, eum ordinibus initiare, qui per aetatem ad obeunda Ordinum munera ineptus est. Aetas vero ad singulos ordines suscipiendos haec est: vigesimus quintus ad Sacerdotium, vigesimus tertius ad Diaconatum, vigesimus secundus ad Subdiaconatum, et trigesimus ad Episcopatum; sed in Episcopatu annum jam expletum esse oportet, cap. 7. de Elect.; in reliquis Ordinibus inceptus habetur pro completo. Nulla pro tonsura et minoribus Ordinibus aetas constituta est, aut saltem dispositio Sacrorum Canonum adeo est ambigua ut Interpretes non consentiant inter se. Sed communi Ecclesiae praxi, quae est optima juris interpres, Tonsura et Minores Ordines expleto septennio conferuntur. Favet Pontificale Romanum Rubrica de Ordin. confer. ubi ait: « *Prima tonsura et Minores Ordines ante septimum annum completum dari non debent.* » Super irregularitate ex defectu aetatis solus Pontifex dispensat. Si quis autem non impetrata dispensatione Ordinibus sacris initietur, usu suscepti Ordinis usque ad legitimam aetatem suspenditur, et si durante suspensione in Ordine suscepto ministraverit, a canone alienus evadit. Ordinans autem jure ipso non suspenditur, sed suspensio a collatione ordinum in eum irroganda est, cap. 14. de temp. ordin. At si Laicum ante septennium expletum Clericali tonsura initiaverit, per annum a collatione ipsius tonsurae jure ipso interdicitur, cap. fin. eod. tit. in 6.° Verum hujusmodi poenis non afficiuntur qui culpa vacant, veluti si quis in errorem inductus testimonio parentum, aut alio legitimo documento ante canonicam aetatem ordinetur.

§ LXI.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LIBERTATIS

Servi ob conditionis vilitatem, et praesertim ob vinculum servitutis, quo suis dominis adstringuntur, per S. Canones ab ordinibus arcentur. Si tamen aliud nihil obstet, et domini voluntas accesserit, liberi et ingenui fiunt, et suscipiendis Ordinibus habiles. Quod si inconsultis omnino dominis, aut contradicentibus servus ordinetur « *decretum est ut deponatur et ejus dominus eum recipiat*: » ut dicitur cap. 2. de serv. non ordinan. quod tamen interpretes accipiunt de servis qui minoribus ordinibus initiati sunt. Namque in sacris Ordinibus constituti in servitutem non revocantur, quod Justinianus constituerat, sed ex regulis ecclesiasticis in ordine suscepto permanent, verum Episcopus qui sciens ordinavit, vel ii qui ignorantia aut dolo testimonium de libertate servi Episcopo dixerunt, duplici satisfactione compensare debent, can. 19. distinct. 54., videlicet domino aut duos servos alios vel duplum pretii in damni reparationem tribuendo. Sed haec de servis satis sint, quorum pene amisimus usum.

§ LXII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU FAMAE

Trita est juris regula « *infamibus non pateant portae dignitatum.* » Itaque infames cum a publicis et civilibus officiis, tum etiam ab ordinibus ecclesiasticis merito repelluntur. Infamia vero aut juris est, aut facti. Infamia juris tribus modis inducitur. 1. Ob crimen perpetratum,

cui civili, aut, uti aliqui putant, ecclesiastica lege infamiae dedecus inhaeret, dummodo et sententia Judicis declaratoria criminis accesserit. Item vocati in crimen furti, rapinae, expilatae haereditatis et hujusmodi criminum, quae nec jure publica sint, nec famosa, ob sententiam condemnatoriam infamiae macula notantur, L. INFAMEM 7.ª ff. de publ. Jud. 2. Ob infamem poenam, qua quis mulctatus est, si e. g. ad triremes condemnetur. 3. Ob exercitium artis cui turpitudinis nota inusta est, sicuti ars mimi, histrionis, foeneratoris et hujusmodi. Infamia facti est, dum aliquis reus alicujus criminis promulgatur, quo apud graves et honestos viros fama et existimatione decidit, etiamsi judex sententiam non tulerit. Ex quibus colliges occulta crimina auctoribus suis infamiam nullam inurere, cum nemo ex occulto crimine diffametur. Si quis igitur hominem clanculum interfecerit, non quidem ex defectu famae, sed tantum ex defectu lenitatis irregularis habendus erit. Jam vero infamia facti per publicam morum emendationem abstergitur; sed infamia juris tollitur aut sententia Judicis, qua innocens pronuncietur qui falsis testibus, vel praesumptionibus oppressus damnationis judicium subierit, aut Pontificis dispensatione, quae jam promotis, ut possint sacro ministerio fungi, raro admodum conceditur et ferme nunquam promovendis, qui non ordinis usum, sed ipsos ordines postulant; tum vero utroque casu spes omnis dispensationis recisa est, si aut nulla poenitentiae edita signa, aut dispensatio futura sit populo offensioni et scandalo.

§ LXIII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LENITATIS

Immites quoque irregulares sunt, qui scilicet morti aut humani sanguinis effusioni causam aliquam, licet justam et legitimam praebuerunt. Mite enim est ingenium Ecclesiae, nec permittit immites esse ministros incruentae et coelestis victimae, quae tantum abest ut sibi injurias illatas ulta sit, ut potius pro suis persecutoribus vitam fuderit. Igitur alieni a canone sunt: 1. Judices qui sententiam mortis aut mutilationis pronunciant, eorumque assessores qui suffragium aut consilium conferunt, si tamen sententia ad effectum perducta sit. Judex autem Ecclesiasticus in Clericum aut Laicum sibi jure delatum sententiam sanguinis proferre vetatur: qui secus egerit, non modo alienus erit a Canone defectu lenitatis, qua irregularitate laici etiam afficiuntur, sed praeterea graviter delinquit, et poena depositionis mulctatur. Siquidem Alexander III. Cap. 5. Ne Clerici vel Monachi ita sancivit. « *Clericis qui in sacris ordinibus constituti sunt, ex Toletano Concilio judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas; quod si quis tale fecerit, honore privetur et loco.* » 2. Accusatores, delatores, scribae, notarii et advocati qui contra reum postulant. De testibus autem nihil exploratum habemus in Jure Canonico: verumtamen Doctores inter voluntarios et necessarios testes discrimen faciunt; et necessarios quidem, seu ad testimonium ferendum a publicis Judicibus coactos nulla irregularitate irretiri docent, dum id faciunt, a quo sine peccato vel gravi detrimento abstinere nequeant, praesertim vero, si protestentur expresse, se vindictam seu

poenam sanguinis non intendere ad formam Cap. Praelatis de homicid. in 6.° At voluntarios testes nemo unus ab irregularitate exemptos putat, etiamsi protestentur; nam protestatio contra factum non valet, ut vulgo dicitur. 3. Carnifices, lictores, et quotquot ad cruentam executionem operam conferunt.

Contra vero irregulares non habentur: 1. Clerici qui Principi suadent, ut quorumdam criminum reos morte aut mutilatione plectat, glossa communiter recepta in cap. 10. de excess. Praelat. verb. *consuluit*, nec Princeps, qui legem tulerit, quod hujusmodi leges non hominis occisionem aut mutilationem spectant, sed quietam et rectam Reipublicae administrationem. 2. Episcopi, Praelati, et reliqui Clerici, qui jurisdictionem temporalem obtinentes, causas sanguinis suis ballivis seu aliis judicibus committunt, etiamsi ballivus, seu judex ad poenam sanguinis processerit, Cap. fin. Ne Clerici vel Monachi in 6.° 3. Judex ecclesiasticus, qui Clericum obstinato animo criminibus adhaerentem jam depositum et degradatum Curiae saeculari tradit, si tamen in actu traditionis intercesserit, ne poena capitis damnetur; qua protestatione seu intercessione irregularitatem evadit, quamvis certo animadvertat Clericum poena mortis afficiendum, cap. 27. de verb. signif. 4. Clerici qui gravi damno vel injuria affecti, reos apud Magistratum denunciant, actione tamen civili, qua damni et injuriarum reparationem postulent, et expressa protestatione, quod vindictam et poenam sanguinis non intendant, et quidem « *ne detur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi* » cap. 2. de homicid. in 6.°

§ LXIV.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA

Obligati ad ratiocinia in jure vocantur reddendis rationibus obstricti ob rei sive publicae, sive privatae administrationem gestam, veluti Syndici, Thesaurarii, Tutores et Curatores, et id genus alii. Itaque hujusmodi administratores ante rationes redditas et solidatas ordinari vetantur, cap. unic. de Obl. ad ratiocin., tum ne conditio creditorum ob privilegia clericalia deterior fiat, tum etiam ne Clericus cum probro et dedecore Ecclesiae de fraude aut dolo postuletur. Quod si administratores sponsore dato rem creditoris tutam fecerint, non amplius irregulares videntur, quod cessante fine legis, ipsam legem cessare compertum est. At vero si nullo sponsore dato, nec redditis solidatisque rationibus ad ordines promoveantur, idque dolose factum sit, ab Episcopo puniri poterunt, non tamen deponi, nec usu Ordinis interdici. Interim vero creditoribus faciendum est satis, etiam cessione bonorum, incolumi tamen beneficio competentiae; et si Episcopus sciens ordinaverit, nec bona ordinati solvendo sint, tenetur Episcopus, quod deest, supplere, quatenus creditoribus nocuit, ordinato facultatem adimens lucrandi negotiandique, aliaque saecularia negotia exercendi.

Olim Curiales seu Decuriones, qui Curiam seu Senatum inferiorum Civitatum componebant, eorumque bona oneribus et expensis Curiae perpetuo obnoxia manebant, inter Clericos cooptari vetabantur. Sed modo mutata administrandae Reipublicae forma Curiales esse desierunt.

§ LXV.

DE IRREGULARITATE EX BIGAMIA

Bigami quoque alieni a canone sunt, sive veri, sive interpretativi, sive similitudinarii. Bigami veri dicuntur plurium uxorum mariti, qui nimirum mortua prima uxore alterum conjugium inierunt. Hujus autem irregularitatis ratio est, sive macula incontinentiae quam praeferunt secundae nuptiae, sive defectus Sacramenti quod Bigami non exhibent Sacramentum conjunctionis Christi, qui cum unica et Virgine Ecclesia copulatus est. Bigami interpretativi sunt, qui quamdam sacramenti normam amisisse videntur, ut loquitur Augustinus de Bono conjugali cap. 18. qui cum vidua aut muliere ab alio corrupta matrimonium contrahunt. Demum similitudinarii habentur qui in Sacris Ordinibus constituti, aut solemni voto castitatis adstricti matrimonium attentant, aut etiam qui virgines Deo dicatas in matrimonium ducere audent. Hi siquidem voti, aut sacrarum Virginum violatores per quamdam similitudinem bigami dicuntur, sive quod post conjugium spirituale alias carnales nuptias attentant, sive quod Virginibus jam Deo desponsatis tamquam uxoribus abutuntur.

Itaque Bigami tum ordinibus etiam minoribus suscipiendis, tum susceptorum ordinum usu interdicuntur, et praeterea « *omni clericali privilegio nudati sunt, et coercitioni fori saecularis addicti* » quod sancitum est cap. unic. de Cler. non ordin. in 6.° Quibus quidem verbis, licet generalibus, minores tantummodo Clerici continentur, ut explicat glossa in idem caput, eamque Interpretes omnes sequuti sunt. Qua de re si majores Clerici bigamiam contrahant, omni quidem ecclesiastico ministerio privantur, sed privilegia clericalia non amittunt.

Impedimentum bigamiae sola dispensatione tollitur, quam Pontifex tantum bigamis sive veris, sive interpretativis tribuere potest; verumtamen in bigamia similitudinaria dispensandi potestas Episcopis etiam permissa est, Cap. 1. Qui Clerici vel voventes, ubi Alexander III. de Diacono qui uxorem acceperat ad Episcopum Remensem rescribit; « *ut injuncta poenitentia de excessu, et post eam peractam dispensative possit ei Diaconatus officium reddere, et si perfectae vitae et conversationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare.* »

§ LXVI.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO

De irregularitatibus ex defectu haec satis dicta sint, nunc ad crimina transeamus. Jam vero inter delicta quae arcent a canone, praecipuum est homicidium, et mutilatio, sive crimen publice, sive clam patratum sit, sive quis semetipsum, sive alium amputaverit. Homicidae etiam in veteri lege a sacro ministerio repellebantur, ut habemus Exodi cap. 21. « *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evellas eum.* » Igitur jure S. Canonum si agatur de homicidio, aut mutilatione voluntaria, interdicuntur susceptione omnium ordinum, et susceptorum usu, et privationis beneficiorum, officiorum atque etiam depositionis poenam incurrunt qui occidunt aut mutilant, et quotquot facto, mandato, consilio, exhortatione et auxilio participes caedis aut mutilationis sunt, quique animo occidendi causam ponunt, unde mors consequatur, veluti si venenum propinetur, si foetus animati abortus procuretur.

Verumtamen si homicidium, vel mutilatio aut praeter opinionem et fortuito, aut etiam inculpata defensione ac-

ciderit, tum ex regulis quae sequuntur, res tota existimanda est. Prima regula sit: Qui dat operam rei licitae, et eam diligentiam adhibet, ut nulla ratione homicidium praevideri potuerit, irregularis non est etiamsi homicidium inde sequatur. Vulgatissima est Honorii III. responsio cap. 23. de homic; cum enim Sacerdos campanas pulsaret, ut signo dato ad divina mysteria populus conveniret, et inde cadens tintinnabulum quemdam puerum interfecisset, Pontifex respondit « *quod dicto Sacerdoti, qui dabat operam rei licitae, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non praevidit* ». Eodem pertinent caput 9., caput. 15. eod. tit., aliaque plura quae silentio praetermittimus. Unde illud colliges, quod si Medicus aut Chirurgus suam artem optime calleat, omnemque diligentiam et studium in aegris curandis adhibeat, nulla irregularitate irretiri, etiamsi ex potione aut incisione aeger aliquis perierit. Attamen Medici et Chirurgi licet nullius certae culpae meminerint, rescriptum dispensationis ad cautelam, ut ajunt, petere solent, antequam Ordinibus initientur. Qua de re legendus Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 10.

Secunda regula est: Qui dat operam rei licitae, sed omissione debitae diligentiae, aut artis imperitia hominem occidit, irregularitatem contrahit, quod ex superiori regula descendit. Confirmatur etiam ex cap. 7. de homicid., ubi Alexander III. edixit Sacerdotem ab altaris ministerio arcendum, qui puerum disciplinae causa in capite percussit, ut paucis post diebus exspiraverit.

Tertia regula est: Dans operam rei illicitae, quamquam diligentiam debitam adhibeat ne mors sequatur, tamen irregularis est si quempiam occiderit vel mutilaverit. Nimirum indirecte et in causa occidisse censetur, admissa nempe actione illicita a qua abstinere debuisset. Verum haec regula Van-Espenio aliisque non pro-

batur. Docent enim dantem operam rei illicitae irregularem esse si res illa illicita erat, ac proinde omittenda ob periculum homicidii, non autem si ob aliam causam omitti debuisset. « *Ut homicidium*, ait Van-Espenius part. 2. tit. 10. cap. 7., *sit voluntarium in causa, requiritur, ut causam illam hic et nunc concurrentibus praesentibus circumstantiis debuisset omittere ne homicidium sequeretur.* » Unde colligit Clericum dantem operam Chirurgiae, si mors inde sequatur, irregularem habendum esse, licet diligentiam debitam adhibuerit, quod Clerici prohibeantur Chirurgiam exercere ob eam quoque causam ne periculo alicujus interimendi se objiciant; contra vero a canone alienum non esse qui venatione clamorosa, sed tamen periculi vacua, ac diligentia adhibita, dum feram occidere putat, hominem interficit, quod Canones vetant Clericos non propter periculum homicidii, sed ob alias rationes venationibus hujusmodi vacare.

Si cui haec magis opinio arriserit, non repugnabo: dicam tamen regulam a nobis positam tum glossae in cap. 13. de homicid., tum veterum Canonistarum auctoritate niti. Sunt praeterea Canonistae qui student utramque sententiam aliquo pacto conciliare; siquidem tradunt navantem operam rei licitae, unde homicidium sequatur, nunquam alienum esse a Canone, nisi primum probetur debitam diligentiam omisisse; dantem vero operam cuiquam rei illicitae, in foro externo irregularem habendum, cum illud semper praesumatur, quod diligentiam debitam non adhibuerit, donec legitime sese purgaverit. Quin imo Pyrrhus Corradus harum rerum peritissimus in praxi Dispensation. Apostol. lib. 5. cap. 1. monet, dispensationem super irregularitate petendam, etiamsi homicidium casuale videatur; quae quidem praxis consentanea est decreto Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de Reform.

Quarta regula est: Qui mortem aliter vitare non valens suum invasorem occidit, non est alienus a Canone. Haec regula ipsissimis verbis tradita est a Clemente V. in Clementin. unic. de homicid. « *Si furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censendum, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit ac mutilat invasorem.* » Siquidem natura veluti docemur vim vi repellere, et vitae nostrae tutelam suscipere: hinc L. 2. ff. de justit. et jure: « *Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* » At vero si fuga, aut clamore, aut alia ratione vitari mors potuit, homicida habendus est qui invasorem occiderit. « *Quamvis enim*, ut ait Innocentius III. cap. 18. de homicid., *vim vi repellere omnia jura et omnes leges permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* » Debitus etiam defensionis modus servandus est, ut « *non amplius violentia se extendat, quam defensio exigit* » cap. 35. de sentent. excomm. Qui vero non ad vitam, sed potius ad bona defendenda ad caedem usque prosilierit, irregularitatis nota inuritur, quod respondit Alexander III. cap. 10. de homicid. his verbis. « *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis tam acriter in alios exardescere, abstineat humiliter ab altaris ministerio.* »

Quod ad milites attinet « *communis Doctorum sententia est*, ait Franciscus Sylvius in Resolut. variis ad verb. *Irregularitas* 3., *eos qui militant in bello injusto omnes contrahere irregularitatem, si aliqui in isto bello occidantur vel mutilentur, etiam eos qui propriis manibus neque occiderunt quemquam neque mutilaverunt, quia omnes in bello injusto militantes integrant unam causam moralem, cui im-*

putantur homicidia. Communis quoque sententia est Doctorum, eos qui in bello justo militant non fieri irregulares, si ipsi nullum per se occiderint vel mutilaverint, quamvis aliqui fuerint ibi ab aliis occisi vel mutilati, quia Caput PETITIO TUA *de homic. tales eximit ab irregularitate: ibi quippe Clericus assistens bello justo solum judicatur irregularis, si aliquem interfecerit, vel si dubiam de hoc habeat conscientiam.* » Sed in justo bello interdum hostem aggredimur, interdum nos tuemur atque defendimus. Igitur Doctores quidam sententiam a Sylvio expositam sequuntur, ubi agitur de bello justo in quo aggredimur hostem: dissentiunt autem quoties bellum justum ad defensionem Ecclesiae vel patriae committatur. Si enim periculum vitari aliter nequeat, et laici desint qui valeant vim illatam propulsare, tum quidem existimant Clericum irregularem non esse, etiamsi hostium aliquem interfecerit, propterea quod eorum qui in justo bello pugnant, deterior esse conditio debeat, quam eorum qui extra bellum necessitate compulsi occidunt ne occidantur, eoque magis quod pro patria et Religione certantes pro sua quoque incolumitate pugnare censendi sunt.

§ LXVII.

DE IRREGULARITATE EX ITERATIONE BAPTISMATIS

Qui sciens Baptismi aquis jam ablutum salutari lavacro iterum perfundit, aut qui Baptismate jam regeneratus se iterum lustralibus aquis aspergi sinit, itemque in ejus Baptismatis reiteratione ministrantes, et demum ab haereticis absque necessitate baptismum recipientes alieni a canone sunt, ut Ordinibus nequeant initiari. Isthaec irregularitas in odium haeresis rebaptizantium, seu Donatistarum inducta est. Hac super re plures Ca-

nones extant tum in Gratiani decreto, tum etiam in Decretalibus ad tit. *De Apostatis et de reiterantibus Baptisma.* Quia vero hujusmodi Canones de iterata Baptismi administratione tantummodo verba faciunt, idcirco irregulares habendi non sunt qui Sacramentum aliud vel Ordinis et Confirmationis iterum conferunt vel suscipiunt.

§ LXVIII.

DE IRREGULARITATE EX MALA SUSCEPTIONE ET PRAVO ORDINUM USU

Irregulares quoque sunt qui prave Ordines suscipiunt, videlicet 1. furtive ordinati, qui nempe ab Episcopo proprio non probati, non admissi clam per dolum, seu temere ordinandis se immiscent et ordinantur, cap. 1. et 2. De eo qui furt. Ordin. suscep. 2. Ordinati ab Episcopo excommunicato, interdicto, suspenso, deposito, haeretico, schismatico, aut ab eo qui dignitati suae renunciavit, et qui excommunicatione majore irretiti S. Ordines susceperunt. 3. Denique laborantes infamia juris ob crimen, de quo in jure confessi et rite damnati fuerunt, Cap. ult. de temp. Ordinat.

Irregularibus ob pravam Ordinis susceptionem a quibusdam accensentur ordinati per saltum, aut per simoniam, aut sine titulo Ordinationis, itemque duos majores Ordines in eodem die recipientes, aliique qui proprie irregulares non sunt, sed tantum usu Ordinis interdicti, irregulares futuri, si in ordine suscepto ministraverint, idque per pravum Ordinis usum de quo statim dicturi sumus.

Igitur irregularitas oritur ex pravo Ordinum usu, si quis nempe ministret in ordine non suscepto, aut si

censura ligatus in eisdem ordinibus audeat ministrare, aut denique si loco interdicto celebraverit. Quod ad primum attinet Hormisdas cap. 1. de Cler. non ordin. ministrante sancivit. « *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia et nunquam ordinetur.* » Ex quo Canone duo praesertim colliguntur, alterum est, laicos etiam irregulares fieri, si actum alicujus ordinis usurpaverint, quod ea verba *si quis* omnes universim actum Ordinis sine ordine exercentes complectuntur: alterum est, ministrantes etiam in Ordinibus minoribus eadem irregularitate irretiri, cum ea poena generatim in eos sancita sit « *qui aliquod divinum officium exercuerint.* » Hodie vero cum laici passim in minoribus Ordinibus ministrent, dummodo id temere et tamquam ex officio proprio non egerint, ab irregularitate immunes sunt, quandoquidem ministrantes in ordine quo carent, praecipue « *propter temeritatem abjiciuntur de Ecclesia, nec ordinantur* » quae sunt verba ejusdem Canonis. At vero celebrantes Missam, vel fidelium confessiones excipientes sine Sacerdotali charactere acriter aliis poenis coercentur, atque etiam brachio saeculari traduntur; qua de re legenda est Constitutio Clementis XIII., cujus initium Gravissimum atque execrabile scelus, data die 20. Martii an. 1760.

Quemadmodum obeuntes functiones ordinis quo insigniti non sunt, sic usurpantes ministerium sacrum quo interdicuntur, alieni a Canone fiunt. Hujusmodi sunt excommunicati excommunicatione majori etiam occulta, suspensi, interdicti et depositi, cap. 1. de sent. et re judicat. in 6.°, Cap. Istum de sent. excommun. in 6.°, et toto tit. de Clerico excommun. deposit. et interdic. ministrante, et generatim violatores censurarum. Imo Fagnanus ad cap. 2. eod. tit. docet, Clericos etiam minorum ordinum irregularitatem non effugere, si censura aliqua irretiti

ordines ipsos exerceant, propterea quod Canones in ea poena constituenda majores inter et minores Ordines non distinguunt: quae Fagnani sententia extra dubitationem posita est saltem intuitu Clerici, cui censura inusta ob simoniacam ordinationem; perspicua enim est Constitutio Sixti V. contra male et simoniace promotos data Nonis Jun. 1588. in qua hujusmodi Clerici simoniaci, si primae tonsurae aut minorum Ordinum functionibus dent operam, poena irregularitatis mulctantur.

Denique ob pravum ordinis usum alieni a Canone sunt, qui in loco interdicto sacrum faciant. « *Is qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut a jure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari.* » Ita Bonifacius VIII. cap. 18. de sentent. excommunic. in 6.° Si quis vero aut in ecclesia polluta, aut coram excommunicato rem sacram confecerit, non inde irregularis est; quod Pontifex citato cap. explanavit « *qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui praesentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare praesumit, licet hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum non sit expressum in jure, laqueum non incurrit.* » Tamen puniendus est ad arbitrium Superioris, ut notat glossa ibidem.

§ LXIX.

DE IRREGULARITATE PROPTER HAERESIM

Innocentius I. ep.ª ad Episcopos Macedoniae cap. 4. docet perpetuam atque constantem Ecclesiae disciplinam esse, qua haereseos veneno polluti ab Ordinibus arcerentur. « *Nostra*, inquit, *lex est Ecclesiae venientibus ab haereticis qui tamen illinc baptizati sint, per manus im-*

positionem laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare. » Jure Decretalium non haeretici modo alieni a Canone sunt, verum etiam illi, qui cum haereticis aliquo pacto conjuncti sunt, quorum triplex genus est. Primum est eorum qui haereticis in crimine haeresis consortes et participes sunt. Alterum eorum est, qui quamquam pravis erroribus non adhaereant, tamen errantibus favent, eosdem auxilio et ope juvando, et haereticorum receptatores, defensores et fautores in jure vocantur, cap. 2. de haeretic. in 6.° Tertium genus eorum est qui etiamsi catholici sint, nec haereticis faveant, haereticis tamen communione sanguinis conjuncti sunt, videlicet filii haereticorum ad secundum gradum lineae paternae, maternae vero ad primum gradum, cit. cap. 2. Haeretici vero, etiamsi ad catholicam fidem redierint, non idcirco irregularitate solvuntur; at ipsorum filii, ejurata a parentibus haeresi, non amplius irregulares habentur, et sine ulla dispensatione, si idonei sint, ad ordines et beneficia ecclesiastica rite promoventur. Verum ambiguum est, an filii ex catholicis parentibus nati, et in Catholica Ecclesia baptizati fiant a Canone alieni, si parentes ipsorum in haeresim deinceps lapsi sint? Plures affirmant, quod Canones ea poena afficiant filios haereticorum, inter filios in haeresi parentum natos ab aliis haereticorum filiis non distinguentes. Contra vero alii leges hujusmodi poenales mitius interpretati, rati sunt solos filios in haeresi parentum natos, et illic, ut ait Innocentius I. ep.ª cit.ª, baptizatos eisdem poenis contineri.

Episcopi super hac irregularitate gratiam facere filiis haereticorum nequeunt; primo, ut inquit Fagnanus « *quia cum textus cap.* Quicumque *de haereticis in* 6.° *contineat decretum irritans: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane: sequitur, ut Episcopus dispensare non possit.*

Nam etiam in adulterio, et minoribus criminibus Episcopus non potest dispensare, quando leges vel Canones prohibentes annullant actum factum contra prohibitionem. Deinde quia Nicolaus III. in Constit. 2. incip. Noverit universitas *statuit ut haeretici, eorumque filii usque ad secundam generationem beneficiis habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequaquam in posterum admittantur, quibus verbis censetur adempta Episcopis dispensandi facultas, ut notat glossa in cap.* Cupientes *verb.* Perpetuo *de Elect. in 6.°* » Demum « *quia cum versemur in concernentibus fidem et statum universalis Ecclesiae, qui per filios haereticorum ad officia et honores admissos, si paterna dogmata retinerent, labefactari posset, et ita tractemus de re graviori, consequens est Episcopum dispensare non posse, cap.* Dilectus *de temp. Ordine, et ibi glossa v.* Permissa. » Hactenus Fagnanus in cap. 10. de haeret. Interim monendum est auctoritatem concedendae veniae ex delicto irregularibus ad Pontificem pertinere; Episcopos autem eas irregularitates relaxare quae ex occulto delicto proficiscuntur; excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, aliisque exceptis, quae apud Judicem deductae fuerint, Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de Reform.

CAPUT VIII.

DE RELIQUIS AD CLERICOS PERTINENTIBUS

§ LXX.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

« *Nihil est quod magis alios ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Quapropter sic decet omnino Clericos vitam moresque omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac Religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* » Haec de vita et honestate Clericorum Trid. Synodus sess. 24. cap. 1. de Reformat. Itaque Clerici non modo omnem curam in interna morum honestate et sanctitate vitae sibi comparanda collocare debent, verum etiam eos oportet externum corporis cultum, et totam agendae vitae rationem ita componere, ut caeterorum offensionem et suspicionem devitent, ne per eos alii deteriores reddantur per quos deceret fieri meliores.

Jam vero quod pertinet ad externum corporis cultum existit lex tonsurae et vestis Clericalis deferendae. Etsi etenim habitus non faciat monachum, opus tamen est, Clericos tonsuram seu coronam in vertice capitis conspicuam, et vestes proprio congruentes ordini semper induere, ut per decentiam habitus extrinseci morum ho-

nestatem intrinsecam ostendant. Quamvis autem utraque lex sive tonsurae, sive vestis Clericalis antiquissima sit, primis tamen Ecclesiae saeculis minime extitit, neque enim par fuit, ut ea tempestate Clerici rasum gestarent summum caput, vel uterentur habitu a laicis distincto, ne persecutionibus maxime saevientibus in Christianos, Tyrannorum odio ipsi se proderent et objicerent. At cessatis jampridem his causis, Clerici saeculo sexto, ut multorum opinio est, Monachos aemulati ab iis acceperunt capitis tonsuram, quae humilitatis et modestiae tacita esset significatio, eodemque saeculo uti caeperunt habitu a laicis distincto, nempe Romanorum toga quae vestis erat usque ad talos extensa: laici autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptarunt.

Caeterum exploratum est, jam a quarto et quinto saeculo Ecclesiam sollicitam fuisse, ut vestes Clericorum modestia saltem a laicis distinguerentur, quod constat ex Concilio Carthaginensi IV. an. 398. can. 45. « *Clericus professionem suam et in habitu, et in incessu probet.* » Illud etiam observandum ducimus in iis quae ad habitum Clericorum pertinent, praeter Sacros Canones et Constitutiones Apostolicas leges quoque Synodales cujuscumque Dioecesis religiose servandas esse.

Haec de tonsura et habitu clericali: at multo plura sunt et graviora, quae Sacri Canones de Clericorum moribus et vitae agendae ratione sanciverunt. In primis itaque Clerici vetantur:

1. Incontinentiae et impudicitiae sordibus se contaminare, nullamque familiarem consuetudinem cum mulieribus habere, quum eos non modo malum ipsum, sed etiam omnem mali speciem atque suspicionem vitare oporteat. « *Non licet Clerico introductam habere mulierem, praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas quae omnem suspicionem effugiunt.* » Con-

cil. Nicaen. 1. can. 3. Itaque eis non licet suspectarum mulierum vel domos adire, vel cum eisdem cohabitare, si extraneae sint, non autem consanguineae usque ad secundum gradum, dummodo pravos non habeant mores, nullaque in eis suspicio cadat: ipsis quoque licitum est retinere ancillas, quarum ope in domesticis rebus utantur, quotiescumque sint provectioris aetatis, et praesertim integris probatisque moribus, quod judicium ad Episcopum praecipue spectat.

2. Crapulae et ebrietati se dedere: « *Crapula et ebrietate omnes Clerici abstineant* » cap. 14. de vita et honest. Cleric.; eo quod exitium mentis inducunt, et libidinis provocant vim, qua de causa in Clericum, qui monitus ab eo vitio se non abstinet, Episcopus poenam suspensionis animadvertet, cap. 14. eod. tit. Praeterea non decet Clericos ad tabernas divertere, nisi ob necessitatem, cap. 15. eod. tit.

3. Aleis et taxillis ludere, vel cuicumque ludo vacare, in quo sors potissimum dominatur, Can. Clerici eod. Hujusmodi enim ludorum genus ingentium malorum origo est, et inhonestum et humanae societati ac familiis admodum perniciosum, adeoque legibus ecclesiasticis et civilibus tum Clericis, tum Laicis jure optimo interdictum, cap. 15. eod. tit., et L. 1.ª Cod. de Aleatoribus. Est autem alterum ludi genus, quod ex ludentis ingenio et industria maxime pendet, cui utpote honesto, et non raro etiam ad spiritus relaxationem utili operam dare Clerici non vetantur, dummodo, ut inquit S. Thomas 2.ª 2. quaest. 68. art. 2. « *ludus congruat personae, tempori et loco, et secundum aliquas circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit et tempore et homine dignus* ».

4. Venationem exercere, cap. 2. de Cler. Venat., et Can. 16. Concil. Lateran. IV. « *Venationem et aucupationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves*

habere praesumant. » Et S. Hieronymus « *Nullum,* ait, *in Scripturis Sanctis invenimus venatorem. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Hinc a Sacris Canonibus interdicta Clericis venatio est* »; in Can. Esau distinct. 86. Duplex autem venatio: altera clamorosa, quae fit cum magno tumultu et strepitu armorum et canum ad occidendas majores feras: altera quieta, quae nempe laqueis retibusque, aut etiam balista ignea et sine strepitu ad capiendas volucres minoresque belluas non feroces instituta. Quamquam vero magis consentanea Sacris Canonibus opinio sit utroque genere venationis Clericos interdici, multorum tamen sententia est, ob diurnam consuetudinem clamorosam tantum venationem, non quietam eisdem prohiberi.

5. Arma gestare: « *Clerici arma portantes excommunicentur: ob hoc supra modum viluisse gravitatem et religionem Clericorum* », Can. 2. hoc tit. Excipitur casus necessitatis, Cap. Clerici 2. hoc tit. Multo minus in acie possunt dimicare, nisi bellum sit defensivum, et Laici pares non sint hosti repellendo, Can. Si quis 4. distinct. 51. Confer Giraldum Expos. Juris Pontificii part. I. sect. 311. ubi plures ea de re Constitutiones Apostolicas invenies.

6. Artes quasdam exercere, quibus membra inciduntur vel aduruntur, veluti 1. chirurgiam vel medicinam facere, neque ob defectum lenitatis irregularitatem effugiunt, si inde mutilatio vel mors sequatur, Cap. Sententiam 9. Ne Cler. vel Monac. 2. Viles et sordidas artes ut cauponis et lanii, Clement I.ª hoc tit. 3. Artes minus honestas, veluti in scena ludere, mimos vel comicos agere, larvis incedere et id genus alia quae Clericos omnino dedecent, cap. unic. hoc tit. in 6°.

7. Munera et negotia saecularia gerere: nemo scilicet militans Deo implicet se negotiis saecularibus. Itaque Clericis non licet famulatui laicorum sese addicere, vel

alicujus familiae administrationem suscipere, munera Judicis, Gubernatoris et Notarii a Principe laico delata, atque Advocati et Procuratoris coram Judice laico et in negotiis saecularibus obire, nisi causae Ecclesiae, vel pupillorum, aut viduarum, aliarumque miserabilium personarum agantur. Similiter ab officio Tutoris et Curatoris Clerici excusantur; si vero res sit de tutela vel cura gerenda Pupillorum vel Minorum, quibuscum Clerici jure cognationis conjuncti sunt, eam suscipere permittuntur, at cogi non possunt, Nov. 123. cap. 5.

8. Negotiationi operam dare, ne avocentur a rebus divinis, et quaestus causa temporalibus negotiis tantummodo studeant. Nulli itaque Clerico in majoribus ordinibus constituto, neque etiam Clerico minorum Ordinum, si beneficio Ecclesiastico potiatur, licet quamcumque negotiationem sive per se, sive per interpositam personam exercere, aliena praedia et vectigalia conducere, et cambia uti vocant activa vel suo, vel alieno nomine contrahere, Cap. 1. et 6. Ne Clerici. Iidem tamen non interdicuntur in sua re negotiari, hoc est res ex propriis praediis collectas vendere, et carius etiam vendere, eas scilicet quas pro se et familia sua emerunt, si superfuerint, modo tamen intra justi praetii fines se contineant. Praeterea licet Clericis labore manuum suarum, vel Agricultura, vel honesto aliquo artificio sibi victum comparare sine tamen officii sui detrimento, Cap. Clerici caus. 3. distinct. 91. Hac de re confer Benedictum XIV. Constit. Apostol. Servitutis, et Litteras Encyclicas Clementis XIII. datas 17. Septembris 1759.

§ LXXI.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM

Ad Clericorum officium dignitatemque honorandam varia eisdem jura et privilegia tributa sunt: id quod nec gentes maxime barbarae suis sacrorum ministris unquam denegarunt. Horum autem privilegiorum duplex genus est: aliqua enim specialia sunt quibus nonnulli Clerici secundum dignitatis gradum, quem in Hierarchia Ecclesiastica tenent, exornantur: alia vero sunt omnibus Clericis communia, de quibus dicendum nobis est. Haec autem sunt primo *Privilegium Canonis* ita dictum a Canone XV. Concilii Lateranensis II. ubi sic statuitur. « *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico aspectui praesentetur et ejus mandatum suscipiat.* » Jam vero *per violentam manuum injectionem* ex communi Doctorum sententia, cui liquide favet textus in Cap. Nuper de sent. excommunic., intelligitur quaevis externa actio contumeliosa in Clericum vel Monachum: et proinde non solum qui eumdem percutiunt, vulnerant, vel aliter manus et vim inferunt, sed etiam qui insequuntur, qui in vincula detrudunt, qui in custodia detinent, qui in equum cui clericus insidet violenter irruunt vel laedunt, vel occidunt, aut aliis hujusmodi contumeliosis factis personas Ecclesiasticas vexant, excommunicationis vinculo detinentur. Porro ab hac censura excusantur qui violentas manus injiciunt ex invincibili sive juris sive facti ignorantia, qui ad sui defensionem vim vi repellunt servato moderamine inculpatae tutelae, aut non odio vel

indignatione vel invidia, sed levitate et joci causa, vel sine deliberatione, vel casu fortuito, aut in subito primoque irae impetu, aut disciplinae gratia, aut demum qui ipsum Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter agentem invenerit.

Nomine vero Clericorum veniunt Clerici omnes vel prima dumtaxat tonsura insigniti, imo et Clerici conjugati, si cum unica et virgine matrimonium inierint, habitum et tonsuram deferant, et alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inserviant: non eo tamen privilegio fruuntur Clerici bigami, qui duabus successive, vel unicae non virgini nupserint, neque Clerici qui demisso habitu et tonsura saecularibus negotiis dant operam, si ter ab Episcopo moniti ab eisdem non abstineant, ut infra dicemus, neque etiam Clerici realiter degradati ac solemniter depositi, et actu traditi Curiae saeculari, nec tandem Clerici qui se latrociniis aliisque enormitatibus coinquinarunt.

Monachorum vero nomine intelliguntur Regulares omnes utriusque sexus etiam conversi et conversae, Novitii et Novitiae, imo etiam Ordinum Mendicantium Tertiarii et Tertiariae, dummodo vel in Communitate, vel in propriis domibus, nuncupato tamen de consensu Ordinarii castitatis perpetuae voto, coelibem vitam traducant, quin et Eremitae, qui eremiticum habitum ex legitima facultate deferunt, et sub speciali Episcopi obedientia alicui Ecclesiae et Eremitorio inserviunt.

Alterum est *Privilegium Fori*, in eo situm ut nemo Ecclesiasticam personam in criminali vel civili quaestione ad judicium saeculare trahere possit. Clericorum itaque exemptio a Laicorum foro privilegium fori nuncupatur. Hac immunitate Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta Clerici potiti sunt, ubi primum, sedatis in Ecclesia persecutionum procellis, Christiani

Principes imperare coeperunt. Eamdem immunitatem atque exemptionem subsequentibus saeculis et S. Pontifices et Principes maxima inter se consensione Clericis confirmasse liquet ex auth.ª Hodie, auth.ª Clericus, auth.ª Statuimus Cod. de Episcopis et Clericis, atque ex Decretalibus praesertim tit. de judic. et foro competen. De hoc privilegio sic statuit Tridentina Synodus sess. 23. cap. 6. « *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere: is vero fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat.* » Itaque Clericus beneficium ecclesiasticum possidens fori privilegio donatur, licet neque Clericalem tonsuram et habitum deferat, neque Ecclesiae inserviat. Clericus autem beneficium non habens, ut fori privilegio perfruatur, clericalem habitum et tonsuram deferre debet, ac simul alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inservire. Concilium enim Tridentinum dicta sess.ª eas conditiones exprimens utitur alternativis seu disjunctivis particulis *nisi*, *aut*; « *nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat;* » namque « *in alternativis sufficit alterutrum adimpleri* » ex reg. 70. Juris in 6.º Hoc itaque privilegio Clericus beneficium non obtinens minime fruitur, nisi conditiones a Tridentino latas observet. « *Clericos vero qui decreto Concilii Tridentini cap. 6. sess. 23. de Reform. privilegio fori non gaudent, non intelligi privatos privilegio Canonis* » respondit Sacra Congregatio Concilii in Causa Aquens. mense Februarii 1589; siquidem cum in materia poenali et odiosa versemur, verba Tridentini ead. sess. 23., quae privilegium fori tantummodo spectant, non sunt ad privilegium Canonis, de quo nulla ibi mentio fit, traducenda.

Clericus autem conjugatus hoc privilegio fruitur: 1. si cum unica et virgine matrimonium contraxerit: 2. si tonsuram et vestes clericales deferat: 3. si alicui Ecclesiae ab Episcopo deputatus inserviat. At vero Clerici qui unam ex his conditionibus non servant, hoc clericali privilegio privantur; copulativis enim particulis utitur Tridentina Synodus, dum eadem sessione ita prosequitur. « *In Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII. quae incipit* Clerici qui cum unicis, *modo hi Clerici Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiae serviant, vel ministrent, et Clericali habitu et tonsura utantur.* » Verum « *bigamos omni privilegio clericali declaramus esse denudatos: ipsis quoque prohibemus deferre tonsuram et habitum clericalem* » inquit Gregorius X. in Cap. Altercationis de Bigamis in 6.°

Caeterum Clericos omnes sive conjugatos, sive caelibes qui habitum et tonsuram clericalem deponunt, etiam nulla praecedente monitione, jure ipso spoliatos esse privilegio fori, docet Fagnanus in cit. Cap. Si quis de foro competenti. Episcopus tamen sua jurisdictione non privatur in eosdem Clericos qui conditiones a Tridentino latas non observant, ideoque quamvis ipsi nequeant privilegium fori allegare, Episcopus tamen eos, quandocumque sibi videatur, potest a Judice saeculari repetere et ad suum forum revocare; quemadmodum saepius definitum est a Sacra Congregatione Concilii, qua de re confer Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 12. cap. 2. Imo si Clerici demisso habitu et tonsura delinquant, et postmodum habitum et tonsuram resumentes Ecclesiae inserviant, fori privilegio gaudent, nisi tamen fraus et dolus intercesserit, de quo judicium ferre ad Ecclesiasticum Judicem pertinet.

Verumtamen ad praecavenda mala, quae ex hac libertate clericalis habitus dimittendi atque iterum sumen-

di, oriri possunt, atque etiam ad evitandas contentiones inter utramque potestatem, Saecularem scilicet et Ecclesiasticam, quae plerumque hac de causa excitari solent, satius est Episcopos praecipere Clericis vel per publicum edictum, vel per citationem singulis factam, ut in habitu et tonsura incedant, atque alicui inserviant Ecclesiae, congruo tempore ad utrumque praestandum praefinito, quod si non obtemperaverint, eos Episcopus ex Cap. Contingit de sent. excommun. ter moneat, ut imperata faciant; qua tamen in re non satis est unica monitio, quae tribus aequivaleat, sed tres distinctae requiruntur. Post trinam vero monitionem Episcopi queunt adversus inobedientes sententiam ferre, qua decernatur eos privilegio fori propria culpa orbatos atque spoliatos esse, sine spe illud recuperandi, quod jure meritoque amiserunt. Quod si post hanc sententiam Clericales vestes iterum induere Clerici praesumant, non propterea a saeculari foro sese subtrahent, sed eidem obnoxii non secus ac laici permanebunt: Benedictus XIV. cit. lib. 12. cap. 3.

Quaeritur an Clerico liceat suum malefactorem coram Judice laico accusare. Bonifacius VIII. Cap. Praelatis de homicid. in 6.° statuit id profecto licere, inquiens: « *Si Praelati aut Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi.* » Debent tamen, ne irregulares fiant, expresse protestari se id non agere ad vindictam, neque ad poenam sanguinis, bene vero ad solam veritatis manifestationem, uti habetur ex cit. Cap. Praelatis, et ex Decreto S.ae Congregationis Immunitatis 14. Junii 1825.

Si vero Clericus coram Judice laico citetur ut testis, non potest obtemperare, sive causa civilis, sive crimi-

nalis sit, nisi primum ab Episcopo comparendi licentiam in scriptis obtinuerit; qua obtenta accedere poterit, et de veritate dicenda juramentum emittere, non tamen laicorum more tactis nempe scripturis, sed more sacerdotali, videlicet tacto pectore. Ubi vero causa criminalis fuerit, debet praeterea protestari ad formam dicti Cap. Praelatis.

Antequam caetera privilegia Clericorum propria recenseamus, operae praetium est observare Clericos conjugatos, licet bigami non sint, et habitum clericalem et tonsuram deferant, praeter privilegia Canonis et Fori nullo alio privilegio et praerogativa clericali decorari. Quod quidem post Bonifacii IX. Constitutionem, seu litteralem textum in cap. unic. de Clericis conjugatis in 6.°, perspicuum etiam est ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 3. de Reform., et Doctores plerique omnes tradunt cum Fagnano in Cap. Joannes eod. tit: « *neque*, inquit idem Fagnanus loco citato, *ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii; nam ex contrario actu haec privilegia amittuntur.* »

Reliqua vero privilegia, saltem praecipua, haec sunt. 1. Exemptio ab omnibus officiis et oneribus, quae cum status clericalis dignitate et functionibus componi non possunt. Hoc privilegium divina ordinatione in Clericos promanat, illudque postulat maxima dignitas status Clericalis, et conservatio tum clericalis auctoritatis, tum libertatis in sacris ministeriis obeundis. Quare exempti sunt a militia, ab excubiis, a vigiliis, ab officiis publicis curialibus, et municipalibus, a tutelis, curationibus atque muneribus sordidis et servilibus. 2. Privilegium competentiae seu Capitis Odoardus de solut., vi cujus Clerici in jus vocati a Creditoribus, in id solum quod est supra decentem eorum tuitionem condemnari possint, ne cogantur victum quaeritare, et se gerere cum dedecore et

contemptu ordinis clericalis. Hoc vero privilegium solis Clericis Beneficiatis, atque iis qui Sacris Ordinibus initiati sunt, concedi consuevit.

Denique Clerici filiifamilias plenum consequuntur dominium bonorum adventitiorum. Et hic explicit Liber primus DE PERSONIS.

LIBER SECUNDUS

DE REBUS

A Personis, de quibus superiori Libro dictum est, ad Res, quae sunt alterum Juris Canonici objectum, progredimur. Hujusmodi rerum tria sunt genera. Primum est rerum spiritualium, quae nimirum ad animarum salutem proxime referuntur, videlicet Sacramenta, quae caeteris rebus digniora sunt. Huc etiam spectant res spirituales incorporeae, uti gratia sanctificans, virtutes et dona Spiritus Sancti, de quibus disserere proprium est solius Theologiae. Secundum genus est rerum sacrarum, quae sacris usibus, Deique cultui addictae sunt, et in *sacras*, *sanctas*, et *religiosas* dividuntur: *sacrae* vocantur quae solemni ritu per Episcopum consecrantur, uti calices, altaria, vasa Sacrificii, ipsaemet sacrae Ædes; *sanctae*, quae sanctione legis, vel adhibita benedictione de profano commercio eximuntur, uti Ecclesiae, imagines, paramenta, utensilia, et cetera ejusdem generis; et demum *religiosae*, quae nimirum Religionis usui dicatae sunt, uti Coemeteria, Monasteria, Seminaria Clericorum, et Hospitalia. Tertium denique genus est rerum temporalium, quae alendis Clericis et pauperibus, et divino cultui peragendo destinatae sunt, ut Decimae, oblationes et reditus Beneficiorum.

De hoc triplici rerum genere disputaturi exordium sumimus a posteriori, hoc est a rebus Ecclesiae temporalibus, qua in re multa de Beneficiis Ecclesiasticis explanabimus. Dicemus etiam de administratione rerum Ecclesiae temporalium, de alienationibus, aliisque contractibus, quorum notitia Candidatis Ecclesiastici Juris perquam necessaria est, et instituti nostri omnino propria.

Quibus absolutis ad secundum Rerum genus, hoc est ad res sacras, sanctas, et religiosas progrediemur.

Sed quod attinet ad Sacramenta, quae tertium et praecipuum genus rerum conficiunt, admodum pauca explicare debemus, namque de Ordine tantum et Matrimonio, in iis praesertim quae in Curiis et foro Ecclesiastico a Canonistis pertractari solent, agendum nobis est; de reliquis Sacramentis disserendi provinciam Theologis relinquimus. Quum vero de Ordine superiori libro satis dictum sit, reliquum est ut hoc libro de Matrimonio uberrime, prout gravitas rei postulat, accurateque disputemus. Sit itaque.

CAPUT I.

DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

§ LXXII.

DE PRIMITIIS

Temporale patrimonium Ecclesiae tribus bonorum generibus conflatum est, videlicet Primitiis et Oblationibus, Decimis et fundis, aliisque rebus frugiferis et utilibus. A Primitiis ordiamur. Igitur Primitiae sunt primi fructus agrorum et pecudum, quae in veteri lege ex divino praecepto debebantur. Apud priscos Christianos usus primitiarum receptus est, diuque perduravit; deinde vero contrariis moribus exolevit. Verumtamen quod ad Primitias attinet, tribus animadversionibus rem totam complecti possumus. Prima est, initio Ecclesiae nullam certam quidem exploratamque legem extitisse, qua Primitias pendere oporteret. Canones Apostolorum, et Nicaeni Arabici eam legem meminisse videntur, sed ipsorum auctoritas aut nulla est, aut dubia. Secunda est, ex moribus diuturnis, ex doctrina Patrum, qui primitias non secus ac Decimas deberi tradiderunt, ac demum ex Canonum praescripto factum esse, ut Primitiae propriis Ecclesiis praestandae essent. Tertia est, sequutis temporibus, et praesertim aetate nostra in desuetudinem penitus abiisse. Quia vero Primitiae non modo ad gratias Deo agendas tamquam bonorum omnium largitori, verum etiam ad Ministrorum sustentationem offerebantur, inde colligitur

in praesenti quoque disciplina Primitias jure exigi, si aut consuetudo loci obtineat, aut Ministri altaris indigeant; quod Jacobus Delalande in Rubrica ad tit. Decretal. de Decimis ita explicat. « *Quod specialis sit ratio Primitias praestandi, nimirum in recognitionem divinae liberalitatis ob fructus concessos, quae cum temporis diuturnitate concurrit, ita Primitiae duobus casibus obligationis nexu continentur, si populus usu longaevo eas rependere solitus sit, vel si Sacerdotes indigeant, quibus intervenientibus sunt in mandato.* »

§ LXXIII.

DE OBLATIONIBUS

Oblationis nomine veniunt rerum omnium mobilium, sive immobilium largitiones sponte factae. Nos autem eam vocem accipimus quatenus res mobiles significant. Olim tria oblationum genera fuerunt. Primum genus erat earum rerum quae ad altare ferebantur tempore sacrificii, et in primis panis et vinum offerebatur, ex quibus Sacra Eucharistia conficeretur; tum etiam oleum et incensum, et novae spicae, aliaque munera, quae aut altari, aut Clericis alendis inservirent. Aliqui putant pecunias etiam inter Missarum solemnia oblatas fuisse, unde Missarum honoraria originem duxerunt. Qua de re confer Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 5. cap. 8. Sed offerre ad altare vetabantur publice poenitentes ante reconciliationem, in haeresim lapsi, excommunicati, dissidentes et qui pauperes opprimebant, quod communione indigni viderentur. Alterum oblationum genus est earum rerum, quae extra sacrificium ad domum Episcopi deferebantur, vel in gazophylacium, seu exedram recipiendis et servandis oblationibus in Ecclesia constitutam inferebantur.

Harum administratio et distributio ad Episcopum pertinebat, qui opera Archidiaconi, aut deputati OEconomi utebatur. Ex his autem oblationibus comparanda erant omnia ad cultum divinum necessaria, tum ad subsidia conferenda Clericis vel quotidie, vel singulis hebdomadis aut mensibus habita ratione gradus et ordinis, tum etiam ad pauperes alendos. His oblationibus ea munera successerunt, quae a fidelibus Deo et Ecclesiis fiunt, et praesertim arculis Ecclesiarum ad largitiones populi colligendas expositis immittuntur. Tertium denique genus earum rerum est, quas Christiani in exequiis mortuorum, in suscipiendis Sacramentis, in aliisque sacris officiis largiebantur, unde nata jura stolae, quae praecipue Parochis post sacra administrata tribuuntur.

Nunc igitur loco veterum oblationum habentur 1. Honoraria Missarum, quae dantur Sacerdoti rem divinam facienti, ut ex mente dantis sacrificium offerat. Qua super re Concilium Tridentinum sess. 22. de observ. et evitand. in celebratione Missae sancivit, ut Episcopi « *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosinarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.* » Confer etiam Benedictum XIV. in Constit. 22. tom. 1. ejus Bullarii. 2. Pecuniae, aliaque munera quae Ecclesiis, Cappellis, aut Altaribus, ubi imagines miraculorum fama celebres venerantur, vel Sanctorum reliquiae quiescunt, a Fidelibus offeruntur. Hujus generis oblationes ubicumque factae sint intra limites alicujus Parochiae, ad ipsam Parochialem Ecclesiam pertinent, quod factae intelligantur ob curam spiritualem quae ad Parochos incumbit. Ita S.ª Congregatio Concilii in Fulginat. oblat. die 6. Aprilis 1647. declaravit: « *Rectori Parochialis Ecclesiae S. Nico-*

lai Belfioris Dioeces. Fulginaten. deberi oblationes, quae fiunt in Ecclesia simplici S. Mariae Prati existente intra limites dictae Parochiae. » Cessat tamen haec regula, quoties alia offerentium voluntas patefacta sit, tunc enim oblationes dandae sunt illi Ecclesiae aut loco, cui offerens eas adscribi voluit. Similiter ad Ecclesiam Parochialem non pertinent oblationes, quae alii usui ex consuetudine vel privilegio addictae sunt. Oblationes autem Monasteriis factae Monachis proficiunt, cap. 1. de statu Monac. 3. Denique jura stolae, seu stipes, quae post administrata Sacramenta, praesertim Baptismi et Matrimonii, post exequias Defunctorum, aliasque sacras functiones tribui solent. Olim hujusmodi stipes erant spontanea largitio, quae deinde in laudabilem consuetudinem abiit, et in Concil. gen. Lateranensi sub. Innocentio III. probata est. Siquidem statutum in eo fuit, Sacramenta et reliqua officia sacra gratis administranda, nulla scilicet temporali re aut petita aut recepta *ante administrationem*; fideles vero ad consuetas oblationes teneri, quin etiam ab Episcopo cogi posse si offerre detrectaverint, cap. 42. de Simonia; et hanc legem extorsit necessitas Parochorum, quibus si molestiae et labores non desunt, alimenta certe interdum deerant. Ceterum omnem turpis lucri suspicionem Parochi vitare debent, nec quidquam a pauperibus recipere, eoque minus exigere.

§ LXXIV.

DE DECIMIS

Alterum genus redituum Ecclesiasticorum conficiunt Decimae, de quibus breviter agendum est. Sunt autem Decimae certa pars fructuum, vel lucri. Certa pars, inquam, non decima: nam interdum major est, interdum

minor ob diversam locorum consuetudinem. Dicuntur autem pars fructuum aut lucri, quod aut ex fructibus praediorum, aut ex lucro industriae persolvuntur, unde praecipua eorum divisio est in *praediales* et *personales*.

Itaque praediales ex fructibus et proventibus praediorum debentur, sive praedia urbana sint, sive rustica, cap. 7. de pactis; sed ex praediis urbanis, hoc est aedificiis habitandi causa aut in urbibus, aut extra urbes sitis, Decimae praestandae non sunt, nisi locentur, cit. cap. de pactis, et cap. 23. hoc tit., quia decimae sunt onera fructuum vel industriae; nullus autem fructus ex non locata domo percipitur, quemadmodum ex agris non cultis. Hujusmodi Decimae majores vocantur, si ex frumento, vino, aliisque fructibus majoribus; minores, si ex leguminibus, oleribus, fructibus arborum, aliisque minoribus pendantur. Praeterea ratione praediorum vel sunt veteres, vel novae seu novales, prout praedium jamdiu coli consueverat, aut « *de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultum fuisset* » cap. 21. de V. S.

Personales ex rebus industria et arte comparatis, veluti ex lucro negotiationis, militiae, venationis debentur, non autem ex rebus titulo lucrativo, ex. gr. donatione, successione, legato acquisitis, quod ista bona non sunt fructus praediorum, vel industriae humanae, nec illa acquirimus, sed nobis acquiri dicuntur.

Hae binae Decimarum species distinguuntur, cap. 20. de Decimis, Primitiis et Oblat. Doctores autem addiderunt tertiam Decimarum speciem, quas *mixtas* appellant, eorum nempe fructuum qui partim industria, partim natura comparantur, veluti ex pecorum foetu, lacte et similibus.

§ LXXV.

DE JURE PERCIPIENDI DECIMAS

Jure communi ecclesiastico Decimarum solutio Christianis omnibus imposita est, quod ex Canonibus Conciliorum, summorum Principum Edictis, et Romanorum Pontificum Constitutionibus perspicuum est. Debentur autem propter curam animarum quam Ecclesia gerit. Ante bonorum divisionem Episcopo solvebantur, qui easdem non secus atque cetera bona ecclesiastica in Clericos aliosque usus ecclesiasticos distribuebat. At successu temporis, et facta praesertim bonorum divisione Decimae jure communi ad Parochos pertinent, Cap. Cum contingat, et Cap. Cum tua, ubi sermo his verbis absolvitur « *alioquin Parochialibus Ecclesiis exsolvantur ad quas de jure communi spectat Decimarum perceptio.* » Ex quo fit ut quamquam nonnulla beneficia aut fundatione, aut dotatione, aut privilegio, aut permutatione, aliove titulo aliquam Decimarum portionem consequuta sint, si tamen dubitatio accidat, num aliquae Decimae ad Paroeciam, an ad aliam Ecclesiam seu Beneficium pertineant, Decimae Parocho solvendae, quod jus Ecclesiae Parochialis ad percipiendas Decimas aperto jure nitatur. Sunt autem hae regulae observandae. 1. Decimae praediales solvendae sunt Paroeciae, intra cujus fines praedia sita sunt, quamvis dominus praedii in alia Paroecia moretur. 2. Decimae personales debentur Paroeciae, in qua Christiani Sacramenta suscipere tenentur. 3. Decimae mixtae debentur Paroeciae, ubi animalia continuo pascuntur, et si per dimidium anni in territorio unius Ecclesiae, et per aliud dimidium in territorio alterius pascantur, Decimae inter utramque Paroeciam dividendae sunt, quod tradit

Glossa in cap. 20. de Decimis. 4. Decimae praediales nullis deductis expensis, personales vero et mixtae subductis expensis praestandae sunt: igitur decimae praediales nec expensis communibus ex. gr. collectis, tributis ratione praediorum impositis, rata commodi, neque aliis extraordinariis onerandae sunt, sed « *antequam ullas de praedictis bonis deducatis expensas, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debita persolvatis* » Caelest. III. cap. 22. hoc tit. 5. Decimae novalium, cum praediales sint, Ecclesiae Parochiali debentur « *nisi ab his qui alias percipiunt Decimas, rationabilis causa ostendatur, per quam appareat Novalium ad eos Decimas pertinere* » quod respondit Pontifex cap. 29. de Decimis. Hujusmodi rationabilis causa videtur esse, si alii decimatori consuetudo peculiaris, aut privilegium Apostolicum, aut aliquis legitimus titulus aperte faveat. 6. Novalia minus proprie dicta, hoc est Decimae ejus praedii, quod non recens excultum, sed tantum ad diversum culturae genus redactum est, eisdem solvendae sunt quibus antea debebantur, quia permutatio qualitatis, seu formae substantiam rei non immutat, nec juri quaesito obesse potest.

Decimae autem jure communi ecclesiastico a Christianis omnibus praestandae sunt, quin imo ad praediales Decimas Judaei quoque obligantur, quod ipsis fundis veluti inhaereant. Ob eamdem causam Clerici quoque solvunt Decimas praediales non solum ex praediis patrimonialibus, verum etiam ex praediis Beneficiorum, si praedia cum tali onere ad Ecclesiam pervenerint. Atque haec forte verior, at certe planior interpretatio est Cap.is 2. de Decimis, cujus verba sunt. « *Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis Decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legimus: non enim Levitae Levitis Decimas accepisse leguntur. Illi profecto Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, De-*

cimas eis debent. » Quo in capite aliquibus visum est unum idemque simul affirmari et negari. Verum prior propositio ad regulam generalem, altera ad exceptionem regulae commode referri potest, ut nimirum Clericus qua Clericus ex bonis Ecclesiae, nisi antea huic oneri obnoxia fuerint, Decimas solvere non teneatur, Clericus autem qua fidelis de bonis patrimonialibus ad solvendas Decimas obstringatur. Ipsi Monachi et Regulares lege tribuendi Decimas soluti non sunt « *nisi de novalibus suis quae propriis manibus, vel sumptibus excolunt, et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis* » quod sancitum est Cap. Ex PARTE 10. de Decimis. Ceterum idem Religiosi tam exempti, quam non exempti de terris et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis Decimas integre solvant illis Ecclesiis, quibus eaedem possessiones et terrae prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure vel privilegio sint muniti, ut expressis verbis decrevit Bonifacius VIII. cap. fin. hoc tit. in 6.°

Omnium vero Decimarum quarta pars Episcopo tribuenda est, Cap. CONQUERENTE de offic. Jud. ordin.; et Cap. QUONIAM de Decimis, eamque exigere potest a Parochis, si decimae solutae sint, a Parochianis autem, si nondum solverint. Hujus vero quartae decimationis non magnus hodie est usus.

§ LXXVI.

DE IMMUNITATE A SOLVENDIS DECIMIS

Obligatione solvendi Decimas eximi possumus privilegio Summi Pontificis, praescriptione seu consuetudine, et pactis conventis. In primis itaque immunitatem a solvendis Decimis Pontifex tribuere potest propter supre-

mam ejus in res et jura ecclesiastica potestatem. Et quidem Monachi et Regulares similibus privilegiis aucti sunt. Nemo tamen putet se ab eo onere solutum esse privilegio Summi Principis saecularis. Cum enim « *laicis nulla sit de rebus spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio quantumcumque generaliter fiat, neminem potest a solutione Decimarum eximere* » ut ait Innocentius III. Cap. 25. de Decimis. Nec etiam Episcopus privilegium hujus generis impertiri potest, cum extra casus specialiter concessos super jure communi dispensare nequeat, cap. 13. de temp. Ordinat. Interim vero quod ad Pontificis privilegia attinet, animadvertendum est, num privilegium sit reale an personale, illud enim singulis praediorum possessoribus prodest, hoc autem praediis in aliam personam translatis penitus exspirat. Praeterea privilegium ita interpretandum est, ut minus quo fieri possit, Ecclesiae Parochiales graventur, et « *ubi per hujusmodi concessiones Decimarum parochiales Ecclesias adeo gravari contingat, quod earum rectores de ipsarum reditibus congrue sustentari, et commode jura Episcopalia exhibere non possunt, provideatur per locorum Ordinarios, et ordinetur taliter quod eisdem rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus quod exinde competentem sustentationem habere, et Episcopalia jura solvere valeant, aliaque onera debita supportare* » Cap. 2. de Decimis in 6.°

Praescriptione etiam comparatur immunitas a solvendis Decimis, Cap. 4. de praescript. Et quidem contra Ecclesiam Parochialem, quae, ut ajunt, fundatam in jure communi intentionem habet, praescriptione quadraginta annorum cum titulo, et sine titulo praescriptione temporis, quod hominum memoria superet, argum. Cap. 1. de praescript. in 6.° Contra Ecclesias alias, veluti Monasteria, Capitula quibus Parochia non incumbit, praescriptione ordinaria, hoc est decem annorum inter praesentes

et viginti inter absentes; sine titulo autem praescriptione quadraginta annorum, Cap. 4. et 6. de praescript. Sed aliqui Doctores, nulla facta inter Parochiales, aliasque Ecclesias distinctione, universim docent, obligationem Decimarum, nisi praescriptione quadraginta annorum cum titulo, vel immemorabili sine titulo non extingui.

Item consuetudine perimitur obligatio solvendi Decimas, quae a praescriptione in eo differt, quod praescriptio peculiaribus personis, consuetudo integrae Communitati faveat, et tacita vel praesumpta legislatoris voluntate nitatur. Sic personales Decimae et mixtae fere ubique in desuetudinem abierunt, praediales etiam in multis locis, praesertim ex eo tempore, quo Ecclesiis Parochialibus alii reditus congrui assignati sunt. Hinc generales Canones vim amplius non habent, ubi contraria consuetudo legitime inducta est, atque adeo aetate nostra secundum diversam locorum consuetudinem pene omnis quaestio Decimarum dirimenda est. Duo tamen optime notanda sunt cum Francisco Monacello in suo Formulario leg. practico part. 3. tit. I. formula 28. « *Primo*, inquit, *est notandum, quod si agatur de exemptione personae particularis, sive Clerici, sive laici, decima praescribitur per 40. annos cum bona fide, et titulo saltem colorato, vel per immemorabilem etiam sine titulo; si vero agatur de exemptione totius Communitatis, licet nonnulli voluerint, quod si populus, sive Communitas fuerit in possessione immunitatis non solvendi decimas per 40. annos bona fide praescribat absque alio titulo, verior tamen opinio est, quod per cursum dicti temporis non possint abrogare legem Decimarum absque titulo, vel sine immemorabili, ut advertit Pirhing in Jus Canon. lib. 3. tit. 30. n. 131. Si tandem agatur inter duas Ecclesias Parochiales, ad inducendam consuetudinem sufficit decursus decennii. Notandum secundo, quod lex Decimarum per praescriptionem aut con-*

suetudinem nunquam abrogari potest, si ministris Ecclesiae desit aliunde congrua et necessaria sustentatio, quia tunc jus naturale et divinum, quod abrogari, nec praescribi potest, jubet ut decima solvatur, veluti distinguendo probat Barbosa de offic. Parochi Cap. 18. §. 3. ».

Denique conventione, seu pactis conventis obligatio Decimarum extinguitur. Conventionis nomine non gratuitam remissionem intelligimus, quae sine Pontificis auctoritate, sive privilegio consistere nequit, sed transactionem, permutationem, aliudve pactum onerosum quo Ecclesia quodammodo compensetur. Jam vero si pactum inter Ecclesias ineatur, consensus Episcopi satis est, Cap. 2. de Transact. ubi Alexander III. « *statuimus*, inquit, *ut si super decimis inter vos, et aliquam personam ecclesiasticam de assensu Episcopi sui compositio facta fuerit, rata et inconcussa persistat.* » At si Ecclesiam inter et laicum pactum conventum sit, auctoritate Pontificis opus est. « *Super quibusdam decimis mediante Albanensi Episcopo tunc Apostolicae Sedis Legato amicabilis compositio intervenit, expresse adjecto quod quantocyus eam auctoritate Apostolica confirmari contingeret, statim deberet executioni mandari.* » Ita Honorius III. illustri Regi, Baronibus et militibus, aliisque hominibus Cypri, Cap. 8. de confirmat. util. vel inutil. « *Quare cum transactio super decimis in eo textu facta esset inter personam ecclesiasticam et laicos, non vero inter ecclesiasticas personas ex utraque parte, ideo non sufficit auctoritas Episcopi, sed Pontificis licentia desideratur* » quod recte notat Gonzalez in Cap. 2. de transact.

§ LXXVII.

DE DECIMIS INFEUDATIS

Quibus modis immunitas solvendi Decimas obtinetur, eisdem etiam jus decimandi comparatur. Plures profecto Ecclesiae et Monasteria privilegiis aut praescriptione, aut consuetudine, aut pactis jus percipiendi decimas consequuta sunt. Verumtamen laici ab Ecclesiis in eo discrepant, quod etsi recensitis modis a solutione decimarum eximi possint, cum eo pacto non jus spirituale acquirant, sed tantum solutionis onere leventur; jus tamen exigendi decimas sibi comparare non possunt, propterea quod jus illud spirituale sit: pendet enim ab officio spirituali, vi cujus Decimae percipiuntur. Hinc laici « *decimas detinere non possunt, et sic eas nulla ratione valent praescribere* » ut ait textus in Cap. 7. de praescript. Unde consequitur, ut privilegium Pontificis, quo uno queunt laici potiri decimis, non jus directum et spirituale, sed solam utilitatem et commodum decimarum a titulo spirituali penitus separatum conferat, atque adeo decimae mere laicales evadant. Nihilominus mediis saeculis, sicut plura bona ecclesiastica, ita etiam decimae in laicos translatae sunt jure feudi, ut istae proinde ceu bona patrimonialia et privata in commercio essent, et in haeredes transirent. Id primo factum est a Summis Principibus, qui decimas in feudum et praemium laborum militibus distribuerunt, id aequum rati, quod milites etiam pro Ecclesiis pugnavissent. Item nonnulli Episcopi militibus jure feudi decimas dederunt, ut eos sibi pro Ecclesiarum defensione obstringerent, quin aliquorum Episcoporum eo pervenit augendi, ditandique suos cupiditas, ut familiares et consanguineos suos hujusmodi largitionibus locupletarent. Qua

de re graviter conqueritur S. Gregorius VII. can. 3. caus. 16. quaest. 7. Laici quoque multi manus in decimas injecerunt, et praesertim viri nobiles, qui cappellas quasdam, seu Ecclesias in suis castris ruri sitis aedificabant, atque decimas ex fundis conterminis sibi vindicabant, Parochis vel invitis, vel conniventibus. Hanc decimarum occupationem aegre admodum Ecclesia tulit, sed tamen passa est, eo quod cum nobilibus et potentibus certandum erat, quae res difficultatis et periculi plena videbatur. Sed tandem Concilium Lateranense III. prohibuit « *ne laici decimas cum animarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre; si quis vero receperit et non reddiderit, christiana sepultura privetur* » Cap. 19. de Decimis. Quem Canonem summa ferme consensione sic Interpretes explicarunt, ut in eo novas decimarum acquisitiones vetitas esse affirmarent, sed permissas vel toleratas decimas, quibus antea laici fruebantur. Huic sententiae favere videtur Cap. 25. de Decimis, in quo Innocentius III. decimas in feudum concessas memorat, nec tamen improbat, et Cap. 2. de Decimis in 6.° ubi Alexander IV. videtur significare decimas jure possideri, quas laici ante Concilium Lateranense III. in feudum perpetuum obtinuissent. Verumtamen concessiones omnes decimarum post eam Synodum factae sive in feudum, sive in emphyteusim, itemque venditiones, permutationes, aliive contractus, per quos dominium utile decimarum in laicos transferatur, sine expressa Apostolicae Sedis auctoritate irriti et nulli omnino sunt.

§ LXXVIII.

DE BONIS ECCLESIAE STABILIBUS

Praeter oblationes et decimas praediis quoque aliisque bonis stabilibus Ecclesia potita est. Quousque civilis potestas Christianam Religionem persecuta est, Ecclesiae bona fuerunt plerumque res mobiles ex fidelium spontaneis largitionibus comparatae. Profecto res immobiles persecutione saeviente perpetuis direptionibus patuissent, nam coelari non poterant, aut alio asportari. Atqui tamen Ecclesia per illud temporis bonis stabilibus non penitus caruit, quod ex Edicto Constantini et Licinii anno 313. manifestum est, ubi inter alia sic decernitur. « *Omnia quae ad Ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus, aut possessio sit, sive agri, sive horti, sive quaecumque alia, restitui jubemus.* » Sed postquam res Christianorum florere coeperunt, ex ipsis Imperatorum largitionibus et latis legibus Ecclesia fundos magna copia acquisivit. Namque templa Gentilium, eorumque reditus, nec non conventicula haereticorum, et praedia ad eadem spectantia ex Imperatorum liberalitate Catholicae Ecclesiae addicta fuerunt, uti compertum est ex L. 20. Cod. Theod. de Paganorum sacrif. et Temp. et L. 52. de haereticis. Item Imperatores liberum cuique permiserunt arbitrium, vel testamentaria successione, vel actibus inter vivos quodcumque vellet in Ecclesiam transferendi, L. 1. et L. 19. Cod. De SS. Ecclesiis, et passim eod. titulo.

His igitur aliisque legitimis titulis paullatim crevit Ecclesiae patrimonium, eique magna praediorum bonorumque copia accessit per haereditates et donationes Clericorum et Monachorum, tum quia ex L. 20. Cod. de Episcopis, si Clerici vel Monachi intestati nullis relictis

haeredibus legitimis decessissent, eorum bona Ecclesiae, vel Monasterio cui addicti erant, adscribebantur, tum quia ipsorum plerique dum se altari vel monasterio dedicarent, bona sua aut eorum partem in Ecclesias et Monasteria transferebant, tum demum per haereditates, aliasve res quae Monachis obveniebant, quum omne id quod acquirit Monachus, acquirat Monasterio. Sed Ecclesiae acquisitiones uberiores factae sunt ex utentium parsimonia et provida administratione, ac potissimum ex laboriosa soli cultura maximum incrementum acceperunt. Quot enim horridae solitudines, et quondam ferarum latibula in amoena diversoria, quot spineta in hortos, quot fundi squallentes in agros et prata, quot deserta loca et inaccessa in praediola belle aedificata et fertilia conversa sunt, postquam ea Clerici, et praesertim Monachi industria et labore suo excoluerunt? Qua in re praecipuam laudem merentur Benedictini.

§ LXXIX.

DE JURE ACQUIRENDI BONA STABILIA

Hoc loco instituitur quaestio: Quo nempe jure bona temporalia, et praesertim praedia, resque immobiles Ecclesia acquirat, et possideat? Jure ne civili, an alio jure humano, vel divino? Sed nisi me valde amem, propositae quaestioni nitide solideque responderi potest. In primis itaque affirmo Ecclesiae jus esse acquirendi, possidendique bona stabilia ex jure naturali. Omnis profecto societas, cui sunt onera ferenda et sumptus faciendi, habet jus ad bona et reditus temporales, sine quibus eadem onera sustineri nequeunt. Jam vero in societate christiana extruenda sunt templa et altaria, comparanda ornamenta et vasa sacra, aliave ad divinum cultum pera-

gendum, alendi sunt Episcopi, Presbyteri et Ministri qui Ecclesiae serviunt, Clerici in literis et bonis moribus instituendi, curandi pauperes et infirmi, multa denique impendenda quae communem Ecclesiae utilitatem spectant. Qui autem fieri haec possunt sine aedibus, sine censu, sine copia rerum? Habet igitur Ecclesia jus acquirendi, possidendique temporalia bona, quibus communia onera perferat, quemadmodum civili societati jus est exigendi praestationes et tributa, vel etiam bona stabilia et fructifera possidendi, quibus publicae necessitati et utilitati prospiciat.

His positis secundo loco affirmo, illud jus ab ipso quoque divino jure seu ex potestate divinitus Ecclesiae tradita proficisci. Enimvero saevientibus priorum saeculorum persecutionibus, quamquam Principes vi et legibus obstarent, quominus Ecclesia ceu Collegium illicitum temporalibus bonis potiretur, ipsam tamen domos, agros, aliaque cum mobilia, tum stabilia bona adeptam esse et possedisse ex Constantini Edicto, quod supra protulimus, compertum exploratumque est. Huc vero praecipue facit illud S. Pauli I.ª ad Corinth. cap. 9. « *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* »

§ LXXX.

DE LEGE AMORTIZATIONIS

Ex his praemissis illud plane consequitur, quod saltem ob defectum jurisdictionis invalida sit lex amortizationis, quam etiam *manuum mortuarum* vocant, hoc est Principum Edictum, quo generatim statuitur ne res im-

mobiles in Ecclesias, seu alia loca pia sive inter vivos, sive in ultimis voluntatibus sine consensu civilis potestatis transferantur. Quae quantaque adversus eam legem Paulus V., aliique Pontifices gesserint, locuples testis historia est. De hac lege multa a nobis dicta sunt in Jure publ. Ecclesiast. § 69.

CAPUT II.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

§ LXXXI.

DE ORIGINE ET NATURA BENEFICIORUM

Hactenus bona ecclesiastica universim consideravimus: nunc de Beneficiis Ecclesiasticis, quae sunt veluti quaedam bonorum ipsorum portiones spirituali officio adnexae, dicendum est. Siquidem Beneficii nomine intelligimus « *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ratione spiritualis officii auctoritate Ecclesiastica constitutum.* » Theologis vero Beneficium Ecclesiasticum est « *Jus obeundi officii spiritualis auctoritate ecclesiastica constituti, cui jus percipiendi fructus perpetuo adnexum est;* » idque ob eam causam, quod spirituale officium in Beneficio praecipuum sit, jus autem percipiendi fructus omnino secundarium et sacro ministerio adnexum. Canonistae sumpserunt definitionem suam ex trita juris doctrina, quod « *beneficium datur propter officium* » unde significatur nomine beneficii non ipsum officium intelligi,

sed jus percipiendorum fructuum quod datur propter officium. Ceterum utram definitionem eligas, non multum interest, quandoquidem ipsi Canonistae praecipuam causam beneficii, ejusque naturam in sacro ministerio constituunt.

Sic accepta beneficia primis Ecclesiae saeculis ignota fuerunt, nam bona et reditus ecclesiastici in communi administrabantur, et singuli Clerici ex communi aerario alimenta accipiebant. Sed ineunte saeculo sexto, et facta bonorum partitione ea vigere coepit consuetudo, ut Episcopi, penes quos summa rerum ecclesiasticarum administratio relicta erat, aliquibus Clericis sive humanitatis, sive meritorum intuitu praediola quaedam ecclesiastica in usumfructum concederent. Hujusmodi concessiones, veluti quaedam beneficiorum imagines extiterunt, non proprie dicta beneficia, non enim in titulum, nec ratione spiritualis officii, sed Episcoporum munificentia, aut remuneratione, gratia, misericordia, et precario dabantur; nec praedia ipsa spirituali officio perpetuo adnexa erant, sed morte Clerici, aut elapso concessionis tempore ad commune Ecclesiae aerarium revertebantur. Paullatim vero et veluti per gradus factum est, ut certis hujusmodi bonorum ecclesiasticorum partibus suus cuique titulus et officium spirituale perpetuo adnecteretur, et inde beneficia proprie dicta originem duxerunt.

Jam vero ex beneficii definitione perspicuum est ad ipsius naturam tria maxime pertinere, nempe jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, officium spirituale eidem adnexum, et Ecclesiae auctoritatem, seu institutionem. Et ad primum quod attinet, Beneficium situm est in jure, hoc est legitima facultate percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, eaque perpetua tum ratione beneficii, quod semel erectum semper permanet, tum praecipue ratione Beneficiarii, qui non ad tempus, sed

in perpetuum, hoc est quousque vixerit, jus ad percipiendos reditus consequitur. Ex quibus colliges a natura beneficiorum distare tum patrimonia sacra, quae non ex bonis Ecclesiae, sed laicorum constituuntur, tum pensiones ecclesiasticas, quae morte Beneficiarii extinguuntur, tum Capellanias laicales seu manuales quae pro lubitu concedentis auferuntur. Huc etiam pertinent beneficia manualia quae ad nutum adimi possunt, quaeque a Capellaniis laicalibus in eo tantum differunt, quod a potestate ecclesiastica concedantur. Haec tamen Leurenius in foro Benefic. part. 1. quaest. 84. veris beneficiis adjungit. At certe Vicariae temporales non sunt proprie dicta beneficia, perpetuae vero beneficia dicuntur, inspecto nempe jure perpetuos reditus percipiendi « *non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuae Vicariae proventibus est provisum* » Cap. Postulasti 27. de Rescriptis. Verumtamen si inspiciamus, quod in Beneficiis praecipuum est, jus nempe obeundi sacri ministerii, Beneficia vocari nequeunt, cum jus illud proprium et nativum in eo maneat, cujus loco et vice Vicarius perpetuus constituitur. Secundo loco ad naturam beneficii requiritur officium spirituale, veluti praedicatio verbi, administratio Sacramentorum, aliudque ministerium in Ecclesia obeundum, cum beneficia ecclesiastica instituta sunt, ut « *in Ecclesiis devotum servitium jugiter impendatur* » ut ait Innocentius III. ep.ª 82. ad Auxitanum Archiep.; et Tridentini Patres sess.ᵉ 21. de Reform, cap. 3. docent « *beneficia ad divinum cultum et ecclesiastica munera obeunda esse constituta.* » Unde consequitur neque laicos beneficiorum capaces esse, neque jus percipiendi proventus ecclesiasticos ratione alicujus profani muneris in Ecclesiae utilitatem explendi beneficium dici posse. Tertio denique non est beneficium ecclesiasticum nisi accedat auctoritas Pontificis vel Episcopi,

quorum est bona in dotem constituenda acceptare, eisque spirituale officium adnectere, atque adeo in Beneficii titulum erigere. Hinc proventus licet perpetuo stabiles cum onere alicujus ministerii spiritualis, ex. gr. legendi Missas in certa Ecclesia vel altari, aliasve functiones obeundi, non requisita a fundatore, aut expresse remota Episcopi auctoritate, qua hujusmodi fundatio in titulum erigatur, non Beneficia ecclesiastica, sed Capellaniae laicales, vel pia legata censenda sunt.

§ LXXXII.

DE DISCRIMINE INTER BENEFICIA ET CAPELLANIAS

Qualis autem differentia sit Beneficii et Capellaniae, uberius dicendum est. Praecipua Capellaniae divisio est in *manualem* et *collativam*. Manualis, quae etiam mercenaria et laicalis dici solet, est pia fundatio, seu assignatio certi fundi, vel reditus, ut tot Missae celebrentur, adjunctis interdum oneribus aliis a Capellano explendis. Capellania collativa quam etiam ecclesiasticam vocant, illa est quae auctoritate Episcopi erigitur, et per canonicae institutionis literas ab Ordinario confertur; quamobrem verum Beneficium est, dum nihil a beneficio ecclesiastico praeterquam in nomine discrepet. Jam vero ut Capellaniae laicales, legata pia, et caeterae id genus fundationes a Capellaniis ecclesiasticis et collativis, seu a veris beneficiis distinguamus, diligenter dispiciendum est, num in eis inveniantur qualitates quas diximus ad veri naturam beneficii pertinere. Id vero ex tabulis fundationis ejusdem cognoscere in primis poterimus. Si etenim fundator aut expresse edixerit, velle se Capellaniam collativam erigere, aut Episcopi auctoritatem in ejus fundatione, vel collatione requisierit, aut si eam

voluntatem suam aliis verbis declaraverit, ex. gr. si Capellaniam erigat in certa Ecclesia, si dotem constituat, et Capellanos nomine Rectorum, aut Capellaniam ipsam Beneficium vocaverit, Capellaniam collativam, seu proprie dictum Beneficium instituisse dicendus est. At si perspicuis verbis mentem suam de fundanda Capellania laicali significaverit, aut si Episcopum ab ejus fundatione et collatione excluserit, aut si bona haeredibus reliquerit cum onere certi stipendii Capellano persolvendi, aut eidem arbitrium fecerit Capellanum ad libitum removendi, Capellania laicalis putanda est.

Si autem nec testamentum, nec alia scriptura supersit, unde vera et genuina qualitas piae fundationis elici queat, tum ultimus illius status inspiciendus est. Igitur si spatio quadraginta saltem annorum constet, Capellaniam ab Ordinario per institutionem canonicam collatam esse, Capellania collativa verumque beneficium censetur; contra vero Capellania laicalis putatur, si a Patronis ipsis etiam laicis sine ulla Episcopi institutione collata sit. Desumitur haec regula ex Cap. 5. de Praebend. in 6.° ubi Bonifacius VIII. statuit quadragenariam observantiam, seu legitimam praescriptionem in beneficiis etiam vim habere; sed in re perspicua, quando scilicet compertum exploratumque est fundatorem voluisse, ut Capellania nec collativa, nec Beneficium esset, sed omnino laicalis, tum non sufficit, eam collatam fuisse velut Beneficium spatio quadraginta annorum, sed ex eodem Bonifacio VIII. in Cap. Episcopum de Praescript. in 6.° tempus immemoriale requiritur, eoque in casu putari potest etiam consensum Patroni expressum vel tacitum interfuisse. Non desunt tamen Doctores qui omnem praescriptionem abjiciant, cum aperte constet de legitimo statu praecedente, quia ex Trid. Synodo sess. 25. de Reform. cap. 9. pias fidelium voluntates defraudare aequum non est, et pro-

inde nequeunt ullo temporis lapsu quam longissimo, ullaque auctoritate, nisi Apostolicae Sedis ex justa et necessaria causa commutari. Maxime vero interest, num aliqua pia fundatio induat nec ne Beneficii ecclesiastici naturam probe noscere. Namque in beneficiis ecclesiasticis reditus directe atque immediate per beneficiarios ipsos percipiuntur, et bona administrantur, exclusis omnino Patronis , sed bona et reditus Capellaniarum mere laicalium possidere et administrare possunt haeredes fundatoris, ipsique Patroni laici, si quidem in fundatione id cautum sit, et dummodo per idoneas personas explenda curent onera, quae in ipsa fundatione indicta sunt. Itaque bona hujusmodi Capellaniarum laicalia manent, ut proinde pacta super eisdem sine Pontificis auctoritate conventa non habentur simoniaca, et jus ad easdem praesentandi, atque earumdem concessio sine consensu Episcopi fieri potest: qua de re vide Leurenium in foro Benef. part. 1. quaest. 96. Similiter beneficia ecclesiastica neque ad tempus, neque sub conditione revocabili conferri possunt, quum tamen Capellaniae laicales recte conferuntur Presbytero, vel ad nutum mobili, vel in perpetuum, sicuti voluntas fundatoris vel patroni statuerit. Item Capellaniae laicales et ad nutum amovibiles Synodaticum, seu Cathedraticum non solvunt, nec cadunt sub spolio, nec reservationibus afficiuntur, bene quidem beneficia omnis generis. Denique Capellaniae a fundatore ejusque successoribus etiam laicis, praetermissa Episcopi institutione, per simplicem Presbyteri deputationem conferuntur, haec vero sine canonica institutione obtineri non possunt.

§ LXXXIII.

DE BENEFICIORUM DIVISIONE

Multa sunt Beneficiorum genera et divisiones, quae aut ratione officii spiritualis, aut ratione personarum a quibus conferuntur, aut ratione earum quibus conferuntur, aut denique ratione modi conferendi tradi solent. Igitur ratione officii spiritualis dividuntur: 1. In *majora* et *minora:* Majora dicuntur, quibus primi in Ecclesia gradus cum animarum cura et externa jurisdictione adhaerent, veluti Pontificatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abatiae cum jurisdictione quasi Episcopali, et Cardinalatus saltem ratione tituli. Minora censentur reliqua omnia beneficia. Qua in re illud praecipuum est, quod majora beneficia praesertim in odiosis non veniunt, beneficii nomine generatim sumpto, cum beneficia simpliciter non sint, sed apices dignitatum. 2. Dividuntur in *parochialia* et *curata.* Parochialia dicuntur, quibus animarum cura cum jurisdictione in foro interno, aliaque parochialia jura adnexa sunt: curata autem, quae curam quidem animarum habent, et jurisdictionem in foro interno, non tamen reliquis parochialibus juribus praedita sunt, et praesertim jure assistendi matrimoniis, et Baptismatis administrandi carent. Quare ut verbis utar Ludovici Engel in Collegio univ. Juris Canon. lib. 3. tit. 29. « *non semper idem est Beneficium curatum et Ecclesia Parochialis, nam Ecclesia, sive beneficium curatum generalius quid est, continens sub se plures species, et quamvis Parochia sine Cura non sit, potest tamen Cura sine Parochia esse, ut in Ecclesiis quae filiales appellantur.* » 3. Alia sunt *duplicia*, alia *simplicia:* duplicia vocantur, quae jurisdictionem, praecedentiam, sive

administrationem quamdam adjunctam habent, qualia sunt dignitates, personatus, et officia. Contra autem simplicia sunt, quibus nec cura animarum, nec ulla jurisdictio, aut praecedentia, vel administratio incumbit. Beneficiis simplicibus accensendi sunt Cathedralium et Collegiatarum Canonicatus, licet Canonicatus praesertim Cathedralium quasi dignitatibus accedant, atque ita vulgari nomine beneficiorum simplicium in odiosis non contineantur. Alio quoque sensu beneficia simplicia vocantur, quae assiduitatem seu residentiam non postulant, unde alia emersit beneficiorum divisio in *residentialia* et in *simplicia*. 4. Alia sunt *uniformia*, quae scilicet ejusdem sunt nominis et officii, alia *difformia*, quibus est diversus titulus et officium. 5. Denique dividuntur in *compatibilia* et *incompatibilia*, seu quae in eadem persona conjungi possunt, quaeve nequeunt. Incompatibilia vero sunt aut ratione praebendae, si nempe reditus unius beneficii ad congruam Clerici sustentationem satis sint, aut ratione officii, si videlicet utriusque beneficii munera ab uno eodemque Clerico expleri rite nequeant.

Inspectis autem Personis conferentibus dividuntur in *reservata* et *affecta*, quorum nempe collatio ad Pontificem pertinet, et in *non reservata neque affecta*, quorum collatio Praelatis inferioribus relicta est. Inspectis vero Personis quibus conferuntur, alia *regularia* sunt quae solis Monachis vel Regularibus, alia *saecularia* quae reliquis Clericis conferuntur. In hac Beneficiorum divisione monendum est, omnia beneficia ex primaeva sua institutione saecularia praesumi quoad aliter demonstretur. Regularia vero quatuor modis demonstrantur: 1. ex natura beneficii, si monastica officia contineant; 2. fundatione, si per voluntatem fundatoris ab Episcopo probatam Regularibus addicta sint; 3. unione, quando beneficium legitime et perpetuo Monasteriis unitum et incorporatum est; 4. prae-

scriptione, cum scilicet beneficium quadraginta annorum spatio « *ab uno vel pluribus Religiosis extitit continue et pacifice gubernatum ut praescriptio legitima sit completa* » Cap. 5. de Praeben. in 6°.

Denique beneficia ex diversa conferendi ratione dividuntur in *electiva*, quae per legitimam electionem et Superioris confirmationem, in *patronata*, quae ad patroni praesentationem aut nominationem, et Episcopi institutionem, et demum in *collativa* seu *libera*, quae per liberam Superioris collationem sine praevia electione, vel alterius praesentatione conferuntur.

§ LXXXIV.

DE ERECTIONE BENEFICIORUM

Erectio Beneficiorum est actus legitimus quo sacrum aliquod officium, vel ministerium in certa Ecclesia, vel altari a Clerico obeundum constituitur cum perpetuo reditu, quem Clericus jure suo percipiat tum alimentorum et stipendii causa, tum ad ferenda onera beneficii. Ex quo perspicuum est multa postulari ad erectionem Beneficii rite recteque perficiendam. Scilicet requiritur 1. legitima Superioris Ecclesiastici auctoritas: hujusmodi vero est vel Summi Pontificis, vel Episcopi. Igitur Romano Pontifici reservata est erectio Sedium Episcopalium, et his majorum, itemque Capitulorum tam Cathedralium Ecclesiarum, quam Collegiatarum, ac demum Dignitatum quae in ipsis Capitulis instituuntur. Ad Episcopum autem erectio aliorum beneficiorum et Ecclesiarum Parochialium spectat, quin etiam in Capitulis jam erectis sive Cathedralibus, sive Collegiatis novos Canonicatus et Praebendas instituere, et dignitatem quae olim extitit, et postea suppressa fuit, accedente Capituli consensu redin-

tegrare, non tamen Canonicos Supranumerarios cum jure ad praebendas primo vacaturas creare potest. Sed Concilium Tridentinum capp. 1., 5., et 8. de Reformatione sess. 24. potestatem fecit Episcopis Canonicum Poenitentiarium in Ecclesiis tantum Cathedralibus, Canonicum autem Theologum tum in Cathedralibus, tum etiam in Collegiatis Ecclesiis constituendi. 2. Requiritur titulus, sine quo erectio ecclesiastici beneficii consistere haud potest. Nomine autem tituli significatur non solum Ecclesia vel Cappella, vel ara alicui Sancto dicata, in qua sub ejusdem Sancti tutela et invocatione beneficium erigitur, et unde nomen desumit, verum etiam significatur officium ipsum spirituale, quod in eadem Ecclesia, aut Cappella, vel ara obire Beneficiarius debet: functio enim munerum ecclesiasticorum, et cultus divinus est Beneficiorum fundamentum et finis. Cum vero spiritualia locum non occupent, nihil obstat, quin in una Ecclesia, atque etiam in uno eodemque Altari plura Beneficia erigantur. 3. Requiritur constitutio dotis, quo nomine veniunt bona certa stabilia et frugifera, ex quibus Rector Beneficii annuos fructus percipiat. Dotem autem congruam esse oportet pro qualitate beneficii et onerum, eaque dos donatione irrevocabili per publicum instrumentum, aliasve publicas Scripturas constituenda, et ab Episcopo in actu erectionis Beneficio attribuenda et applicanda est. Concilium Trid. sess. 24. cap. 13. de Reform. congruam Episcoporum designavit in annuam fructus summam scutatorum mille, congruam autem Parochorum in summam scutatorum centum ex moneta illius Regionis, ubi Episcopatus, vel Parochia sita est. In reliquis autem Beneficiis quae dos congrua habenda sit, ex eodem Concil. Trid. Episcopi est decernere et judicare. 4. Denique decretum erectionis, quo Superior Ecclesiasticus praevio consensu eorum quorum interesse potest, Beneficium ipsum in perpetuum titulum

ecclesiasticum erigit, eique dotem applicat, legesque et conditiones approbat, si quas fundator praescripserit. Liberum enim cuique est largitione bonorum fundare beneficium, et statuere leges fundationis etiam juri communi adversas, uti si vellet beneficium conferri clerico ex suis consanguineis, aut certa civitate vel loco nato, aut non habenti aetatem a jure communi statutam. Hinc S.ª Congregatio Concilii in Senogallien. Capellaniae 9. Maji, et 6. Junii 1750. declaravit valere conditionem « *quam Patronus Ordinario approbante beneficio ab se erecto in limine fundationis, vel etiam ex intervallo ob reservatam sibi facultatem adjecit, ut deficientibus in familia vocata Clericis, possint etiam laici ejusdem familiae fructibus beneficii sic erecti gaudere cum onere per Capellanum satisfaciendi Missarum oneribus, idque non jure et titulo Beneficii, sed jure saecularis administrationis, et absque onere recitandi horas canonicas, donec aliquis veniat de dicta familia, qui Clericus sit et obtinendo beneficio idoneus* ».

Cum vero assensus Episcopi, seu Ordinarii formam et perfectionem fundationi et erectioni tribuat, et quasi contractus inter Ecclesiam (namque Episcopus non suo sed Ecclesiae nomine rem gerit) et fundatorem ipsum ineatur, illud plane consequitur, quod forma ipsius fundationis et erectionis, seu conditiones in limine fundationis praescriptae et ab Ordinario firmatae, tamquam leges inviolabiles servandae sint, et eorum observantia, executio, et conservatio ad jus publicum ita pertineant, ut neque a fundatore ipso vel ejus haeredibus, aut successoribus, accedente etiam consensu Episcopi, neque ab Episcopo cum consensu fundatoris ejusdem, vel ejus haeredum, seu successorum debeant amplius immutari, nec possint omnino. Sed nemo inficiabitur unquam potestatem immutandi vel derogandi fundatorum leges et voluntates in Romano Pontifice ob supremam et generalem

Ecclesiae administrationem residere: ea tamen potestate non utitur Pontifex, nisi ex justa et necessaria causa, ne fideles ab Ecclesiis aedificandis vel dotandis retrahantur.

§ LXXXV.

DE UNIONE BENEFICIORUM

Quidquid statum Beneficii immutat, innovatio Beneficii nuncupatur. Haec autem immutatio quatuor potissimum modis contingit: 1. *Unione:* 2. *Divisione:* 3. *Dismembratione:* 4. *Suppressione* seu *extinctione*, de quibus agendum est.

Unio beneficii fit, cum duae Ecclesiae, vel beneficia Superioris auctoritate ex justa causa inter se conjunguntur. Beneficiorum autem conjunctio temporanea seu personalis esse potest, vel realis et perpetua. Olim quidem fieri solebant temporaneae beneficiorum uniones in gratiam alicujus personae, ut quae beneficia distracte habere non poterat, ea invicem unita ad vitam possideret. Uniones hujusmodi improbarunt Sacri Canones, et praecipue Tridentina Synodus sess. 7. cap. 4. de Reform. ubi sancivit: « *ne plura beneficia per viam unionis ad vitam reciperentur, aut retinerentur.* » Quapropter docente Fagnano in Cap. Exposuisti 33. de Praeben. « *unio ad vitam non proprie est unio, sed magis quaedam palliata dispensatio prohibitae pluralitatis.* » Itaque vera unio realis est et perpetua, cum scilicet plura Beneficia non personarum, sed Ecclesiae bono inter se uniuntur atque incorporantur. Quae quidem unio tribus modis fieri consuevit, vel *per exaequationem*, vel *per accessionem*, vel *per confusionem*. Unio *per exaequationem*, quae et aeque principalis dicitur, tunc fit, quando duae Ecclesiae vel Beneficia ita conjunguntur, ut neutra alteri subjiciatur

vel adhaereat, sed integri et incolumes cuique serventur proprius titulus, proprii fines, ac reditus omniaque jura primaeva et privilegia, perinde ac si revera duae distinctae essent Ecclesiae, ita tamen ut semper conjunctim uni et eidem personae conferendae sint. Hac ratione Cathedrales Ecclesiae coadunantur; et in Ecclesiis seu Beneficiis inferioribus conjunctio hujusmodi fere nunquam usurpatur. Unio *per accessionem*, quae etiam subjectiva, servilis, inaequalis et accessoria dicitur, tunc fit quum una Ecclesia vel Beneficium alteri Ecclesiae, aut Beneficio conjungitur, eique tamquam accessorium principali subjicitur, ut proinde Ecclesia, cui fit unio, mater seu matrix vocetur, et Ecclesia unita tamquam filia habeatur; qua de re hujusmodi unio filialis interdum appellatur. Ecclesia vero, seu Beneficium subjective unitum, amisso proprio titulo et nomine, naturam induit Beneficii cui unitur, et efficitur illius membrum seu pars, ita ut quamquam onera, jura et proventus Ecclesiae unitae non cessent, haec tamen ad Ecclesiam principalem transferantur. Unio *per confusionem*, quae potius beneficii extinctio et suppressio dicenda est, quam unio, fit quum suppressis titulis duarum aut plurium Ecclesiarum, seu Beneficiorum, nova inde Ecclesia aut Beneficium creatur, ut si ex duabus Ecclesiis Parochialibus, quarum tenues valde sint reditus, una tertia Ecclesia Parochialis, eaque novo titulo erigatur; novo inquam titulo, quandoquidem si ipsarum Parochiarum unus, vel uterque antiquus titulus sartus tectus servaretur, unio non per confusionem, sed per exaequationem, aut per accessionem coalesceret. Unionis per confusionem effectus est, ut jura et privilegia utriusque Ecclesiae mutuo confundantur, aut si consistere simul nequeant, praestantiora reserventur.

Sed peculiaria sunt quaedam in unione Ecclesiarum et Beneficiorum non quidem alii Beneficio, sed Corpori

aut loco religioso, videlicet Monasteriis, Collegiis, aut Capitulis Canonicorum, quae mediis praesertim saeculis obtinuerunt. Conjunctiones istae, quae ad vitam monasticam et canonicam instaurandam institutae sunt, triplici pariter forma absolvuntur. 1. Quidem quod ad temporalia tantum, ut nempe salvis juribus spiritualibus et statu Beneficiorum sola administratio rerum temporalium, et jus percipiendi fructus Monasteriis, Collegiis, aut Capitulis attribuatur. Inde coeptum est Ecclesiam ab Altari distinguere, et Ecclesiae nomine bona omnia temporalia et reditus veniebant, Altaris vero nomine Sacramentorum administratio et cura spiritualis significabatur. Cujus rei exemplum extat in Cap. Pastoralis 7. de Donation. Itaque si legimus aliquando, et praesertim octavo saeculo laicos ipsos Ecclesiis potitos esse, eo nomine solae decimae et reditus temporales accipiendi sunt. 2. Fit unio quantum ad temporalia et spiritualia simul, quo intelligitur Ecclesias non tantum ratione redituum temporalium unitas esse, sed spirituale etiam officium in Monasteria, Collegia seu Capitula transivisse. 3. Denique fit unio quantum ad jurisdictionem Episcopalem, qua nimirum Monasterium seu Capitulum omnia consequitur jura spiritualia et temporalia, atque etiam jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum et populum Ecclesiae, vel Beneficii quod unitum est. Inde Monasterium, seu Capitulum Vicarios ad regendas Ecclesias unitas approbat, easdemque visitat excluso Episcopo.

§ LXXXVI.

DE SOLEMNITATIBUS UNIONUM

Beneficiorum uniones sunt odiosae et juri communi repugnantes, tum quia fundatores eo animo Beneficia

instituunt, ut singula singulis conferantur, tum quia Sacri Canones vetant plura beneficia in unum Clericum coacervare, secus enim cultus divinus imminuitur. Igitur ne voluntas fundatorum fraudetur, Beneficia unienda non sunt, nisi Ecclesiae necessitas vel utilitas postulaverit; quandoquidem fundatores putandum est bonum Ecclesiae in primis spectasse; quatenus autem uniones juri communi vulnus infligunt, a legitima potestate efficiendae sunt, et idcirco omnis unio ex justa causa et auctoritate superiori fieri debet. Jam vero quod ad causas unionum attinet, hujusmodi duae sunt a Sacris Canonibus probatae, videlicet evidens Ecclesiae utilitas, aut necessitas, Cap. Exposuisti 33. de Praeb. ex. gr. si belli, vel temporis injuria sacrae aedes devastatae sint, si reditus ad sustendandum Clericum non sufficiant, si lites et studia Ecclesiarum de praeeminentiis, juribus et privilegiis per unionem resecentur. Sed cognitio causae, utrum justa sit, ad Superiorem Ecclesiasticum pertinet, a quo ipsa unio ad exitum perducenda est. Summus autem Pontifex ampla potestate donatur Ecclesias et Beneficia omnia conjungendi, et praesertim unio Episcopatuum et Beneficiorum Concistorialium, ac primarum in Capitulis Dignitatum uni Pontifici reservata est. Reliquas autem Ecclesias et Beneficia suae Dioecesis unire potest Episcopus quin etiam plerique putant, Capitulum vacante Sede Episcopali, potestate augeri non sibi quidem, sed aliis locis piis aut Beneficiis Beneficia uniendi, modo nihil detrahat juribus Episcopalibus. Sed Vicarius Generalis sine speciali mandato Episcopi, imo nec inferiores Antistites, licet ordinaria jurisdictione praediti, Ecclesias et Beneficia sibi subjecta nequeunt adunare. Nam Caelestinus III. in Cap. Sicut unire de excessib. Praelat. rescripsit « *licere Episcopo Dioecesano unionem sine ipsius consensu et auctoritate a Praelato inferiore factam prorsus*

infirmare. » Lucius Ferrari in sua Biblioth. ad verbum *unio Benef.* n. 14. affert hujusmodi decretum. « *Sacra Congregatio Concilii censuit inferiores Episcopo non posse unire, nisi hanc facultatem legitime praescripserint, aut ex privilegio in Ecclesia sibi pleno jure subjecta jurisdictionem quasi Episcopalem habeant in omnibus et per omnia, alioquin unionem ab Episcopo faciendam esse cum consensu ipsius inferioris, et Capituli.* »

Sed ipsi Episcopi vetantur quaedam Beneficiorum genera conjungere. Et 1. Beneficia liberae collationis cum Beneficiis Juris patronatus, ne utraque cadant sub patronatu. 2. Beneficia curata cum Monasteriis, Abbatiis, Dignitatibus, Praebendis, sive aliis beneficiis simplicibus, aut cum Hospitalibus, Collegiis, vel Locis piis: expedit enim ad spirituale bonum animarum, ut Parochus curam exercens integris Parochiae reditibus fruatur, sitque verus et perpetuus pastor tum re, tum nomine proprio. 3. Neque Beneficium unius Dioecesis cum alterius Dioecesis beneficio, ne una Ecclesia diversis Praesulibus subjiciatur. 4. Ex Clement.ª finali de rebus Eccles. non alien. Episcopo non licet Mensae suae, quamvis pauperi, beneficium quodvis unire ad vitandam turpis lucri suspicionem, nec denique eidem Episcopo fas est beneficia Sedi Apostolicae reservata aut quocumque modo affecta aliis Beneficiis conjungere, tribus exceptis casibus, in quibus Canones Tridentini eam potestatem Episcopis delegarunt. Et 1. ex sess. 21. cap. 5. « *possint Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen praejudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium et baptismalium, et aliorum Beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter eorum paupertatem, et in caeteris casibus a jure permissis, etiamsi dictae Ecclesiae vel Beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque af-*

fecta. Quae uniones etiam non possint revocari, nec quoque modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. » 2. Ex cap. 18. sess. 25. de Reform. datur Episcopis facultas uniendi Seminariis, ne ex redituum defectu pereant, « *beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint etiam ante vacationem sine cultus divini, et illa obtinentium praejudicio, quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata vel affecta* ». 3. Denique sess. 24. cap. 5. de Refor. « *In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, et sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia, iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, sive jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere: ita tamen ut tot supersint quae divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiae commode valeant respondere, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus et privilegiis, aut quacumque reservatione generali, vel speciali, aut affectione.* »

Ex hoc Decreto praecipue colligitur: 1. Quod unio singulis praebendis distributive, non autem mensae Canonicorum generatim, nec massae distributionum, nec Sacristiae, nec Fabricae, neque Capellaniis, aliisve officiis earumdem Ecclesiarum facienda sit. 2. Quod simul concurrat et praebendarum et distributionum tenuitas, quum alterutra non sufficiat. 3. Quod Episcopis, non autem Praelatis inferioribus ea potestas tribuatur, eaque uti Episcopus possit, si velit; ipso autem nolente Canonici nequeunt unionem hujusmodi a Metropolitanis efflagitare. Vid. tamen Bened. XIV l. 9. cap. 7.

Unioni Beneficiorum opponitur disjunctio, qua nempe ipsorum unio antea rite facta dissolvitur, ut proinde eadem Beneficia in pristinum statum restituantur. Uniones autem dissolvi possunt cessante causa, propter quam Beneficia unita fuerant, uti si populus creverit, si reditus aucti, si aedes sacrae restitutae, itemque dissolvuntur Beneficia ob causam novam supervenientem qua unio inceperit noxia esse Ecclesiae. Porro Beneficia eisdem solemnitatibus dissolvenda, quibus conjuncta fuerunt, cognita nempe causa disjunctionis, habito consensu Capituli, et vocatis quorum interest unionem non dissolvi, et sine praejudicio Rectoris, ac denique auctoritate Episcopi a quo unio facta fuerat. Quin Interpretes monent Episcopum dissolvere posse non solum uniones ab se, vel suo Praedecessore factas, verum eas etiam quas Legatus Pontificis vel ipse Pontifex fecerit, tum quia Pontifex uniendo potestatem dissolvendi Episcopo non abstulit, tum quia dissolutio veluti favorabilis Ecclesiae habeatur. Caeterum Beneficiis in eum locum restitutis in quo ante unionem erant, collatio eorumdem aut praesentatio ad eos pertinet quorum antea fuerat, nisi collator aut patronus sua jura aperte renunciaverit, vel nisi aliter in actu disjunctionis statutum sit, id quod ad lites praecavendas in decreto disjunctionis expresse declarandum est.

§ LXXXVII.

DE BENEFICIORUM DIVISIONE, DISMEMBRATIONE, ET SUPPRESSIONE

Altera innovationis species est divisio, seu sectio Beneficii, per quam ex uno beneficio fiunt duo aut plura, ita ut divisis reditibus, juribus et oneribus duo aut plures Beneficiati deinceps instituantur. Pertinet autem

divisio Ecclesiarum Cathedralium ad unam et supremam R. Pontificis potestatem; Paroecias vero, aliaque beneficia inferiora Episcopus dividit, Argum. cap. 10. de Praebend., modo adsit causa necessitatis vel evidentis utilitatis, ut ex. gr. si unus Rector explendis muneribus Beneficii impar sit, si proventus utrique beneficio dotando sufficiat, et hujusmodi. Sed in divisione Parochiarum non quaelibet necessitas praestat sufficientem causam dividendi, sed eam esse oportet, ut aliud ei remedium adhiberi nequeat. Itaque si populo, quamvis aucto, impar sit unus Rector Sacramentis ministrandis, et divino cultui peragendo, tunc non licet Episcopo ex ea causa Parochiale beneficium dividere, sed uti debet remedio, quod propositum est a Concilio Trid. cap. 4. sess. 20. de Reform., cogendi scilicet Rectores ut tot Sacerdotes sibi in auxilium assumant, quot necessitas postulaverit. In eo tantum casu datum est Parochiam dividere et aliam erigere, quum talis est locorum distantia et difficultas, ut Parochiani sine magno incomodo, aut vitae discrimine nequeant Parochiam adire ad Sacramenta percipienda, divinaque Officia audienda. Concurrente vero praedicta causa Episcopus ad divisionem progredi potest, Rectore veteris Ecclesiae vel Parochianis etiam invitis, cum a Tridentino Concilio cit.ª sess. 21. cap. 4. res tota judicio Episcopi concredita est: citari tamen et audiri debent si forte rationabilem contradicendi causam haberent. Porro huic novae Ecclesiae peculiares reditus assignandi pro congrua Rectoris sustentatione, pro sacra supellectili, alioque Ecclesiae ornatu, eique solvuntur decimae, oblationes, aliaque jura Parochialia a novis Parochianis; decimae tamen ad Ecclesiam matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochialem recenter erectam, sed tantum in defectum congruae dotis; quamobrem arbitrio Episcopi relinquitur, vel decimas ipsas,

vel alios reditus in dotem constituere. Sed a filiali Ecclesia aliquid Matrici in signum subjectionis annuatim praestandum erit, quemadmodum idem Episcopus statuet; ipsique matrici Ecclesiae, quasi quadam compensatione, ut inquit glossa in Cap. Ad audientiam de Eccl. aedif. reservatur jus praesentandi Rectorem novae Ecclesiae, quod tamen locum habet, quando Ecclesia matrix dotem filiali confecerit.

Tertia innovationis species est dismembratio Beneficii, per quam salva illius unitate pars aliqua fructuum ab eo detrahitur, et alteri Beneficio, seu piae causae attribuitur. Dismembratur fructus, si pensio constituatur, aut taxa imponatur: dismembratur territorium, si populus unius Ecclesiae alteri assignetur; dismembratur jurisdictio spiritualis, si aliqua potestas ex privilegio, vel consuetudine comparata auferatur aut in alteram Ecclesiam transferatur, aut etiam si ea potestas, quam aliquis super plures Ecclesias habebat, intra fines angustiores coerceatur, aut singulis Rectoribus ipsarum Ecclesiarum tribuatur. Dismembratio jure ordinario vetatur: caeterum ex decreto Concilii Tridentini sess. 23. cap. 18. de Reform. Episcopi adhibito consilio Deputatorum, et servata forma ipsius Decreti aliquam possunt portionem fructuum tum a mensa Episcopali, tum ex Canonicatibus, Dignitatibus, aliisque beneficiis detrahere, et Seminariis applicari, quae beneficiorum dismembratio vulgo *taxa* nominatur. Haec autem Beneficiorum dismembratio seu taxa pro ipsa Seminarii erectione rite praestituitur, et constitui potest primum ratione ℥ 3. pro quolibet centenario fructuum, et si non sufficiat, usque ad ℥ 5. augeri. Vide Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. l. 9. cap. 7. Uniones vero Beneficiorum non valent, nisi postquam Seminarium erectum est.

Postrema denique Beneficiorum innovatio contingit per suppressionem seu extinctionem, qua scilicet bene-

ficium plane destruitur, ejusque reditus si qui sint, aliis usibus ecclesiasticis assignantur. Si audias Pyrrum Conradum Praxis Beneficiariae lib. 2. cap. 8. n. 70. nulla est Episcopo auctoritas supprimendi Beneficia, nisi in causa a Concilio Tridentino expressa sess. 24. cap. 15 de Reform., cum nimirum in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues praebendae sunt, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui non sufficiant, ut inde quorumdam beneficiorum suppressione, aut unione augeantur. At vero, ut Leurenius animadvertit in foro Beneficiali p. 3. q. 971. n. 16., « *potest Episcopus in vim aliorum decretorum Tridentini, vel etiam de jure communi in omnibus illis casibus supprimere beneficia, in quibus ea unire potest accessorie: quippe illa unio non fit sine suppressione.* » Si qua tamen Ecclesia aut vetustate collapsa, aut igne absumpta, aut aliter eversa, et propter inopiam nequeat instaurari, beneficia ibidem erecta non supprimi, sed in matrices aut alias Ecclesias transferri ab Episcopo debent una cum omnibus emolumentis et oneribus, quod edixit eadem Synodus Trident. sess. 21. cap. 7. de Reform.

§ LXXXVIII.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM

Quatuor praecipue sunt modi, quibus beneficia ecclesiastica conferuntur, scilicet: 1. electione; 2. postulatione; 3. collatione: 4. institutione, sive Jurepatronatus. De electione et postulatione, per quas ad Episcopatus, aliaque Beneficia majora, et Ecclesiasticas dignitates pervenitur, satis dictum est superiori libro: de institutione, quae Beneficia Jurispatronatus respicit, paulo post opportunior sermo redibit; nunc itaque reliquum est ut

tantum de collatione dicamus. Itaque collatio est vacantis Beneficii concessio qua nempe titulus beneficii, ejusque jura cum spiritualia, tum etiam temporalia tribuuntur. De hac beneficiorum collatione tria potissimum quaerenda: 1. quinam beneficia conferre: 2. quibus conferri possunt: 3. quae sit forma collationis rite perficienda.

Quod autem ad primum spectat, cum beneficii collatio sit actus potestatis spiritualis, qua jura et ecclesiastica ministeria dispensantur, et ita Sacerdotio adhaereat, profecto liquet ad solos Ecclesiae Praesules eam collationem pertinere. Quapropter collationes a laicis factae nullae atque irritae sunt, Cap. Quod autem de jure Patron; et Clericus « *qui Ecclesiam per laicos sine propria auctoritate Episcopi receperit, communione privetur, et si perstiterit, a ministerio ecclesiastico, et ordine deponatur* » Cap. 4. cod. Vix nonnullis Regibus et Abbatissis admodum raro, et speciali Apostolicae Sedis privilegio concessum est, ut tamquam vicarii, seu ministri, et procuratores Pontificis certa beneficia conferrent: qua de re legendus est Leurenius in foro Benef. p. 2. sess. 3. cap. 2. quaest. 726.

Triplici autem jure, scilicet vel plenario, vel ordinario, vel delegato Praesules Ecclesiae beneficia conferunt: Pontifex quidem plenario, Episcopi ordinario, Cardinales, aliique Apostolicum indultum habentes delegato.

De singulis dicendum est.

§ LXXXIX.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM JURE PLENARIO

In primis itaque, ut verbis utar Clementis IV. in notissimo Cap. Licet 2. de Praeben. et Dignit. in 6.° « *Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum ecclesiasti-*

corum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. »
Enimvero consueverunt Pontifices conferendis Beneficiis manus admovere per mandata de providendo, seu per litteras Apostolicas, quibus mandabant locorum Ordinariis, ut designato Clerico aliquod Beneficium largirentur. Mandatis de providendo affines erant gratiae expectativae, nisi quod mandata latius paterent, cum pro Beneficiis etiam vacantibus darentur, gratiae vero expectativae pro solis Beneficiis vacaturis. At Romani Pontifices mandata hujusmodi Episcopis non dabant, nisi pro Clericis piis et litteratis, nec habentibus unde viverent. Quare Alexander III. cap. 6. de praeben. et dignit. rescripsit non teneri Ordinarium Collatorem exequi mandata Pontificis, si Clericus aliud Beneficium habeat, cujus nulla mentio in mandatis Apostolicis facta est. Praeterea Romani Pontifices haud consueverunt plus uno mandato eamdem Ecclesiam gravare, Capp. 30. et 38. de Rescript. Pontifices autem mandata et gratias expectativas largiebantur jure praeventionis, quod nimirum ex supremo Ecclesiae regimine concurrentem cum singulis Episcopis potestatem habeant. Exploratum vero est inter eos, qui concurrentem jurisdictionem habeant, praeventioni locum esse. Hoc autem jure usi sunt R. Pontifices non modo ut beneficia vacantia conferrent, verum etiam ut spem in vacatura tribuerent, quod plena et libera est Romani Pontificis potestas. Mandata vero et gratiae expectativae locum dederunt reservationibus, quandoquidem si Pontificibus potestas inerat beneficia nondum vacantia conferendi, aut Collatoribus ordinariis mandandi, ut ea cum primum vacassent, designatis Clericis conferrent, eo magis eisdem Pontificibus jus esse oportuit propriae suae collationi certa beneficia reservandi. Siquidem reserva-

tiones sunt decreta, quibus Pontifices collationi suae quaedam vacantia, aut vacatura Beneficia addicunt, sublata inferioribus Collatoribus eadem conferendi potestate. In Conciliis Constantiensi, et Basileensi actum est de Mandatis, gratiis expectativis, et reservationibus penitus abolendis, aut saltem temperandis: at horum Conciliorum decreta non ubique recepta fuerunt. Igitur instaurata quaestio est in Concilio Trid. ubi mandata de providendo, et gratiae expectativae, et aliae quaecumque gratiae ad vacatura Beneficia sublatae sunt, simul et reservationes mentales quibus Pontifex beneficium aliquod in gratiam alicujus Personae reservabat, reticito et quasi in mente servato nomine ipsius personae, cui cum vacasset, collaturus erat. Quae quidem Tridentinae Synodi decreta non modo Pontifices confirmarunt, verum etiam per Regulas Cancellariae curaverunt, ut in posterum religiose custodirentur. Verum ad reservationes quod attinet, Tridentini Patres duxerunt nihil esse immutandum. Itaque reservationes adhuc in Ecclesia vigent; et merito quidem, tum quia decuit Pontificem ampliori prae caeteris Praesulibus potestate potiri in beneficiis ecclesiasticis, quasi communibus Ecclesiae bonis distribuendis, tum quia Ecclesiae conducit ut Pontifex in dissitis etiam Ecclesiis gratias elargiri possit, quibus nationum reverentia et studium erga Apostolicam Sedem confirmatur, tum quia denique necesse est ut Pontifici praesto sint stipendia et remunerationes, quibus tot tantisque viris pro totius Ecclesiae utilitate, vel apud Romanam Sedem, vel ejus mandato per orbem collaborantibus debita laboris et meritorum praemia solvantur. Praestat igitur ut de Reservationibus Apostolicis aliqua in medium proferamus.

§ XC.

DE RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS

Reservationes aliae *Juris corpore clausae*, et aliae *extra corpus Juris*, hoc est *in Extravagantibus* esse dicuntur: item aliae *per insequentium Pontificum Constitutiones*, et aliae demum *per Regulas Cancellariae* invectae sunt. Hos quatuor reservationum fontes singillatim aperiemus. Itaque *Juris corpore clausa* est Reservatio beneficiorum quae in Curia vacaverint, ex Constitut. Clementis IV. Cap. 2. de Praeben. in 6.° Hanc reservationem Bonifacius VIII. Cap. 34. eod. tit. in 6.° latius explicavit, atque decrevit ea quoque beneficia in Curia vacare, quorum Rectores vel accedentes, vel decedentes a Romana Curia in locis vicinis extremum spiritum effudissent, itemque beneficia Curialium qui in locis Curiae vicinis morerentur, modo ibi domicilium aut domum propriam non haberent. Loca vero vicina Curiae a Bonifacio dicuntur, quae ultra duas diaetas legales, seu quadraginta milliaribus italicis a loco non distant, ubi Curia moratur. « *Porro,* ut subdit Pontifex, *quum Curia de loco ad locum transferri contingat, si Curiales in itinere, dum Curiam sequuntur eamdem, vel in loco unde recedit ipsa Curia, forsitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, praemissum statutum, quantumcumque locus ubi decedunt ab ipsa Curia sit remotus, ad illorum beneficia se extendit.* » Haec una juris scripti reservatio, et caeteris antiquior, illud praecipuum habet, quod si Pontifex unius mensis spatio a die vacationis Beneficia in Curia vacantia non contulerit, eadem Ordinarii Antistites post mensem rite conferunt, Cap. 3. eod: in aliis quippe reservationibus nullum Pontifici tempus praefinitum est,

quo elapso potestas conferendi ad Ordinarios revertatur. Haec praeterea reservatio Parochiales Ecclesias non afficit, quae vel defuncto Pontifice, vel eo in vivis agente apud Curiam vacaverint: harum enim collatio Ordinariis Antistitibus libera est « *ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre* » Cap. 4. eod. tit. Nec obstat regula 10.ª Cancellariae, qua novo cuique Pontifici reservantur beneficia, quae Antecessori reservata erant, nec ante obitum ab ipso collata, eo quod generalis beneficiorum reservatio Paroecias non complectitur, nisi earum mentio habita sit; regula autem Cancellariae beneficia Parochialia silentio praeterivit.

« *Extra corpus Juris communis*, sive *in Extravagantibus communibus* » hoc est in Extravaganti Piae sollicitudinis de Praeben. inter comm; in Extravaganti Ex debito de Election; in Extravag. Execrabilis de Praeben. et Dignit.; et in Extravag. Ad regimen eod. tit.° hae reservationes continentur.

Videlicet Bonifacius VIII. in Extravag. Piae de Praeben. inter comm. iterum reservat beneficia in curia vacantia, nec in ea fit mentio de potestate Episcopis mense lapso concessa eadem conferendi, si Pontifex nondum contulisset. Pirhing tamen de Praeb. n. 332. in ea sententia est, quod ea Episcoporum potestas non sit revocata. Joannes quoque XXII. in Extravag. Ex debito antiquam reservationem Beneficiorum in Curia vacantium latioribus adhuc verbis explicavit, et Pontificiae collationi reservavit: 1. Cathedrales omnes Ecclesias, Monasteria et caetera prorsus Beneficia sive majora, sive minora, quae aut in Curia, aut in locis Curiae finitimis vacaverint: 2. Beneficia omnia, quae per depositionem, privationem et translationem Apostolica auctoritate factam, sive per electionem vel postulationem a Pontifice infractam et rejectam, sive per resignationem ejusdem Pon-

tificis auctoritate admissam vacaverint, ibi enim censetur beneficium vacare, ubi dimittitur vel adimitur: 3. Beneficia quae Vice-Cancellarius Camerarius, Legati, Capellani Commensales, aliique Romanae Curiae Officiales obtinuerint, sive in Curia, sive alibi vita fungantur. Idem Pontifex Joannes XXII. in Extravag. Execrabilis reservavit omnia beneficia vacantia ob vetitam alterius incompatibilis Beneficii retentionem aut adeptionem, ita ut beneficium, quod ob eam causam dimittitur, ad collationem Pontificis spectet, si tamen alterum beneficium non modo pacifice possideatur, verum etiam auctoritate Apostolica collatum sit. Generatim vero per eamdem Extravagantem Apostolicae Sedi reservantur etiam Beneficia omnia, quae ab Ordinariis contra formam Concilii Tridentini collata fuerint. Denique in Extravaganti Ad regimen Benedictus XII. superiores omnes reservationes innovavit, confirmavitque, sed contestatus est reservationes ipsas ad vitae suae tempus arctare, quod etiam Joannes XXII. in Extravaganti Ex debito contestatus fuerat.

Ad tertium genus reservationum, quae exemplo horum Pontificum a Successoribus Pontificibus inductae sunt, pertinent Constitutiones quae sequuntur. S. Pius V. in Constitutione Cum ex Apostolatus reservavit Beneficia vacantia propter crimen haeresis, quo etiam spectat Constitutio Gregorii XIII. In Ecclesiis. Idem S. Pius V. in Constitut.ᵉ Intolerabilis reservat non solum Beneficia per simoniam confidentialem obtenta, quod primum a Pio IV. in sua Const.ᵉ Romanum Pontificem sancitum erat, sed omnia prorsus beneficia, quibus antea simoniacus confidentialis potiebatur. Ecclesiae quoque Parochiales, quae contra formam Synodi Tridentinae sine concursu collatae sint, et beneficia vacantia Sede Episcopali vacante collationi Pontificis per Constitut.ᵉᵐ In conferendis, et Constitut.ᵉᵐ San-

CTISSIMUS IN CHRISTO ab eodem S. Pio V. addicta sunt. Alexander vero VI. Constitut. IN EMINENTI poenam depositionis ab omni dignitate, ordine et beneficio in eos decrevit, qui in Romana Curia litigantes, Judices, Causidicos, testes minis affecerint vel offenderint, eorumque beneficia collationi S. Sedis reservavit. Item ex Constitut. Pauli IV. INTER CAETERAS, si quis alteri beneficium in Romana Curia fraudolenter procuravit sese examini simulato nomine subjiciens, aut beneficium sibi comparat eo animo illud alteri sive gratis, sive imposito onere resignandi, aut denique pensiones offert beneficii obtinendi gratia, tum eorumdem beneficiorum irrita et nulla collatio est, tum ea sic vacantia Summo Pontifici reservantur. Similiter ex Constitut. Gregorii XIII. HUMANO VIX JUDICIO reservata sunt beneficia vacantia ob praetermissam publicationem resignationis, quam idem Pontifex faciendam edixit. Et demum ex Constitut. Sixti V. CUM SACROSANCTAM, et Benedicti XIII. CATHOLICAE ECCLESIAE reservantur beneficia eo nomine vacantia, quod Beneficiatus habitum et tonsuram Clericalem non gestaverit.

Sed jam ad *Regulas Cancellariae* transeamus. Hujusmodi Regulae praestituunt ordinem gerendarum rerum in Cancellaria Apostolica, et reservationes beneficiorum in primis complectuntur. Joannes XXII. primus ipsarum auctor vulgo dicitur, sed ejus aetate paucae admodum reservationes extiterunt, quae dein a Successoribus Pontificibus supra memoratis plurimum auctae, et demum in easdem Regulas congestae sunt. Refert igitur exploratas habere easdem Regulas, quibus reservationes Beneficiorum per varias Constitutiones sparsae cum variis additionibus continentur.

Itaque I.ª Regula confirmat reservationem beneficiorum omnium, quae Joannes XXII. et Benedictus XII. in Extravagantibus EXECRABILIS, et AD REGIMEN suae collationi addi-

xerant; reservationem autem beneficiorum, quae Officiales Sedis Apostolicae obtinuerint, sic extendit, ut eadem beneficia reservata habeantur, etiamsi ante obitum officiales esse desierint. Item reservat beneficia, in quibus conferendis Ordinarii Collatores regulas Tridentinae Synodi non servaverint, veluti si beneficia contulerint non habentibus aetatem a Concilio praestitutam, aut Paroecias sine praevio concursu. II.ª Regula reservat omnes Ecclesias Cathedrales, nec non Monasteria omnia virorum concistorialia, quorum annui reditus ducentos florenos aureos superant, et omnia beneficia quae post obitum Episcopi aut alterius Praelati seu Collatoris vacaverint, nisi collatio ad alios quoque pertineat, aut ad alterius praesentationem sive electionem facienda sit. III.ª Regula reservat beneficia quae in fraudem reservationis ab iis resignantur aut dimittuntur, qui ab Apostolica Sede aliud beneficium incompatibile mox habituri sunt: haec regula reservationem Extravag.is Execrabilis spectat, in qua beneficia vacantia ob adeptionem alterius incompatibilis Apostolica auctoritate collati eidem Apostolicae Sedi reservantur: haec itaque Extravagans facile cluderetur si beneficia per concessionem alterius beneficii incompatibilis ad collationem Pontificis jam vacatura resignare et dimittere liceret, ne per vacationem collationi ejusdem Pontificis reipsa addicerentur. Praeterea reservantur ipsa incompatibilia, quae Apostolica auctoritate collata sint. IV.ª Regula reservat majores Dignitates post Pontificalem in Ecclesiis Cathedralibus, nec non praecipuas Dignitates in Ecclesiis Collegiatis, quarum reditus decem florenos aureos communi existimatione excesserint. Quae igitur in Collegiatis Dignitates eum reditum non superant, a reservatione immunes habendae sunt: contra vero in Dignitatibus Cathedralium nulla redituum exiguitas reservationem excludit. Quamquam autem Dignitates omnes majores

in Cathedralibus, et praecipue in Collegiatis hac regula reservari dicantur, tamen pluralis hujusmodi locutio Ecclesias ipsas, non Beneficia spectat, et eum sensum plane habet, ut unicam eamque primam in singulis Ecclesiis Dignitatem, non plures Dignitates in una eademque Ecclesia reservet. Porro si major, vel praecipua Dignitas expers reservationis esset, si ex. gr. patronatui laico obnoxia, tum reservatio a majori vel praecipua Dignitate ad secundam liberae collationis transfertur, quod tradunt Doctores apud Rigantium in Regula IV.ª n. 46. Demum eadem regula reservantur etiam Prioratus, Praepositurae aliaeque Dignitates Conventuales, quae in commendam aut in titulum perpetuum dantur, et Praeceptoriae Generales Ordinum non Militarium, et demum Beneficia, quae Cardinales, et Familiares continui commensales tum Pontificis, dum is Cardinalatus honore fungebatur, tum ipsorum Cardinalium obtinuerint. V.ª Regula reservat beneficia quae Collectores, et Subcollectores fructuum Camerae Apostolicae durante tantum eorum officio consequuti sunt. VI.ª Regula reservat beneficia Curialium in itinere decedentium, dum Curia transfertur. VII.ª Regula reservat beneficia Cubiculariorum etiam honoris, atque Cursorum Summi Pontificis. VIII.ª Regula reservat quoscumque Canonicatus, Praebendas, Dignitates, personatus et officia S. Joannis Laterani, S. Petri, et S. Mariae Majoris de Urbe, et Canonicatus, Praebendas, caeteraque beneficia, quae absentibus Cardinalibus in eorum titulis vacant. Quod autem attinet ad beneficia inferiora trium Basilicarum Urbis, privilegiis S. Pontificum factum est, ut eorum collatio ad Cardinales Archipresbyteros earumdem Basilicarum, atque ad Capitula divisis vicibus pertineret. Regula IX.ª reservat omnia beneficia cum cura et sine cura, quae octo mensibus, scilicet Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, et Novembri ubique loco-

rum vacaverint. Sed in gratiam et remunerationem eorum Episcoporum qui in suis Ecclesiis assidui essent, eo quidem tempore quo resident, eisdem conceditur, ut alternis mensibus cum Pontifice beneficia conferant, nisi ejus generis sint, quae ex aliis capitibus ad Pontificis collationem spectent. Alterni menses sic distribuuntur, ut primus mensis anni sit Pontificis, secundus Ordinarii Collatoris, tertius Pontificis, quartus Ordinarii, et ita porro. Hanc autem gratiam alternativae collationis postulare Episcopi debent, eisque solis, non aliis Collatoribus conceditur, et viget quoad Pontifex vixerit, aut Episcopus in ea Sede permanserit; est enim veluti contractus intuitu peculiaris Ecclesiae inter Pontificem et Episcopum initus, unde fit, ut cujusque novi Pontificis confirmatione indigeat, et gratia ad Successorem Episcopum non transeat. Veram autem et personalem residentiam esse oportet; quamobrem Episcopi a propria Dioecesi absentes ob gerenda negotia Ecclesiae suae, vel ipsius Apostolicae Sedis legationem obeuntes, vel inviti etiam, externaque vi detenti, aut in altera unitarum Dioecesium residentes beneficia interim vacantia non conferunt: quamquam enim in aliis rebus fictione juris veluti praesentes haberentur, ad rem tamen nostram fictio juris non prodest. Quin imo si initio mensis Episcopus absit, jus conferendi toto ipso mense amittit, quamvis praesens ipso vacationis die extiterit; quia « *dictus mensis*, ut ait Conradus Prax. benef. lib. 3. cap. 6., *ob absentiam Episcopi in suo principio erat Apostolicus et reservatus, et ita debuit reputari usque ad illius finem, nam regula alternativa loquitur de mense integrali, non autem de singulis diebus* ». Ceterum mensis incipit Romanorum more a media nocte diei, qui mensem superiorem terminat, et si ambiguum sit, utrum ante, an post mediam noctem Beneficiatus obierit, collatio adjudicanda est Episcopo, cum reservationes odiosae vi-

deantur. Demum regula X.ª reservat novo cuique Pontifici, quae Antecessor reservaverat, et ante ipsius obitum vacantia non contulit.

His expositis reservationibus monendum est: 1. Reservationes hujusmodi non ubique locorum vigere, quandoquidem in aliquibus Regnis et Provinciis confectae sunt cum Apostolica Sede pactiones de collationibus Beneficiorum: pactum vero praestat juri. 2. In locis etiam, ubi nulla pacta conventa sunt, eisdem reservationibus non contineri beneficia improprie dicta, qualia sunt Altaria et Capellaniae absque Episcopi auctoritate fundatae, neque officia ecclesiastica quae non dantur in titulum, nec Vicariae temporales, neque etiam Vicariae perpetuae Ecclesiarum Parochialium Cathedralibus, Collegiatis, et Regularibus Ecclesiis, aliisque piis locis unitarum, quae ad liberam nominationem, seu praesentationem eorum quibus unitae sunt, cum Episcopi approbatione et sine concursu conferuntur, nec demum Beneficia Jurispatronatus non modo laicalis, verum etiam mixti, ne laici ex communione cum ecclesiasticis jacturam suorum jurium patiantur. 3. Denique reservationes Regularum Cancellariae perpetuam vim non habere, sed eam omnem quam habent, decedente Pontifice, amittere, nec reviviscere, donec a novo Pontifice confirmentur. In quo reservationes Regularum Cancellariae a caeteris reservationibus differunt, quae aut corpore Juris, aut Extravagantibus, aut Bullis Pontificum continentur, quatenus his posterioribus tamquam per leges stabiles inductis perpetua obligandi vis inest. Non tamen putandum est, omnes et singulas reservationes Regularum Cancellariae, vacua Sede Apostolica, penitus interire. Nonnullis enim reservationibus perpetuam vim tribuunt Constitutiones Pontificum, ex quibus in eas regulas derivatae sunt: ex. gr. Regulae reservantes beneficia ob vacantiam in Curia, ob ade-

ptionem incompatibilis, ob sententiam privationis, aliaeque plures a Constitutionibus Pontificum perpetuitatem consequuntur. Praeterea ex receptis moribus, et communi sententia Doctorum apud Rigantium in prooemio Reg. Canc. n. 75. reservationes, aut personales seu intuitu personarum, ex. gr. Cardinalium, familiarium Pontificis, aut reales seu intuitu beneficiorum, ex. gr. Cathedralium, primarum Dignitatum, semel constitutae, perpetuo personis ipsis et beneficiis adhaerent, ut inferiores Antistites ab eis conferendis abstinere omnino debeant. Quamobrem ut aliqua sit regula, qua rem omnem judicemus, videndum est, quemadmodum beneficia reservantur. Sunt autem quinque reservationum genera. Namque beneficia reservantur vel *ratione qualitatis* ipsorum beneficiorum, qualis est reservatio Episcopatuum, primarum Dignitatum, et Beneficiorum majorum; vel *ratione Personarum* eadem beneficia obtinentium, uti beneficia Cardinalium, Curialium et Sedis Apostolicae Officialium: vel *ratione modi* quo vacant, veluti Beneficia vacantia ob privationem, depositionem, collationem alterius incompatibilis; vel *ratione loci* ubi vacant, cujusmodi est reservatio vacantium apud Sedem, aut in Curia: vel denique *ratione temporis* quo vacant, unde orta distinctio est inter menses Papales et Ordinarios. Jam vero reservationes reales et personales quae nimirum aut ratione qualitatis, aut ratione Personarum semel Beneficiis inditae sunt, semper durant, quod supra diximus. Reservationes etiam inductae ratione modi, quo Beneficia vacant, perpetuae sunt, ideo quod non solum Cancellariae Regulis, sed etiam Extravaganti Ex DEBITO, aliisque Constitutionibus Pontificum nitantur. Quod autem attinet ad reservationem Beneficiorum ratione loci quo vacant, uti in Curia vacantium, solae Parochiales Ecclesiae in Curia vacantes post obitum Pontificis, aut eo vivo va-

cantes et non collatae, ab illa reservatione eximuntur, quia Bonifacius VIII. Cap. 35. de Praeb. in 6.° earum sic vacantium collationem Ordinariis non ademit, sed plane aperteque reliquit. Denique reservationes omnes, quae prodeunt ab incerto eventu mensis quo beneficia vacant, viduata Apostolica Sede prorsus exspirant, quod nulla lege seu Constitutione firmentur.

§ XCI.

DE AFFECTIONE ET DEVOLUTIONE

Reliquae sunt duae rationes, propter quas Beneficiorum collatio ad Pontificem spectat, videlicet ob *affectionem* et *devolutionem*. Propter manus Papae (ut ajunt) appositionem beneficium evadit affectum. Differt tamen affectio a reservatione, quod reservatio fit verbis, cum scilicet Pontifex per expressa verba, seu per regulas et Constitutiones beneficium sibi reservat: affectio autem inducitur facto ubi Pontifex in aliquod speciale beneficium se interponit, ex. gr. si electoribus mandet, ut se ab electione contineant, aut si beneficium in commendam tribuat. Praeterea reservatio habet effectum successivum, ita ut beneficium reservatum ab inferiore Collatore concedi amplius nequeat: affectio autem pro una tantum et prima vice Beneficium Pontifici addicit, quamobrem collatione effectum sortita omnis affectio penitus evanescit. Sed non quaelibet appositio manus afficit beneficium, sed ea tantum, quae animo ejus conferendi admovetur: « *actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum* » ut habemus L. Non omnis ff. Si cert. petatur. Hinc si Pontifex reservet pensionem resignanti beneficium, non idcirco beneficium afficitur, nec vetatur Ordinarius Collator beneficium ipsum conferre dum va-

caverit. Praeterea cum nihil voluntati magis adversetur quam error, ut errantis nullus sit consensus, illud quoque consequitur, quod affectionem non pariat collatio ad quam Pontifex ductus est falsa insinuatione seu causa, veluti si relatum est, aut beneficium esse reservatum quod erat liberum, aut omnino liberum esse quod erat Jurispatronatus Laicorum. Caeterum affectio Beneficii, veluti quaedam specialis reservatio, est potior reservatione generali, et idcirco generali indulto conferendi beneficia reservata non censentur affecta contineri, neque sublata reservatione generali affectiones etiam perimuntur.

Denique Pontifex beneficia confert jure devolutionis, cum nempe inferior Collator aut non contulit, aut male contulit, jus conferendi ob eam negligentiam, aut culpam pro ea vice ad Pontificem transit. Devolutio quae ob negligentiam fit, primum ab Alexandro III. inducta est Cap. 2. de concess. Praeb., ubi decrevit, ut si Collatores Ordinarii infra sex menses Dignitates et Beneficia inferiora conferre neglexissent, collatio ad Superiorem devolveretur; et Innocentius III. Cap. 41. de Elect. et Elect. potest. spatium trium mensium praefinivit, quod attinet ad electiva beneficia, videlicet ad Cathedrales et Regulares Ecclesias; minus quippe temporis collatoribus, sive electoribus Ecclesiarum majorum tributum est, quod earum diutina vacatio magis exitiosa esse solet. Spatium autem sex mensium pro minoribus beneficiis, et trium mensium pro majoribus currit a die non vacationis, sed habitae notitiae vacationis, atque etiam omne justum impedimentum abesse debet, ut proinde si quid collationi vel electioni obstiterit, cursus ejusmodi temporis suspenditur, quod Innocentius III. eodem Cap. significavit. Facta vero devolutione per lapsum temporis praefiniti mora purgari non potest, quod statim potestas conferendi in Superiorem transit, adeoque collatio inferioris Collatoris

nulla et invalida haberetur, nisi superior, ad quem auctoritas providendi devoluta est, collationem postea factam patienter sustinere velit, Cap. 4. de suppl. neglig. Praelat.

Devolutio ob culpam fit, cum inferior Collator aut indigno beneficium largitus est, aut in facienda collatione formam a Sacris Canonibus traditam non servavit. At vero beneficia sive ob negligentiam, sive ob culpam inferioris Collatoris ad R. Pontificem devolvuntur, et quidem immediate, si negligentia aut culpa contigerit in Cathedralibus Ecclesiis, aliisque Beneficiis majoribus quorum institutio ad ipsum Pontificem pertinet, aut si exemptus negligentiam aut culpam contraxerit: reliqua beneficia gradatim, idest per quosdam veluti gradus intermedios ab inferiori Praelato ad Superiorem, et ita porro ad Summum Pontificem devolvuntur, quos gradus distincte explicant Interpretes ad titulum de suppl. negl. Praelat.

§ XCII.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM JURE ORDINARIO

Post Romanum Pontificem nobiliorem locum inter Collatores obtinent Episcopi, et locorum Ordinarii, qui ordinario et nativo jure beneficia conferunt, quandoquidem uti post alios Canonistas tradit Cardinalis De Luca in Summa Benefic. tom. 1. sess. 2. num. 6. « *juris communis dispositione, primaevoque Ecclesiae usu attentis, omnia beneficia quandocumque, et quomodocumque vacantia ad Episcopi seu Ordinarii loci collationem spectant.* » Cum itaque Episcopi et locorum Ordinarii fundatam in jure communi intentionem seu potestatem habeant, omnia et singula Beneficia in eorum Dioecesi seu territorio va-

cantia conferendi, illud consequitur; 1. Quod Episcopi et Ordinarii ea potestate, quae pars est spiritualis potestatis qua Ecclesias administrant et regunt, in collatione omnium beneficiorum recte utantur, exceptis beneficiis, quae collationi suae Apostolica Sedes addixerit. 2. Quod si quis collationem alicujus beneficii in eisdem Dioecesibus positi sive erecti suam esse contenderit, sive privilegio, sive consuetudine, is quidem debeat privilegium ipsum, vel consuetudinem rite praescriptam plenis probationibus, apertisque documentis ostendere, atque in dubiis causa adjudicanda est Episcopis et Ordinariis, quibus praesumptio juris omnino favet.

Jure antiquo institutiones et destitutiones personarum ecclesiasticarum, atque adeo collationes beneficiorum ab Episcopis absolvebantur una cum Capitulo, Cap. 4. et Cap. 8. de iis quae fiunt a Prael. Capitulum enim Cathedralis Ecclesiae unum veluti corpus cum Episcopo constituit, cujus Episcopus ipse est caput. Sed quamquam aliqua hujus disciplinae vestigia adhuc extent, ubi Episcopus consilio vel consensu Capituli, aut Capitulum consilio et consensu Episcopi beneficia tribuunt, in multis tamen locis haec conferendi ratio dissociata est, et alibi solus Episcopus, alibi solum Canonicorum Collegium, alibi Episcopus simul et Canonici conferunt, ita quidem ut unum sit Episcopo cum singulis Canonicis aequale suffragium, aut duplex, aut etiam Episcopi suffragium totius Capituli suffragiis aequale sit, quod ex statutis cujusque loci, vel recepta consuetudine maxime pendet. Jam vero quum Episcopus una cum Capitulo praebendas, seu beneficia confert, tunc Sede Episcopali vacante servanda est Constitutio Bonifacii VIII. in Cap. un.° Ne Sede vacant. aliq. innovet. in 6.° ut nempe Capitulum recte conferat eadem Beneficia, quorum collatio ad ipsum Capitulum et Episcopum conjunctim pertine-

bat, idque ob jus accrescendi seu non decrescendi, quod quidem jus per II.ª Regulam Cancellariae integrum servatum est. Multo magis Capitulum recte confert Beneficia, quorum collatio vel vivente Episcopo ad Capitulum ipsum privative spectabat, sicut etiam vacante Sede praesentatos a patronis instituit. At vero Capitulum non confert Beneficia, quae ad liberam collationem Episcopi spectant, ejusque solius nomine conferuntur, quamquam in collatione facienda consilium vel consensus Capituli exquirendus esset; neque beneficia quae praevio concursu ab Episcopo conceduntur, videlicet Poenitentiarii Dignitatem seu officium, Praebendam Theologalem, et Parochiales Ecclesias: quae omnia beneficia, vacante Sede Episcopali, Summo Pontifici reservantur. Hinc fit ut Vicarius Capitularis, in quem Capitulum nequit plus juris tribuere, quam ipsum habeat, ordinariam Episcopi potestatem, quod Beneficiorum collationem spectat, non consequatur.

Ordinariis Collatoribus nonnulli Canonistae adjungunt Apostolicae Sedis Legatos a latere dictos, quum eorum officio et eminenti dignitati attributa sit jure communi potestas omnia beneficia in Provincia Legationis vacantia distribuendi. Itaque Legati cum Ordinariis Collatoribus concurrunt, et inter illos praeventioni locus est, ut ea vincat collatio, quae prior tempore extiterit: quin etiam beneficia quae durante legationis munere vacarint, sibi possunt non quidem generaliter, sed specialiter reservare, dummodo jus ad beneficium ante vacationem concedant nemini, neque eumdem Collatorem bina reservatione gravent, nec denique una pendente reservatione, hoc est beneficio nondum collato, aliud beneficium in eadem Ecclesia reservent. Sed hujusmodi Legatorum jura penitus antiquata sunt.

§ XCIII.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM JURE DELEGATO

In primis Cardinales multa potestate conferendi beneficia adaucti sunt jure tamen delegato. Nemo sane dubitat, quin Cardinales, si Episcopatus, vel Abbatias, sive Prioratus cum jurisdictione quasi Episcopali in titulum obtinuerint, in suis Dioecesibus vel Territoriis beneficia conferant jure ordinario, quemadmodum cuilibet alteri Ordinario jus esset. At Cardinales intuitu eminentis eorum potestatis jamdudum consueverunt ampliorem potestatem consequi ex delegatione, seu ex specialibus Indultis; quorum quidem duo genera sunt, alia nempe communia, alia extraordinaria. Prioris generis est Indultum, vi cujus Cardinalibus datur facultas conferendi « *quaecumque beneficia sibi subjecta extra Curiam vacantia, quamvis reservata ratione mensis, vel quod illa obtinentes fuissent Familiares ficti praedecessorum Pontificum, aut Sedis Apostolicae Notarii, Subdiaconi, Archipresbyteri, Capellani, Litterarum Apostolicarum Scriptores, Abbreviatores, Cubicularii, Nuntii Apostolici, et Subcollectores, et alii Officiales praesentes et futuri quocumque nomine nuncupentur: quatenus beneficia hujusmodi ratione mensium Apostolicorum, seu ex quavis alia causa dispositioni Apostolicae reservata, seu ex generali reservatione Apostolica affecta conferre, et de illis providere libere possint.* »

Ex verbis Indulti, quae diligenter custodienda sunt, satis liquet certa esse beneficiorum genera, quorum collatio vi ipsius Indulti Cardinalibus non permittitur. Sunt autem: 1. Quae apud Sedem seu in Curia Romana vacaverint. 2. Quae obtinuerint Familiares veri Pontificum, continui nempe Commensales, Conclavistae, nec non Car-

dinales, eorumque familiares, et caeteri Sedis Apostolicae Officiales in ipso Indulto non expressi. 3. Quae duplici reservatione, personali et coaequali, reservata vel affecta fuerint, uti edixit Urbanus VIII. in sua Constitut. 288 diei 15. Julii 1642. 4. Demum beneficia Concistorialia, seu in libris Camerae taxata et exempta, primae Dignitates in Cathedralibus, et principales in Collegiatis, et cetera beneficia, quae per resignationem in favorem certae personae, aut per neglectam resignationis publicationem, aut per promotionem ad Episcopatum, seu per aliam quamcumque causam vacaverint, cujus ipsum indultum expresse non meminerit. Ejusdem Indulti formulam integram exhibet, illustratque Commentario Anastasius Germonius de Indultis Cardinalium. Confer etiam Gagliardum in Tractatu de Benef. cap. 7., ubi multa ad rem animadvertit.

Solent quoque Cardinales Ecclesias Episcopales dimittentes, ex nova et speciali gratia consequi Indultum conferendi, ut prius, earumdem Ecclesiarum beneficia in octo mensibus Apostolicis vacatura, quatuor aliis mensibus Successori Episcopo relictis: quod tamen ex Constitut. Urbani VIII. incipien. Licet locum dumtaxat habet respectu Ecclesiarum, quarum regimini ultimo loco cesserunt. Denique Cardinales potiuntur communi Indulto, seu privilegio conferendi in suis Titulis beneficia. « *Licet enim*, ut ait Lotterius de Re Beneficiaria lib. 2. quaest. 2., *Cardinales in suis Titulis habeant jurisdictionem Episcopalem, nihilominus jus providendi, quod in eis habent, consecuti sunt ex speciali concessione Papae, cui alias jus illud tamquam Urbis Episcopo originaliter competit, unde si abscedant a Curia, praerogativam hanc amittunt, super quo hodie habemus Regulam VII.am Cancellariae.* »

Reliqua Cardinalium Indulta, quae his communibus ampliora sunt, extraordinaria dicuntur, quippe quae non

omnibus, sed aliquibus tantum Cardinalibus valde benevolis a Pontifice conceduntur, ex. gr. conferendi beneficia vacantia per obitum familiarum R. Pontificum, et Cardinalium, Officialium Curiae et Sedis Apostolicae, Cardinalium, Episcoporum, et omnium quorumcumque qui Extravaganti Ad Regimen, seu aliis Constitutionibus Apostolicis continentur. Ejusmodi Indultorum unum exemplar affert et illustrat Rigantius in Regulam IV.am Cancellariae §. 5. n. 25. Verum haec Indulta sive communia, sive extraordinaria tam valent, quam verba sonant, nec ultra verborum proprietatem producenda sunt, sic tamen ut Indultum inane et supervacaneum non reddatur. Ubi vero dubia et obscura verba sint, ea ratione explicanda sunt, ut quo ad ejus fieri possit, coerceantur, quoties Indultum liberam Episcopis adimat, qua jure gaudent, conferendi facultatem: tum enim officit juribus tertii, et inter odia numeratur. Quoties autem Indultum officit nemini, late explanandum est, quod purus favor et beneficium Principis censeatur: beneficia vero quam plenissime interpretari debemus, L. 3. ff. de Constit. Princip. Interim monendum est, eam esse cujuslibet Indulti legem, ut quisquis beneficium aut ratione mensis, aut ex alia causa reservatum, a Cardinalibus vi Indulti consequatur, is omnino debeat intra quatuor menses literas novae provisionis a Sede Apostolica impetrare.

Praeter Cardinales sunt alii Collatores, qui non jure ordinario et proprio, sed jure tantum delegato, sive ex privilegio aut consuetudine, vel praescriptione immemorabili beneficia conferunt. Hoc loco Canonistae tradunt, quod si collatio beneficii ad eum pertineat, qui nec Episcopus sit, nec praeditus jurisdictione quasi Episcopali, quamquam titulum beneficii conferre possit, institutionem tamen auctorizabilem, quo nomine regimen et cura animarum intelligitur, largiri nequit, quandoquidem anima-

rum curam tribuere ad unum Ordinarium pertinet. Hinc Monasteria et Capitula Canonicorum conferunt Paroecias sibi unitas, in eisque institutionem auctorizabilem conferunt, si tamen vi unionis populum exemptum habeant, et in eo quasi Episcopalem jurisdictionem consecuta sint. At ubi jurisdictio Episcopalis penes Episcopum vel Ordinarium manet, si jus Monachis, aut Canonicis est Paroecias conferendi, institutio seu cura animarum ab Episcopo petenda et danda est.

§ XCIV.

DE IIS QUIBUS BENEFICIA CONFERRI POSSUNT

Hactenus de Collatoribus Beneficiorum: sequitur modo ut dicamus de iis quibus beneficia conferri possint. Est autem generalis regula, et praescriptio Canonum esse beneficia idoneis conferenda, Cap. 29. de Praeben. et Cap. 3. de concess. Praeben. Jam vero multa desiderantur, ut aliquis ad beneficium idoneus habeatur. Haec consistunt: 1. *In ordine clericali*, unde beneficiorum incapaces sunt laici, tantumque Clericis saltem tonsuratis et Monachis beneficia conferri possunt, eoque discrimine, ut saecularia beneficia saecularibus, et regularia regularibus conferantur. Oportet praeterea ut Clericus eo ordine fuerit insignitus, quem beneficium postulat, aut saltem ad eumdem ordinem intra annum promoveatur. 2. *In statu non conjugali*, nam Clerici conjugati ex veteri latinae Ecclesiae disciplina nequeunt beneficia consequi; quin Clericus ineundo nuptias jure ipso amittit beneficia quae antea obtinuisset. At viduus, dum maritale conjugium quod iniverat, per mortem uxoris solutum est, beneficiis augeri rite poterit, modo bigamus non sit. 3. *In canonica aetate;* quandoquidem Tridentinae

Synodi decreto cautum est, ut nemo ante annum 25. assumatur ad beneficia quibus animarum cura incumbit. In Capitulis vero, in quibus facta est distributio Sacrorum Ordinum, quatenus nempe Canonicatus adnexum habeant Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus, « *nemo deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiatur, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa Dignitas, praebenda, aut portio requirit, aut in tali aetate sit, ut infra tempus a Jure et ab hac sancta Synodo statutum* (idest infra annum) *initiari valeat* » Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. Et eodem capite: « *Ad caeteras autem Dignitates vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei et viginti duobus annis non minores adsciscantur.* » Ubi vero nulla facta est distributio Sacrorum Ordinum pro Canonicatibus, quibus nec Dignitas, nec Personatus adnexus est, sufficit aetas 22. annorum inchoata ex declaratione S. Congregationis Concilii; imo ex alia declaratione ejusdem S. Congregationis sufficit, Canonicum vigesimum primum aetatis annum explevisse, ita ut possit infra annum Ordine Subdiaconatus initiari. Item simplicibus beneficiis obtinendis sunt impares, qui annum 14. non attingant.

4. *In legitimis natalibus:* legitimi natales sunt, cum quis ex legitimis nuptiis natus est, secus autem si ex turpi, vel illegitimo concubitu procreatus. Illegitimi ab omnibus ordinibus et beneficiis arcentur, sive in poenam paterni criminis, sive ob metum ne filii paternam incontinentiam imitentur, sive ob labem quamdam et maculam, qua Ecclesia ipsa aspergeretur; quamobrem illegitimi dispensatione indigent Ecclesiastici Superioris, ut beneficiis obtinendis habiles fiant, nisi jam per subsequens matrimonium, et non aliter legitimi effecti sint. Et quidem si de minoribus Ordinibus, aut de beneficiis curam animarum non habentibus agatur, Episcopus potest auctoritate

propria dispensare: pro reliquis Ordinibus et Beneficiis unus Pontifex dispensat, sed filii Clericorum illegitimi numquam dispensationis gratiam ab Episcopo consequi possunt, ut beneficium quodcumque habeant in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum possederunt, quod sancivit Trid. Synodus sess. 25. cap. 15. de Ref. « *ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur.* » Nepos tamen legitimus ex patre illegitimo natus, est capax beneficii, quod avus antea possedit, uti S. Rota et Congregatio Concilii responderunt. Filii vero Presbyterorum legitimi, videlicet ex justis nuptiis ante sacram Ordinationem suscepti, in eadem Ecclesia, ubi pater aut habet beneficium, aut habuit, officio et beneficio ecclesiastico donari possunt, cap. 12. de filiis Presbyt., modo illud ipsum beneficium quod pater ubicumque tenuit, filiis non conferatur, ne in collatione beneficiorum species haereditariae successionis inducatur. At patri rite beneficium defertur, quod filius proxime obtinuit, sicuti tradit Benedictus XIV. de Synodo Dioeces. lib. 13. cap. 24. ubi plures quaestiones ad rem nostram prosequitur. Filii quoque haereticorum, eisdemque faventium ad secundum gradum in linea paterna, et ad primum gradum in materna linea removentur a beneficiis, ubi parentes in haeresi decesserint. Denique hoc loco non erit abs re commemorare Constitut. S. Pii V. incipien. Quanta, qua Episcopi, aliique inferiores Collatores omnino vetantur, beneficia in eorum manibus resignata aut suis, aut resignantium consanguineis, affinibus et familiaribus conferre, etiamsi collatio per concursum magis idoneis facienda esset, idque ob suspicionem pactionum et fraudum quae in resignationibus facile irrepere possunt. Quae quidem suspicio cum procul absit a collatione Beneficiorum quae per obitum vacant, nihil obstat, quin ad concursum eorumdem beneficiorum per

obitum vacantium, consanguinei, affines, et familiares defuncti Rectoris admittantur; quod Sixtus V. declaravit. Confer Benedict. XIV. cit. loco. 5. *In scientia sufficienti:* nam « *litteris carens sacris non potest esse aptus officiis* », uti ait Gelasius P. in Can. I. dist. 36., et passim S.ⁱ Canones. Quum vero omnia beneficia non ejusdem ponderis et industriae sint, non eadem scientia in omnibus beneficiis desideratur. Profecto ea beneficia, quibus animarum cura incumbit, eminentiorem scientiam simul et prudentiam requirunt, quia ars artium est regimen animarum. Item Canonici Cathedralis Ecclesiae, cum Episcopi Senatum efficiant, eique consilio et opera in rebus gravioribus praesto esse debeant, ita oportet ut divinarum rerum, et Sacrorum Canonum doctrina praediti sint; et idcirco Trid. Synodus voluit, ut Archidiaconus et Poenitentiarius aliquo Academico gradu in Theologia, vel Jure Canonico ornarentur, et simul hortata est, ut Dignitates omnes et saltem dimidia pars Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis insignibus iis tantum viris conferantur, qui gradum aliquem in Juris aut Theologiae disciplina adepti essent. Generatim autem beneficia omnia eam scientiam expostulant, quae rite obeundis officiis beneficio adnexis sufficiat. 6. Demum in *iis specialibus dotibus*, quae a statutis Ecclesiarum, seu moribus aut legibus fundationis requiruntur, ex. gr. civitas, aut jus civitatis, nobilitas generis et hujusmodi. Quin imo sunt plures Ecclesiae et Capitula, quae seu statutis, seu consuetudine aut privilegio solis Nobilibus patent, licet Sacri Canones non genus, sed virtutem spectent. Praeclare Gregorius IX. Cap. 37. de Praebend. « *non generis, sed virtutis nobilitas, vitaeque honestas gratum Deo faciunt et idoneum servitorem* ».

At vero non satis est dotibus fulgere quas memoravimus, ut aliquis beneficio idoneus habeatur, sed prae-

terea carere debet omni crimine vel defectu, quo a divinis officiis repellatur. Hinc beneficiorum capaces non sunt excommunicati, suspensi et irregulares. Cum enim susceptione S. Ordinum, et ipsorum usu interdicantur, sic etiam indirecte saltem inhabiles sunt obtinendis beneficiis, quibus adnexus est ordo et ordinis usus: ex eo enim « *quod quis prohibeatur ab uno, prohibetur etiam ab altero ei connexo* » Cap. Translato de Constitut. «*Etsi autem,* uti prosequitur Leurenius in For. benef. part. 1. quaest. 335. « *non omnia beneficia supponant ordinem, non tamen etiam admittunt impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos et ministrandum in illis, cum omnia beneficia dentur intuitu ordinum, quatenus nimirum dantur, ut praeviae quaedam dispositiones ad illos, ut Beneficiati ex hoc disponantur ad suscipiendos Ordines, ut patet ex eo quod beneficia non dentur nisi habenti primam tonsuram, tamquam dispositionem ad ordines.* »

Postremo loco illud praetercundum non est, quod etsi beneficia idoneis et dignis tribuenda sint, tamen inter plures dignos dignior eligendus. Profecto in ecclesiasticis ministeriis digniorem praeterire vergit in Ecclesiae detrimentum, quae per digniorem melius administraretur, ejusque praeteritio fere adjunctam habet personarum acceptionem a Sacris Canonibus reprobatam. Verumtamen collationes dignis factae digniore posthabito sunt illicitae, attamen ratae. « *Ut electio,* inquit S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3., *impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, non oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio habere posset calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* » Sed Parochiales Ecclesiae dignioribus conferendae sunt, videlicet illis qui aetate, moribus, doctrina et prudentia ceteris antecellant; secus collatio irrita et nulla est. Hinc Tridentina

Synodus cap. 18. sess. 24. de Reform. legem tulit de concursibus habendis in collatione Parochialium, quae ad liberam Ordinarii collationem pertinent, vel jurispatronatus ecclesiastici sunt, ut ex praevio concurrentium examine dignior perspici possit. Inde S. Pius V. Constitut. In conferendis, et S. Congregatio Concilii jussu Clementis XI. in ep.ª Encyclica diei 10. Januarii 1721., et demum Benedictus XIV. in Constitut. Quum illud diei 14. Decemb. 1742. formam concursus habendi praescripserunt, atque dignioribus, siqui in collatione posthabiti essent, facultatem dederunt a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellandi, in devolutivo tamen, et infra decem dies a die collationis numerandos.

§ XCV.

DE FORMA COLLATIONIS

Jure communi veteri nec certa verborum formula, nec litteris, seu scriptura in collationibus Beneficiorum opus fuit, et idcirco beneficium rite conferebatur per quaecumque verba aut signa, quibus voluntas collatoris et ipse actus collationis demonstraretur: adhibebantur etenim certa symbola, veluti annuli et baculi traditio, birreti impositio et hujusmodi, quae adhuc retinentur: scriptura vero non admodum erat exculpta et usitata. Sed jure novo ad firmiorem et certiorem rei memoriam, et fraudes avertendas, si non certa lege, at certe praxi sive consuetudine omnium Tribunalium ecclesiasticorum recepta collationes fieri sine litteris nequeunt, et nemo sine eisdem literis expeditis, et exhibitis in Beneficii possessionem admittitur; quin imo ubi praesertim de collatione Apostolica sermo sit « *si quis fuerit adeptus*

possessionem ante literas expeditas, suos non facit fructus et tenetur in conscientia ad eorum restitutionem, etiamsi nemo se opposuerit » quod tradit Lotterius de re Benef. lib. 3. q. 2. Sane de Beneficiis electivis et majoribus apertus est textus in Cap. Injunctae de Elect. inter Extravag. com., quo vetantur electi et confirmati Ecclesiae administrationem capessere, nisi Literas Apostolicas acceperint, et poena suspensionis a percipiendis suorum beneficiorum fructibus in eos animadvertitur, qui sine hujusmodi litteris eosdem electos in Episcopos receperint, aut eisdem obtemperaverint.

Non vero eadem ratione Ordinarii Collatores, et Summus Pontifex litteras collationis expediunt. Quod ad litteras collationis Ordinariorum attinet, eas sex partibus constare vulgo traditur, in quarum prima Collator proprium nomen et dignitatem significat, et Clerico cui beneficium collaturus est, salutem dicit. In secunda exprimit collationis causam, scilicet ipsius Clerici merita, nec unquam ullius supplicationis aut petitionis mentio fit, ne videatur magis supplicantium et ambientium cupiditati, quam virtutum meritis praemium tributum esse. Si tamen collatio praevio concursu, aut Patroni nominatione seu praesentatione fiat, id etiam exprimendum est. In tertia explicatur modus vacationis et tempus, titulus beneficii et Ecclesia ubi situm est, tum reipsa beneficium assignatur et confertur eidem Clerico proprio nomine et cognomine designato. In quarta delegatur facultas omnibus tabellionibus, aliisque personis ecclesiasticis, ut Clericum, facta primum professione fidei coram Vicario Generali, in collati Beneficii possessionem admittant. In quinta Cancellarius Collatoris, vel Notarius litteras collationis subscribit, et in aliquibus Dioecesibus subscribuntur etiam duo testes qui collationi interfuerint. In sexta denique

apponitur data expeditionis, seu annus, mensis, et dies quo collatio perfecta est.

Jam vero Collatores Ordinarii neque promittere, neque conferre beneficia possunt, antequam vacent; vacantia vero infra sex menses conferre debent, secus enim pro ea vice collationes jure cadunt. Beneficia quoque conferre debent in perpetuum, et omnino gratis, ac sine ulla diminutione, vel divisione tituli, aut redituum, et absque ullo pacto, conditione, aut modo; et aliter facta collatio omni robore et validitate destituitur.

Pontifex collationis litteras expedit duplici modo seu forma, quarum una *in forma gratiosa*, altera *in forma dignum*, seu *in forma commissaria* nuncupatur. Litterae provisionis *in forma gratiosa* tum dantur, cum Pontifex, intuitu meritorum quibus aliquem Clericum ornatum et apud se commendatum esse affirmat, eidem beneficium confert, et proinde Executori non permittitur ejusdem Clerici merita ad examen revocare. Hinc hujusmodi litterarum exordium esse solet « *Vitae et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita inducunt* etc. » Et si Clericus in sacris disciplinis Doctor, aut Licentiatus fuerit, exordium est « *Litterarum scientia, vitae et morum honestas* ». Si nobili ex genere natus « *Nobilitas generis* ». Si regularem Ordinem professus « *Religionis zelus, vitae merita etc.* ». Si demum familiaris Pontificis extiterit « *Grata devotionis et familiaritatis obsequia, quae Nobis, et Sedi Apostolicae hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, nec non vitae et morum honestas etc.* ». Litterae vero *in forma dignum*, ita dictae quod Bulla his verbis incipiat « *Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur* » illae sunt, quibus Pontifex mandat Ordinario, ut certum beneficium alicui conferat, si tamen

praevio examine idoneum esse repererit, Litterae *in forma dignum* dicuntur etiam *in forma commissaria*, quod Pontifex proprie beneficium non confert, sed collationem Ordinario committit, et mandatis de providendo assimilantur; sed *in forma gratiosa* ipse per se Pontifex Beneficium confert, et Executor ob eam solam causam inducitur, ut provisum in corporalem possessionem immittat. Primum litterarum genus ferme usurpatur in beneficiis conferendis, quibus animarum cura inhaeret: in ceteris Beneficiis forma gratiosa facilius adhibetur.

Antequam litterae, seu Bullae Apostolicae conficiantur, breve compendium earumdem litterarum exaratur, quod summa capita totius rei complectitur, et vocabulo Curiae *Signatura* vocatur, propterea quod ab ipso Pontifice vel ejus Delegato signatur. Hinc a Rebuffo definitur: « *Scriptura in papyro conscripta, a Papa vel ejus delegato signata, absque sigillo, in medio scripta, partis* (hoc est Clerici) *supplicationem, Papaeque concessionem breviter continens.* » At vero Bullae seu Litterae Apostolicae quinque partibus constant, prooemio, narratione, dispositione, derogatione contrariis, et designatione Executorum. Prooemium varium est pro diversa forma aut gratiosa, aut commissaria, quod jam dictum est.

In narratione singillatim exponuntur preces Pontifici oblatae, qua in re videndum est, ne quid veri reticitum, aut aliquid falsi prolatum sit. Nam tacita veritate, vel suggesta falsitate quasi dolo quodam subreptae litterae sunt irritae, nulliusque momenti, Cap. 20. 22. et 37. de Rescript., et Cap. 6. de concess. Praeben. Haec vero speciatim enarranda sunt: 1. non solum nomen et agnomen Clerici, sed etiam Dioecesis, in qua tum Clericus ortum aut domicilium habuit, tum beneficium situm est: nam Pontifex censetur malle indigenis, quam exteris providere, si praesertim beneficium curatum sit, cum Trid.ª

Synodus cap. 7. sess. 24. de Reformat. jusserit, ut Parochi lingua vernacula sacra eloquia et salutis monita exponant, quo etiam pertinet Regula 20. Cancellariae de idiomate. 2. Leges peculiares locorum, an adsit statutum aliquod, seu privilegium, aut pactum cum Apostolica Sede initum, quo beneficium certis personis conferendum sit, Regul. 18. Cancellariae de non tollend. jus quaesit. 3. Qualitas beneficii, num simplex, num curatum, an regulare, an saeculare, num Dignitas, num personatus, vel officium, num liberae collationis, an electivum, vel jurispatronatus, Regul. Cancell. 57. de expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus. 4. Verus annuus reditus beneficii per florenos auri, vel ducatos auri de Camera, seu aliam monetam secundum communem aestimationem, Reg. Cancell. 55. de exprimendo valore beneficiorum. 5. Modus vacationis, an per obitum seu resignationem, an alio quovis modo, Cap. Susceptum de Rescript. in 6.°, et mensis quo vacavit, ex Reg. 9. Cancell., simul et locus vacationis, an videlicet beneficium in Curia intra duas diaetas, an extra Curiam vacaverit. 6. Familiaritas, si beneficium per cessum vel decessum familiaris alicujus Cardinalis vacaverit, quod in iis conferendis consensus aut Cardinalis patroni, aut Cardinalis Ordinarii Collatoris postuletur, ex Regulis Cancell. 32. et 33. 7. Dignitates et beneficia omnia etiam exigui valoris, si qua Clericus possideat, Cap. Ad aures de Rescript. nisi collatio motu proprio Pontificis facta sit; motu autem proprio collatio fieri censetur, cum id expressum in litteris habeatur, Cap. Si motu proprio de Praeben. in 6.°

Dispositio est ipsa concessio beneficii, quae interdum fit sub conditione, v. g. dummodo tempore datae praesentium non sit alteri jus quaesitum, dummodo a medietate saltem patronorum sit praesentatus, dummodo ad nos dispositio hac vice pertineat. Interdum fit sub

modo, hoc est adjecto onere ex. gr. annuam pensionem persolvendi, doctoris gradum vel sacros Ordines infra annum suscipiendi; interdum fit sub causa, ex. gr. ut decentius sustentari valeas; et denique interdum dispositio differtur in diem, cum ex. gr. postulatis Principum dignitas cum adnexa jurisdictione impuberi conceditur, sic tamen ut accessum vel ingressum ad eam habeat, postquam ad legitimam aetatem pervenerit, et interim ejusdem dignitatis cura et administratio idoneo Presbytero commendetur.

Dispositioni succedunt derogationes tum speciales, tum generales Constitutionibus, quae collationi obstarent, ejusque executionem impedirent. An vero generalis derogatio « *non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus quibuscumque in contrarium facientibus* » deroget Constitutionibus generalium Conciliorum si quae sint, an earumdem Constitutionum, seu Conciliorum specialis et expressa mentio facienda sit, Canonistae disputant. Generalem derogationem satis esse, nec specialem desiderari plerique putant, quibus consentit Gonzalez ad Cap. 3. de Cappellis Monach. et Passerinus ad Cap. 1. de Constit. in 6.° quaest. un.ª art. 13., qui hanc rem prae caeteris accuratius et uberius explicavit. Antiqua R.ae Curiae praxis huic sententiae favebat, sed modo ex Curiae ipsius praxi speciatim derogari solet. Ad Regulas Cancellariae quod attinet, generalis clausula « *non obstantibus Regulis Cancellariae, quarum tenores habeantur pro expressis* », hodie non sufficit, sed specialis regula quae obstiterit, distincte enarranda, eique speciatim derogandum, quod Reg. 71. ejusdem Cancellariae sancitum est. Similiter generalis derogatio « *non obstantibus quibuscumque* » non derogat privilegiis, statutis, vel specialibus consuetudinibus, nec juribus tertii, Cap. Si propter de Rescript. in 6.° Unde Pontifex per eam generalem clausulam non censetur de-

rogare juribus patroni praesertim laici, nec conditionibus in limine fundationis adjectis et probatis.

Designantur praeterea Executores, illi nempe qui literas Apostolicas ad effectum perducant, possessionem beneficii tribuendo, quam dicunt institutionem corporalem, sine qua beneficiatus nec fructus, nec officium spirituale explicare potest. Si literae *in forma gratiosa* exaratae sint, Executor in eis designatus, est purus et simplex, ut proinde visis Apostolicis literis Beneficiatum in possessionem beneficii sine mora deducat. At si literae in *forma dignum* datae sint, Executor efficitur mixtus, et judicis personam assumit, ut cognoscat de veritate clausularum seu conditionum eisdem litteris adjectarum, ex. gr. an Beneficiatus idoneus sit, an consensus mediae partis patronorum accedat, an alteri sit jus quaesitum et hujusmodi.

Denique concluduntur literae per adscriptionem diei, mensis, et anni sub quo datae sunt, ut duobus ad idem beneficium concurrentibus satis liqueat, uter praeferendus sit: prior autem tempore potior est jure. At si perspicuum non sit, uter primus literas impetrarit, is praeferendus est qui nullum alium Canonicatum vel Beneficium antea adeptus est: si uterque aliquo beneficio careat, is vincit qui literas Executori primus praesentavit, et si ambo simul praesentaverint, beneficium ei confertur, cui major pars eligentium favet, nisi ex literis perspicuum sit, quem Pontifex praeferre maluerit, Cap. Duobus de Rescript. in 6.°

Pro diverso valore Beneficiorum annatae solvendae: hae autem sunt dimidium fructuum primi anni, quod novus Beneficiatus Camerae Apostolicae solvit in antecessum, dum nempe literas Apostolicae collationis accipit.

Quindennia, seu Quindenae sunt dimidia pars fructuum unius anni eidem Camerae solvenda singulis quindecim annis ex fructibus beneficiorum quae nunquam vacant, eo quod alicui Capitulo aut Monasterio quae nunquam moriuntur, unita sunt, aut privilegio Apostolico ab omni reservatione exempta. Succedunt itaque in locum Annatarum. Annatae jure merito exiguntur, non quidem pro collatione, confirmatione aut consecratione non tamquam pretium rei spiritualis, sed titulo subventionis et sustentationis quae ab Ecclesiis inferioribus Ecclesiae Matri, ejusque Capiti et Ministris pro universa Ecclesia laborantibus praestanda est: titulo vero subjectionis, seu in argumentum subjectionis et in honorem Apostolicae Cathedrae non secus ac Episcopis cathedraticum persolvitur.

§ XCVI.

DE BENEFICIORUM POSSESSIONE, EJUSQUE EFFECTIBUS

Collatio jus tribuit capiendae possessionis beneficii, sed nemo auctoritate propria possessionem capere potest, Cap. 18. de Praeben. in 6.°, et Cap. 19. de Privileg. Itaque si Pontifex facultatem dederit adeundi auctoritate propria possessionem beneficii, quod contulit, nonnisi vacua apprehendi potest, siquidem ad praedonem etiam possessione pellendum auctoritate judicis opus est, nec alicui licet esse judici in propria causa. Item si Pontifex beneficium Clerico conferens, eumdem Clericum in locum defuncti possessoris subroget, substitutio intelligitur facta in solum jus quod defunctus habuit, non etiam in realem et corporalem possessionem quae aliquid facti est, et idcirco facto aliquo, et corporaliter, ut ajunt, capienda. Spectat autem missio in possessionem ad Antistitem Col-

latorem, quam per se ipsum tribuit, aut executori tribuendam in literis collationis committit. Ceterum qui possessionem tradit, Clericus sit oportet, aut etiam Notarius qui tamen a Sede Apostolica, vel ab Episcopo creatus sit; saepe vero, ac ferme semper Presbyter in possessionem immittit, et Notarius de hac immissione instrumentum conficit praesentibus saltem duobus testibus. Possessio beneficii traditur vel ipsi beneficiario praesenti, vel ejus procuratori speciale mandatum habenti, et quamquam certa forma capiendae possessionis nullo jure sancita sit, aliqua tamen externa signa usu recepta sunt, quibus possessionis traditio et acceptio significaretur. Igitur possessio arripitur per ingressum in Ecclesiam, ubi est titulus beneficii, occupando sedem convenientem, veluti stallum in Choro, aut Campanam pulsando, Altare osculando, Missale aperiendo vel claudendo, aliaque id genus agendo, quae officium et potestatem beneficiati significent. Canonicatus autem, et Praebendae Capitularis possessio coram Capitulo accipienda est.

Plures et proficui sunt captae possessionis effectus. Alii ex possessione beneficii generatim spectata, alii ex annali, alii ex triennali possessione profluunt. Generales effectus sunt. 1. In beneficiis liberae collationis possessio ab eo tradita qui potestatem conferendi habuit, vim et effectum collationis consequitur, Pyrrus Corradus Prax. Benefic. lib. 4. Cap. 7. num. 14. 2. Possessor regulariter liber est ab onere probandi « *quisquis enim possidet, jure possidere aestimatur* » L. 2. Cod. de acquir. et retin. possess. 3. In pari causa melior est conditio possidentis, Cap. 31. de Praeb. in 6.°, et idcirco si Beneficium duobus collatum sit, nec liqueat, quis prior tempore, quis posterior habendus sit, is vincat necesse est, qui possessionem adeptus fuit. 4. Possessio cum justo titulo et bona fide jus tribuit percipiendi fructus, suosque facien-

di, et officium spirituale ac jurisdictionem, si qua beneficio adnexa est, explicandi.

Effectus vero annuae, seu annalis possessionis ex. Reg. 35. Cancellariae est, ut ubi Clericus anno possederit, si quis idem Beneficium tamquam vacans, seu non rite collatum impetrare voluerit, is omnino debeat nomen et gradum possessoris aperire, et causam certam proferre ob quam contendit Beneficium ab eo retineri non posse; et praeterea intra sex menses possessorem in judicium vocare, causamque intra alios sex menses prosequi: interea vero possessor in sua possessione manet donec lis dirimatur. At triennalis possessio ex Reg. 36. ejusdem Cancellariae possessorem tutum reddit, ut amplius in jus vocari et possessione exturbari nequeat: haec enim possessio in re beneficiaria quadragenariae praescriptionis vice fungitur: qui effectus triennalis possessionis tum locum habet, si triennium continuum sit et completum, ut ne unus quidem dies deficiat; si possessio fuerit pacifica, hoc est sine lite vel controversia sive in possessorio, sive in petitorio excitata; et demum si possessio bonae fidei, et titulo colorato incumbat, hoc est, quod titulus sit absque simonia, vel alio patenti vitio, et ab eo datus cui jus erat beneficium conferendi.

Si possessio in beneficiis necessaria, ut eorum fructus comparentur, illud monendum superest, quod ex decreto Concilii Trident. sess. 24. cap. 12. de Reform. beneficiarii curam animarum habentes, Canonici et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium professionem fidei emittere intra duos menses a die possessionis captae obstringuntur; secus enim jure cadunt percipiendi fructus, nec ulla possessio eisdem prodest.

§ XCVII.

DE VACATIONE BENEFICIORUM

Beneficium vacat, dum suo Rectore destituitur, quemadmodum vacantia bona dicuntur quae haeredem vel possessorem non habent. Beneficium vero vacat duobus modis, aut voluntate propria, aut necessitate. Primo modo beneficia vacant, dum libera Beneficiarii voluntate aut demittuntur, aut resignantur, vel permutantur: secundo modo vacant, dum invitis possessoribus aut ob mortem, aut in poenam amittuntur. De singulis breviter disseremus.

§ XCVIII.

DE DIMISSIONE ET RESIGNATIONE BENEFICIORUM

Dimissio seu renunciatio Beneficii alia est *tacita*, alia *expressa*. Tacita est, cum beneficium dimittitur non verbis, sed facto aliquo unde ex juris dispositione renunciatio beneficii consequatur, veluti si beneficiarius matrimonium contrahat, aut militiae nomen det, aut possessionem alterius beneficii incompatibilis arripiat, aut denique si approbatam Religionem profiteatur. Expressa renunciatio est, dum expressis verbis aut scriptis dimittitur; quae iterum duplex esse potest vel pura, vel conditionalis. Pura vel simplex est, ubi coram Superiore sine ulla conditione aut pacto beneficium dimittimus; conditionata est, si dimittimus beneficium sub aliqua conditione, veluti sub reservatione certae pensionis, seu portionis fructuum, aut sub ea conditione, ut alicui certae personae conferatur. Stylo Curiae si beneficium pure dimittatur, renun-

ciatio dicitur, si dimittatur sub reservatione pensionis, dicitur renunciatio sub modo, seu reservatione pensionis, et si in favorem certae personae dimittatur, resignatio vocari solet.

Quaelibet renunciatio vel resignatio, ut jure fiat, libera sit oportet, hoc est nulla vi, metuque injusto, aut fraude dimissioni causam dante extorta, et ab eo facta qui rationis compos sit, et idcirco impuberes beneficium si quod habeant, renuntiare posse non videntur propter consilii infirmitatem: minores vero etiam sine curatore valide renuntiant, quod minores in beneficialibus, aliisque causis spiritualibus pro majoribus habentur, Cap. fin. de Judic. in 6.° Praeterea fieri debet salvo jure tertii; unde nequeunt beneficia litigiosa resignari, nisi in favorem collitigantium, nec patronata et electiva sine consensu eorum quorum interest: et ex Reg. 19. Cancellariae, quae *de viginti* inscribitur, resignatio irrita est, si qui beneficium resignavit, intra viginti dies a facta resignatione mortem obierit. Sed reus criminis postulatus, imo vero damnatus, si a sententia rite appellaverit, ejurare beneficium potest: ubi causa super crimine, quod privatione beneficii puniendum esset, non super ipso beneficio versatur, qua de re confer Pyrrum Corradum Prax. Benefic. lib. 5. cap. 1. num. 8. et seqq. Denique interponenda est legitimi Superioris auctoritas, ad quem spectat et causam renunciationis expendere, an idonea sit, et vinculum solvere, quo renuncians cum sua Ecclesia conjungebatur. Sex causas dimittendi Ecclesias Cathedrales Innocentius III. Cap. Nisi cum pridem enumeravit, quae sunt « *debilitas corporis*, *defectus scientiae*, *conscientia criminis*, *irregularitas*, *malitia plebis*, *et grave scandalum.* » Hujusmodi causis pro resignatione inferiorum Beneficiorum S. Pius V. in sua Constitut. Quanta Ecclesiae edita die 10. Aprilis an. 1568. certas alias ad-

junxit, propter quas ab Episcopis resignationes admitti debeant. Insuper vi ejusdem Constitutionis vetantur Episcopi Beneficia resignata consanguineis, affinibus, vel familiaribus resignantium conferre. Si quis autem ad Sacros Ordines titulo beneficii promotus sit, beneficium resignare non potest, nisi aperte declaraverit ad ejusdem beneficii titulum promotum esse, et praeterea constet renuntianti aliunde satis esse ad vitam commode tuendam, quod sancitum est a Concilio Trident. sess. 21. cap. 2. de Reform.

Renunciationes inferiorum beneficiorum simpliciter et pure factas Ordinarii Antistites rite admittunt: renunciationes autem Episcopatuum aliorumque majorum Beneficiorum ab uno Pontifice admitti possunt, quin etiam in resignationibus Beneficiorum inferiorum, quae aut in favorem certae personae, aut sub reservatione pensionis fiunt, auctoritas ipsius Pontificis necessaria est.

§ IC.

DE PERMUTATIONE

Ad renunciationes sub conditione aut modo factas pertinet beneficiorum permutatio, quae est mutua eorumdem dimissio sub ea conditione, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Permutationes fieri Canones vetant, nisi Ecclesiae necessitas aut utilitas postulaverit, et Episcopi auctoritas intercesserit qui eamdem necessitatis, aut utilitatis causam expendere debet antequam assentiatur: et propria auctoritate Beneficia permutantes eadem ipso jure amittunt, Cap. 7. de rer. permut., et Cap. unic. hoc tit. in 6.° Deinde eos oportet consentire qui jus nominandi, sive praesentandi, aut eligendi habent; eo siquidem consensu videtur ipsa

praesentatio aut electio suppleri, et electores vel patroni incolumem servant quasi possessionem jurium suorum, quibus vel ignorantes, vel inviti privari nequeunt. Uterque vero permutantium absque nova collatione ad suum beneficium regreditur, quoties ex defectu juris in altero permutante permutatio non consistat, quippe quod permutatio sub certo modo concepta modo non impleto resolvitur: atque adeo Regula 49. Cancellariae jubet, ut in litteris permutationis beneficiorum ponatur clausula « *quod neutri permutantium jus acquiratur, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.* » Patres Trid.ne Synodi sess. 25. cap. 7. de Reform. decreverunt « *nemini in posterum accessus aut regressus etiam de consensu ad beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur.* » Si quis vero ex aliqua justa causa ad idem beneficium redire vellet, necesse est ut ad Summi Pontificis auctoritatem confugiat.

Resignationes omnes sive permutationis causa, sive in favorem certae personae non valent, si resignans, aut permutans, sive in infirmitate, sive in bona valetudine id egerit, ante diem vigesimum a facta resignatione decesserit; quo spectat Reg.a 19. Cancellariae *de viginti*, quam supra attigimus. Prodiit haec Regula, ne beneficiarii dum sibi mortem instare animadverterent, beneficia sua ceu bona patrimonialia consanguineis et amicis in damnum Ecclesiae et Collatorum resignarent, et quasi haereditate legarent. Hanc vero regulam Constitutio Gregorii XIII. incip. Humano vix judicio subsecuta est, qua sancitum resignationes beneficiorum in loco beneficii publicandas esse, et forma ejusdem publicationis faciendae praestituitur; secus enim resignatio non consistit, et beneficia ipso jure vacantia collationi Pontificis addicuntur. Siquidem Regula *de viginti* incommodis malarum resignationum

non satis prospexerat: nam Clerici infirmitatis et mortis periculum praevenire studebant, atque adeo adhuc valetudine firmi beneficia resignabant: interim vero resignationem occultabant, ut ad mortem usque beneficiis fruerentur. Verumtamen ad eludendam Gregorii XIII. Constitutionem novae fraudes excogitatae fuerunt: nam coeptum est expeditionem literarum Apostolicarum ad preces resignantium prorogari, restitutiones in integrum saepius concedi, preces super una, eademque resignatione iterari ad protrahendam signaturae gratiam, et possessionem ad obitum usque resignantis differri, ut interim resignantes beneficiorum fructus perciperent. Itaque Benedictus XIV. in sua Constit^e. Ecclesiastica ministeria diei 15. Junii 1746. Constitutionem Gregorianam de publicandis resignationibus intra certum tempus, et capienda beneficii possessione innovavit, et insuper decrevit, ut ne consensus super qualibet resignatione in officio Datariae reciperetur, quoties mandatum ad resignandum ante octo menses a citramontanis, vel duodecim ab ultramontanis datum non esset. Dein jussit, ut intra duos ad summum menses ab eo die quo Pontifex resignationem admiserit, tum supplicatio signaretur, tum literae Apostolicae expedirentur, et mox a die concessionis intra alios sex menses citra montes, et intra novem ultra montes possessio Beneficii resignati cum effectu caperetur, et literae Apostolicae publicarentur.

§ C.

DE NECESSARIIS VACATIONIBUS

Ob mortem naturalem, quae omnia solvit, Beneficia omnino vacare perspicuum est: per mortem, inquam, naturalem, quandoquidem per mortem civilem, veluti per

captivitatem Episcopi, aut alterius Beneficiati, per deportationem, per damnationem ad carcerem, aut ad triremes perpetuas beneficia ipso jure non vacant, sed per Vicarium vel Coadjutorem administrantur, nisi damnati et servi poenae per legitimi Judicis sententiam beneficio quoque privati sint. At praeter obitum naturalem beneficia vacant vel voluntate propria, vel necessitate. Necessitate quidem dimittuntur, vel potius amittuntur beneficia ob certum crimen, propter quod Canones privationem beneficii ipso jure ipsoque facto decernunt.

In primis itaque enumeranda delicta Clericorum, propter quae beneficia ecclesiastica ipso jure amittunt. Sunt autem:

1. Haeresis, Cap. Miramur 24. quaest. 1., et Cap. Ad abolendum § 1. de haeretic., et apostasia a fide, Cap. Contra de haeret. in 6.°

2. Simonia confidentialis, ex Constitut. Pii IV. Romanum Pontificem; et ex Constitut. Intolerabilis S. Pii V. Simonia vero conventionalis et realis irritam tantum et inanem reddit collationem beneficii, quod simoniace quaesitum est.

3. Percussio et realis offensio Cardinalium et Episcoporum, Cap. Felicis de poenis in 6.°; et Cap. Si quis suadente diabolo in Clement. I.ª de poenis.

4. Assassinium, seu caedes hominis alicui mandata, vel alieno mandato gesta, et homicidium vel mutilatio Rectoris, aut alterius Clerici illius Ecclesiae in qua homicida vel mutilator beneficium obtinet, Cap. 1. de homicid. in 6.° § 2., et Cap. In quibusdam de poeniten.

5. Procuratio abortus foetus animati effectu subsecuto, ex Bulla Sixti V. incip. Effraenata; et ex Bulla Gregorii XIV. Sedes Apostolica.

6. Falsitas litterarum Apostolicarum, Cap. Ad falsariorum de crimin. falsi.

7. Duellum sive solemne, sive privatum, sive provocatum, sive non provocatum, et etiam morte non secuta, ex Bulla Pii IV. Ea quae a Praedecessoribus; ex Bulla Clementis VIII. Illius vices, et Decreto Concilii Tridentini sess. 25. cap. 19. de Reform.

8. Injusta bonorum cujuscumque Ecclesiae, seu Pii Loci occupatio, ex Decr. Concilii Trid. sess. 22. cap. 11. de Reform.

Sed plura sunt crimina ob quae si jus ipsum privationem beneficii non infligit, eam tamen comminatur a legitimo Judice infligendam. Numerantur itaque: 1. Non residentes; nam Episcopi, aliique animarum curam habentes, ubi non resederint, nec praeviis monitionibus audientes fuerint, tum privatione fructuum, aliisque censuris ecclesiasticis, tum demum privatione Ecclesiae coercentur, uti habetur ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de Reform., et sess. 23. cap. 1. de Reform. 2. Non suscipientes Ordines Canonicatibus et Beneficiis Cathedralium et Collegiatarum adnexos, aut a fundatore imperatos, dummodo nullum legitimum impedimentum obstiterit, Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. de Reform., et Bonifacius VIII. in Cap. 8. Si pro clericis. Qui vero alia beneficia extra Cathedrales et Collegiatas Ecclesias habent, si Ordines infra annum non susceperint, ipso facto iisdem beneficiis privandi sunt, quod multis explicat Fagnanus in Cap. Cum in cunctis de Elect. 3. Clerici, qui in sacris constituti, aut beneficia possidentes decenti sui Ordinis veste non utuntur, Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. Sixtus V. ea de re Constitutionem edidit Cum Sacrosancta, cujus rigorem Innocentius XIII. in sua Constitutione Apostolici ministerii, et Benedictus XIII. Constit. In supremo militantis paullisper mitigarunt, atque decreverunt praedictos Clericos habitum et tonsuram non deferentes, non esse beneficiis expoliandos, nisi monitiones et caetera de jure servanda

praeiverint. 4. Concubinarii, foeneratores, ebrietati ludisve alearum dediti, satores rixarum, negotiatores, arma gestantes, incertis sedibus vagantes, aliorumve criminum sontes tum in praedicta Constitutione Benedicti XIII., tum in aliis Constitutionibus, et Sacris Canonibus disertis verbis commemorati, et denique ob quemlibet excessum depositione vel degradatione digni.

Utraque poena privationis beneficii, hoc est aut ipso jure, aut per judicis sententiam irroganda dissimiles effectus habet. Enimvero privatio jure ipso inflicta non indiget auctoritate Judicis, nec sententia condemnatoria, ut beneficii titulum adimat, atque adeo beneficium a die patrati criminis statim vacat. Et quamquam hujusmodi poenae, quae rebus aut quaesitis juribus privant, sententiam criminis declaratoriam ex quadam aequitate et praxi recepta requirant, haec tamen sententia ad diem patrati criminis retrotrahitur, nec judex poenam proprie infligit, sed factum tantummodo declarat, videlicet beneficiarium ejus criminis reum vel convictum, vel confessum esse, ex quo beneficii privatio ipso jure, ipsoque facto inducta est. Quamobrem actus a die criminis gesti, ex. gr. resignationes et permutationes beneficii nullius momenti sunt, et percepti fructus restituendi. At privatio per sententiam judicis infligenda vacationem beneficii non parit, nisi sententia condemnatoria in rem judicatam transierit, et idcirco si quis interea resignaverit, aut permutaverit beneficium, resignatio aut permutatio consistit, nec fructus restituendi: quin etiam, si poenam privationis jus quidem non statuerit, sed tamen arbitrio judicis reliquerit, judex si velit abstinere potest a privatione beneficii, aliaque mitiori aut revocabili poena in beneficiatum animadvertere.

CAPUT III.

DE JUREPATRONATUS, COMMENDIS ET PENSIONIBUS

§ CI.

DE JURISPATRONATUS DEFINITIONE

Hactenus de Beneficiis dictum est: nunc de Jurepatronatus, Commendis et Pensionibus, quae tria huc pertinent, breviter disseramus. Itaque Juspatronatus aliquibus est: « *Jus honorificum, onerosum et utile competens alicui in Ecclesia, quam Episcopi consensu fundavit, construxit, aut dotavit* ». Alii vero sic definiunt: « *Jus seu potestas nominandi seu praesentandi Clericum instituendum ad Beneficium vacans.* » Hostiensis in Summa hoc titulo n. 1. addit « *ad Beneficium simplex* ». Verum, quod scite animadvertit Pirhing hoc eod. tit. « *per beneficium simplex Hostiensis intellexit Beneficia non electiva, seu quae praelaturae non sunt, sive sint simplicia, ut Capellaniae, sive Curata ut Plebaniae seu Parochiae, quae patronata beneficia vocantur, et conferuntur per institutionem Ordinarii dependenter a praesentatione Patroni: praesentationes autem, quae fiunt ad Dignitates et Praelaturas, non fiunt ex praescripto Juris communis, sed ex privilegio Sedis Apostolicae, vel consuetudine legitime praescripta.* » Profecto Praelaturae Ecclesiarum Collegiatarum nominationi seu praesentationi Patronorum non subsunt, quod jus commune statuit, ut Praelati Ecclesiarum Collegiatarum ab eodem Collegio seu Capitulo eligantur, et si quis aliter Ecclesiam ade-

ptus fuerit, expellatur, Cap. 1. de Elect., ut proinde Patroni qui eas Ecclesias fundarunt vel dotarunt, etsi jura honorifica aliave similia obtineant, jus tamen nominandi, seu praesentandi Praelatum sine speciali Sedis Apostolicae privilegio comparari nequeant. Similiter in Ecclesiis Cathedralibus jus Episcopos nominandi Fundatoribus non conceditur jure communi, sed unius Pontificis privilegio, seu pactis cum eo conventis comparatur, tum quod Ecclesiae Cathedrales, quae veteri jure communi per canonicam electionem tribuebantur, jure novo collationi Pontificis reservatae sunt, tum quod Ecclesiae Cathedrales auctoritate solius Pontificis eriguntur, atque adeo reservatio juris nominandi, aliaeque conditiones fundationi adjectae ab ipso tantum Pontifice probari possunt. Quamobrem, dum Covarruvias ad Cap. Possessor part. 2. § 10. affirmavit, jus nominandi Episcopos ad Hispaniarum Reges pertinere tum ex privilegio, tum etiam jurepatronatus, quod Cathedrales Ecclesias erexerint, construxerint, et amplis patrimoniis dotaverint, sic ipsius verba accipienda sunt, ut nimirum fundatio et dotatio Ecclesiarum Cathedralium causa fuerit, cur jus nominandi Regibus Hispaniarum concessum sit: ipsum autem privilegium Apostolicum caput est et origo, unde jus illud derivatur. Est itaque jus grati animi et retributionis causa ob rem temporalem quam fundator Deo dicavit, ab Ecclesia inductum et spirituali adnexum, sive, ut ait S. Thomas, ordinatum ad spiritualia, ex. gr. ad praesentationem Clerici, ut in Beneficio ecclesiastico instituatur, et Clerico jus tribuit ad rem spiritualem, scilicet ad Beneficium obtinendum.

§ CII.

DE ACQUISITIONE JURISPATRONATUS

Igitur Juspatronatus in primis acquiritur *fundatione*, *constructione* et *dotatione*. Fundatione, veluti si quis fundum vel aream tribuat, in qua Ecclesia aedificetur: constructione, si quis suis sumptibus Ecclesiam aedificet, vel collapsam restauret: dotatione demum, si quis annuos fructus pro alendis ministris, et conservatione Ecclesiae constituat. Verum non omnis fundatio juspatronatus comparat: siquidem putandum non est per solam fundi concessionem juspatronatus acquiri, ne quis dicatur Patronus Ecclesiae, quae nondum est et forte nunquam futura; sed etiam requiritur, ut Ecclesiae aedificatio absolvatur, et praeterea dos constituatur vel ab ipso fundatore, vel ab alio. Quemadmodum etiam concessio fundi seu areae sine constructione Ecclesiae, ita etiam constructio sine dote ad ministros alendos, et divinum cultum exhibendum prope inutilis est. Unde nequit Episcopus assentiri, ut quispiam Ecclesiam aedificet, nisi dotem constituat. Itaque juspatronatus non acquiritur, nisi constructione simul et dotatione. Si tamen plures in illud opus absolvendum viritim conferant, veluti si alius aream, alius expensas ad aedificationem, et alius congruam dotem, singulis juspatronatus acquiritur: quo spectat illud glossae « *patronum faciunt dos, aedificatio, fundus* »; et ideo ipsorum quilibet suam vocem seu votum ad Clericum praesentandum consequitur, licet unus plus contulerit, quam reliqui. Quod si unus idemque fundum tribuat et aedificet, alter vero dotem assignet, priori tamquam ex duplici capite patrono debentur duae voces seu vota, posteriori unam, et ita in reliquis casibus qui-

libet patronus tantum proficit, quantum contulerit. At si Ecclesia primum aedificata ruinae proxima sit, aut lapsa, vel si ejus reditus defecerint, tum sola aedificatione, aut dotis constitutione juspatronatus acquiritur, cum haec liberalitas fundationi aequiparetur. Æquum tamen erit veterem patronum ab Episcopo audiri, an ipse malit iterum aedificare, vel dotare: quod si renuat, et necessitas urgeat, non videtur cur Episcopus nequeat juspatronatus iterum aedificanti vel dotanti tribuere. Sed Joannes a Costa in Comm. ad Cap. 1. 2. et 36. distinguit, utrum juspatronatus veteri patrono concessum sit erectione et dotatione simul, vel ex dotatione tantum. Priori casu iniquum censet patronum jure suo privari, ut saltem cum novo aedificatore concurrat: posteriori casu consentit juspatronatus amitti, et dotanti acquiri. Verum qui dotem sufficienter constitutam et existentem solum augeat, aut aliquid in Ecclesiae instaurationem aut ornamentum conferat, patronatum non acquirit; non enim fundator, sed benemeritus habendus est; patronum autem a reliquis de Ecclesia benemeritis oportet distinguere.

At vero necesse est, ut Ecclesia vel beneficium auctoritate Episcopi fundetur, secus enim fundatio, seu locus religiosus habendus non est. Sed quaeritur, an fundatione de consensu Episcopi absoluta juspatronatus acquiratur, quamvis fundator in suae fundationis tabulis jus illud sibi expresse non reservaverit. Jam vero certum exploratumque est, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Juspatronatus non acquiri, nisi expresse reservatum et Apostolica auctoritate probatum sit, quod ipse Franciscus de Roye de Jurepatronatus cap. 15. et Florens tradiderunt. Sed quod ad inferiores Ecclesias et Beneficia pertinet, magis recepta sententia est, juspatronatus jure ipso inesse fundationi Ecclesiae, vel dotationi, ut proinde cum Ordinarius in fundationem et dotationem consenserit, consensisse

etiam in juspatronatus fundatori vel dotanti tribuendum censeatur, nisi fundator expresse aut tacite eidem juri renunciaverit; expresse quidem per tabulas, seu scripturas, aut aperta verba; tacite vero per non usum, veluti si fundator diu passus est Ecclesiam vel beneficium pluries ac libere ab Episcopo conferri.

Juspatronatus acquiritur etiam praescriptione. Sed praescriptio aequo jure adversus patronum, ut contra Ecclesiam liberam non procedit. Nam duobus de Jurepatronatus contendentibus praescriptione ei tribuitur patronatus qui spatio quadraginta annorum illud possederit, et bis aut ter praesentaverit. Ubi vero controversia sit adversus Ecclesiam, non praescribitur, nisi « *ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. In iis vero personis, seu Comunitatibus vel Universitatibus, in quibus jus plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuae non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio quae omnes effectus sortitae sint, authenticis scripturis probentur* » Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. de Reform.

Demum Juspatronatus acquiritur privilegio, si nimirum Pontifex alicui qui Ecclesiam nec fundavit, nec extruxit, nec dotavit, hoc jus vi supremae potestatis largitus sit. Episcopus autem eam sibi potestatem vindicare nequit. Hac de re Leurenius in Foro Benef. part. 2. quaest. 46. exhibet declarationem S.ae Congregationis Concilii, quae sic habet: « *Juspatronatus ex privilegio Episcopi concessum, in cujus pacifica possessione extiterunt praetensi patroni per annos centum quadraginta, non prodest, cum enim constet de titulo ex privilegio invalido, centenaria possessio prodesse non potest ob malam fidem.* » Sed Pontifex pa-

tronatum concedere solet non ex mera gratia et privilegio, sed quadam aequitate et remuneratione, puta ob augmentum dotis, bonorum vindicationem, vel ob alia in Ecclesiam merita; tum vero concessio Pontificis non est adversa Tridentino decreto, quo hujusmodi privilegia sublata sunt; causae enim propter quas tribuitur, fundationi et dotationi comparari quodammodo possunt.

§ CIII.

DE TRANSLATIONE JURISPATRONATUS

Quatuor sunt modi, quibus juspatronatus jam quaesitum in alios transfertur ac derivatur, qui proinde modi *derivativi* vocantur, siquidem modi jam commemorati, quibus hoc jus primo comparatur, *originarii* vocari solent, quod ex eis jus ipsum originem ducat. Primus itaque modus derivativus est successio sive legitima, sive testamentaria, qua juspatronatus transit ad haeredes quoscumque, seu consanguineos, sive extraneos, sive mares, sive foeminas, sive directos, sive fideicommissarios, sive usufructuarios universales, dum Patronatus rebus haereditariis adhaereat. Translatio ejus juris sive cum universitate bonorum, sive cum certis et specialibus bonis, ex. gr. cum Castro cui juspatronatus adnexum est, Episcopi auctoritate non indiget qua firmetur. Sed necesse est ut Episcopus consentiat, si Patronatus sine ulla haereditate in laicum transferatur. Secundus modus est donatio libera et gratuita tum rei cui juspatronatus inest, tum ipsius juris: in qua quidem consensus Episcopi requiritur, si patronus laicus alteri laico, non autem si Ecclesiae aut alii loco religioso, vel compatrono donaverit. Sed donatio universalis omnium bonorum sine ulla Episcopi auctoritate jus quoque Patronatus transfert; quin

imo in generali donatione bonorum translatio Patronatus ipso jure continetur. Tertius modus est permutatio, si nempe res cui juspatronatus infixum est, cum alia re permutetur; jus enim illud veluti accessorium rem ipsam sequitur, nec opus est consensu Episcopi: jus tamen patronatus in aestimationem venire non potest. Postremus modus est venditio non quidem jurispatronatus, sed rei cui jus adhaeret, dum pretium ratione patronatus non augeatur, et consensus Episcopi accedat. Sed in venditione omnium bonorum, quemadmodum in generali donatione non est opus Episcopi auctoritate. Ad hunc postremum modum transferendi Jurispatronatus pertinet Emphyteusis, locatio praesertim ad firmum seu longum tempus, et alii contractus, quibus possessio et utilitas rei in alium transferatur. Huc etiam spectat collatio Beneficii seu Dignitatis, ad quam juspatronatus pertineat.

Sed antequam rem uberius explicemus, operae praetium est divisiones Jurispatronatus in medium proferre. Itaque juspatronatus primo dividitur in Ecclesiasticum et laicale. Ecclesiasticum Ecclesiae seu Dignitati ecclesiasticae adhaeret, illudque exercet qui eam Ecclesiam seu Dignitatem obtinet vel administrat: laicale est, quod spectat ad aliquem sive Clericum, sive laicum non ratione Beneficii et Dignitatis, sed ratione sanguinis, successionis, vel alio simili titulo. Quamobrem ut intelligas, an juspatronatus ecclesiasticum sit an laicale, non persona possidentis spectanda est, sed titulus quo possidetur. Si vero juspatronatus ad alterum ratione Ecclesiae, ad alterum ratione successionis pertineat, dicitur mixtum, quod contingere potest, si ex. gr. ex duobus patronis laicis alter jus suum Ecclesiae cesserit.

Praeterea Juspatronatus dividitur in haereditarium et familiare, seu gentilitium. Primum est quod titulo haereditario pertinet ad fundatoris haeredes etiam extraneos,

alterum est quod solum personis consanguinitate vel affinitate conjunctis cum familia fundatoris, aut cum alia familia a fundatore nominata obvenit: et si quidem eis tantum conveniet qui per virilem sexum processerint, dicitur agnatitium, si etiam iis qui per femininum sexum prodiverint, cognatitium appellatur. Interdum autem induit utramque naturam haereditarii nimirum et gentilitii. In dubio tamen haereditarium praesumitur, ut quod frequentius est et juri communi conformius.

Tertio dividitur in reale et personale: primum est quod intuitu bonorum et rerum competit, ideoque in omnes eorumdem bonorum possessores transit: personale est quod personis seu familiis adhaeret ob qualitates personales, ex. gr. ratione agnationis. Denique patronus interdum jus habet praesentandi quemcumque Clericum idoneum seipso excepto, interdum autem jus quidem obtinet praesentandi, sed illud profecto praefinitum inter certas personas ab ipso fundatore vocatas, quae idcirco si negligantur, ipsis jus est institutionem ab Ordinario petendi, perinde atque a fundatore ipso praesentatae fuissent. Jam vero juspatronatus intuitu ejus cui ex quocumque titulo jus est praesentandi, dicitur activum; intuitu autem personae quae jus habet ut praesentetur, passivum nuncupatur.

His praemissis monendum est: 1. Juspatronatus haereditarium sive reale, sive personale transit cum haereditate legitima aut testamentaria ad haeredes omnes in solidum, quamvis haereditas inaequaliter dividatur, quia juspatronatus individuum est. Jus tamen praesentandi dividi potest, in eoque non secus ac in aliis juribus haereditariis succeditur in stirpes, et non in capita, jure scilicet repraesentationis: unde duobus, qui unum simul juspatronatus tenebant, decedentibus, quorum alter unum, alter quinque haeredes reliquerit, horum quinque haeredum

suffragium, sive voces aeque ac illius haeredis pro uno suffragio computantur, quod hi quinque non secus ac alter haeres unum tantum patronum repraesentant. « *Ut autem facilius provideatur Ecclesiis, non inconveniens,* ait Pontifex in Clement.ª 2.ª de Jurepatron., *reputamus patronos ipsos inter se libere convenire posse de rectore ab eis alternis vicibus praesentando.* 2. Juspatronatus gentilitium defertur in capita et non in stirpes. Frequenter tamen et tabulis fundationis, et locorum consuetudinibus obtinuit, ut juspatronatus gentilitium primogenito de familia, praecipue si fundo illustri adnexum fuerit, obveniat; tum etenim eaedem pene leges ac regulae tenendae sunt in delatione patronatus hujusmodi, quae in feudis aut fideicommissis gentilitiis, seu familiaribus deferendis receptae fuerint. Illud etiam est discriminis inter gentilitium et haereditarium, quod a gentilitio, nisi aliter a fundatore cautum sit, repellantur filii illegitimi, cum non dicantur de gente seu familia, etiamsi essent per Rescriptum Principis legitimati. Incestuosi autem ita repelluntur, ut ne eis quidem prosit Pontificis legitimatio, nisi de qualitate cum natalium, tum jurispatronatus aperta et individua mentio facta sit: in haereditario autem qualitas personae non inspicitur, et si jus illud personale fuerit, ad eum transit cui patronus reliquerit; si autem reale, in eos transfertur, qui rei ipsius testamentarii vel legitimi haeredes habeantur. 3. Juspatronatus familiare seu gentilitium nec testamento relinqui, nec alio modo in alium transferri potest, sed gradatim ad eos transit, qui in tabulis fundationis vocati sunt. 4. Juspatronatus quod fundo cohaeret, seorsim a fundo vendi, permutari, vel locari non potest, secus enim ex decreto Concilii Trid. sess. 25. cap. 9. de Reform. venditor juspatronatus, et emptor pretium amittit. 5. Demum in jurepatronatus reali, si proprietas rei ad alterum pertineat, et alter dominium utile

habeat, jus praesentandi dominium utile sequitur. Hinc si fundo dotali juspatronatus infixum sit, Canonistae communiter tradunt, jus praesentandi constante matrimonio ad maritum pertinere, cum dominium civile dotis cum jure percipiendi fructus ad ipsum transeat.

§ CIV.

DE JURE PRAESENTANDI

Praecipuum patronorum jus in praesentatione situm est. Praesentatio autem est nominatio seu oblatio idoneae personae in beneficium instituendae. Fit autem praesentatio vel ab ipso patrono per se, vel ejus nomine per mandatarium speciali mandato instructum, atque etiam per Tutorem vel Curatorem loco eorum, quibus prudentis judicii defectus obstat. Sed praesentationem rite factam esse oportet, hoc est literis in forma authentica expeditis, et legitime exhibitis Ordinario, a quo institutio tribuenda. Ubi autem plures sunt patroni, praesentatio ab omnibus facienda est; verum interest, num praesentatio pluribus, prout Collegium constituunt, an vero singulis seorsim competat. Si patroni Collegium constituant, necesse est ut praesentatio collegialiter fiat, atque ita omnes vocandi sunt, et si quidem unus negligatur, poterit agere de contemptu, Argum. capp. 28. 36. et 42. de Elect. Insuper praesentatio collegialis irrita est, nisi major pars ejusdem collegii in unum conspiraverit. Si vero praesentatio ad plures, uti singulos, seorsim pertineat, singuli reliquis etiam non vocatis nec monitis valide praesentant, nec omnes, nec plerique tenentur in unam personam convenire. Itaque si a patronis praesententur plures, et major vocum pars unum offerat, hic praeferendus est. Quando autem vota sint paria, tunc

patroni dicuntur disceptare, et si intra tempus a jure concessum plura vota non conspirent in unum, Episcopo arbitrium permittitur in pari causa inter duos aut plures quem maluerit gratificandi, et praeeligendi, ex Cap. 24. de Jurepatron. Attamen quoties compatroni discordes alii alium praesentant, Apostolica Sedes consuevit beneficium ei conferre qui ad ipsam cito recurrens, suosque adversarios praeveniens exposuerit, se intra legitima tempora praesentatum a majori parte vel saltem medietate patronorum, ac gratiam derogationis alteri vocum medietati postulaverit.

Est porro in jure praefinitum tempus, intra quod praesentatio fieri debet. Itaque patrono laico quatuor menses conceduntur, sex autem menses patrono ecclesiastico, ejusque compatrono laico, licet laicus seorsim ab ecclesiastico nominet. Patronus laicus plures non modo simul, sed etiam vicissim intra tempus constitutum praesentare re integra potest, ita tamen ut primas praesentationes irritas facere non praesumat; omnes enim debent in suo robore permanere et Episcopo praesentari; Ecclesiasticus vero semel facta praesentatione recedere ab ea vetatur. Praeterea si patronus ecclesiasticus indignum praesentaverit, ea vice privatur jure praesentandi, et collatio libera efficitur; Laicus autem indignum praesentans jubetur alium praesentare; cujus discriminis ea est ratio, quod Ecclesiasticus idoneum nosse praesumitur, quae juris praesumptio cessat in laico. Demum si Ecclesia vel beneficium jurispatronatus ecclesiastici fuerit Parochiale, indicendus est concursus, et quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare tenetur, ut ab eo instituatur. « *At si institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spe-*

ctat » uti expresse sancivit Tridentina Synodus sess. 24. cap. 18. de Reform.

Verum ubi sermo sit de Ecclesiis Parochialibus jurispatronatus laicorum, non requiritur examen per concursum, sed satis est ut praesentatus a patrono ab iisdem Examinatoribus in Synodo deputatis idoneus repertus sit, ex eadem Synod. Trid. cit. loco. Item si Ecclesia Parochialis sit jurispatronatus mixti, hoc est partim Ecclesiastici, et partim laicalis, S. Congregatio Concilii die 5. Februarii anni 1628., ne jura laici ob consortium cum Ecclesiastico ulla ex parte laederentur, declaravit neque ad hujusmodi Ecclesiae collationem necessarium esse examen per concursum, sicuti testatur Barbosa citatus a Benedicto XIV. de Syn. Dioeces. lib. 4. cap. 8. Potest « *nihilominus evenire,* prosequitur Pontifex cit. loco, *ut concursus institui debeat etiam ad Ecclesias Parochiales jurispatronatus laicorum; nam si ab uno, aut pluribus patronis laicis aequali jure gaudentibus plures ad vacantem Ecclesiam sint nominati et Episcopo praesentati, neque ullus ex praesentatis retulerit a patronis plures voces, quam caeteri, tenetur Episcopus indicere concursum inter eosdem praesentatos, atque illum eligere, quem ex approbatis ab Examinatoribus judicaverit magis idoneum.* »

Legitime praesentatus, si idoneus sit, per praesentationem jus ad beneficium acquirit, et si beneficium alteri conferatur, institutio irrita est. Sed antequam patronus praesentet, si Antistes Collator beneficium contulerit, collatio hujusmodi manet, donec Patronus intra tempus ad praesentandum concessum, vel praesentaverit, vel expresse contradixerit. Eo autem expleto tempore collatio Antistitis perpetuo firma et rata censetur ob tacitum Patroni consensum. Praeterea si controversia de ipso jure Patronatus oriatur, quae intra quatuor menses definiri non potuit, tunc Ordinarius Antistes libere confert beneficium,

quia propter laicorum lites non debet Ecclesiis praejudicium inferri. Dum autem constat Ecclesiam esse patronatam, et quaestio est utri ex litigantibus jus praesentandi competat, si uterque salvo jure suo in eamdem personam consentiat, institutio neganda non est, nullum enim inde in Ecclesiam damnum derivatur. Verum dum litigantes diversas personas praesentant, ejus praesentatio admittenda est cui possessio favet, quod pendente lite nemo suo jure privatur.

§ CV.

DE RELIQUIS JURIBUS PATRONORUM

Haec breviter de jure praesentationis, nunc superest ut reliqua patronorum jura sive *honorifica*, sive *utilia*, sive *onerosa* exponamus. Inter jura honorifica haec vulgariter recensentur, honor scilicet processionis, thuris, precum, sedis, aquae benedictae, et sepulturae. Honor processionis patrono exhibetur duplici modo: primo quidem dum illi ad Ecclesiam venienti Clerus in processionem digestus occurrit, qui hodie honor solum patronis, qui summi Principes sint, exhiberi solet: secundo autem, dum eidem patrono in publica et solemni processione honoratior locus inter laicos attribuitur. Honor thuris in eo positus est, ut patronus seorsim a reliquo populo thurificetur. Honor precum facit, ut nomen patroni in publicis Ecclesiae precibus nominatim commendetur. Honor sedis in eo est, ut fixa et specialis sedes patrono constituatur, et quidem in navi Ecclesiae patronatae, vel etiam in ipso Presbyterio, Choroque Cleri proximior. Honor aquae benedictae praestat, ut patronus ritu peculiari aspergatur: vetitum est tamen cuique vel Sacerdoti, vel Laico aspergillum porrigi, quo se ipsum

aspergat, excepto solo Episcopo. Denique honor sepulturae eo spectat, ut in Ecclesiae honorificentiori loco patronorum cadavera humentur. Inter jura honorifica recensetur etiam jus stemmatis gentilitii in Ecclesia patronata affigendi. Generatim vero de juribus honorificis tenendum est quod tradit Franciscus de Roye lib. 2. cap. 5. de Jurepatronatus his verbis « *in officiis et honoribus exhibendis non modo videndum est quid lege sancitum, sed quid consuetudine valeat: modo tamen non ejusmodi consuetudine jura inducantur, quae vel Ecclesiae decori opponantur, vel rectam divinorum officiorum administrationem turbent, quae licet longaevo usu inducta, adhuc tamen poterunt legitima auctoritate aboleri.* »

Utilia patronorum jura duo sunt. Primum est, quod patronus possit in ipsa fundatione sibi, successoribus suis, aut etiam extraneo annuam pensionem, vel censum, vel etiam fructus Ecclesiae vacantis reservare. Alterum est, quod patronus ad inopiam vergens, quin et ejus uxor, ac filii egentes ab Ecclesia patronata alendi sint, etsi ea de re fundator nihil sibi, suisque stipulatus sit. Alimenta autem debentur non jure praesentationis, sed jure fundationis, ex quo sequitur: 1. eadem alimenta praestanda esse patrono, etiamsi jus praesentandi vel dimiserit, vel alteri cesserit. Sequitur 2. eadem non omnibus patronis deberi, sed illis tantum, qui Ecclesiam fundarunt. Unde Lotterius de re beneficiaria lib. 2. cap. 5. recte animadvertit « *legitimandam esse personam ipsius petentis, videlicet quod descendat a fundatore: neque enim sufficit ostendere se esse patronum, cum potuerit acquirere juspatronatus jure haereditario, vel alio simili, textus vero in Can.* QUICUMQUE *caus. 16. quaest. 7. suffragium istud promittat descendentibus a fundatore, neque ejus ratio ad alios porrigatur.* »

Porro alimenta praestanda sunt pro conditione patronorum, et Ecclesiae facultatibus, eorumque taxatio in arbitrio judicis posita est. « *Pro instruendo autem processu circa merita*, prosequitur Lotterius cit. loco, *praeter justificationem patronatus ex legitimitate personae, ut supra dictum est, duo sunt necessario probanda, quorum primum est superefluentia redituum in Ecclesia detractis expensis necessariis cultui divino; alterum vero est inopia ex parte petentis.* »

Demum patronis incumbunt jura onerosa, scilicet jus inspectionis et defensionis. Quippe patronorum est inspicere, num leges fundationis observentur, bona fideliter administrentur et custodiantur, ut si qua culpa est ad Episcopum deferant, Ecclesiam ipsam ejusdemque jura defendere ac tueri, ne a potentioribus opprimatur. At patronis non licet sub inspectionis et defensionis praetextu administrationem redituum, quae ad beneficiorum Rectores spectat, nec Ecclesiae visitationem, Clericorum institutionem vel destitutionem quae Episcopi sunt, usurpare, nec contributionem, onus, servitutem aut gravamen imponere, nec demum iis se ingerere quae ad Sacramentorum administrationem, et divinorum officiorum celebrationem pertinent.

§ CVI.

DE AMISSIONE JURISPATRONATUS

Juspatronatus legitime quaesitum pluribus modis amitti potest. Et primo quidem ex delicto, seu in poenam amittitur juspatronatus, si patronus Ecclesiae Rectorem, aut alium ejusdem Clericum occiderit, vel mutilaverit, si in haeresim, schisma, aut apostasiam inciderit, si patronatum seorsim vendiderit, aut aliam illicitam, vel simo-

niacam in alios translationem de facto attentaverit, si demum fructus Ecclesiae patronatae in proprios usus converterit, vel ejus bona usurpaverit. Notandum tamen est, delictum patroni obesse ipsi tantum et haeredibus ac successoribus, qui ab ipso causam habituri sunt, non autem compatronis innocentibus, nec aliis successoribus, qui independenter et jure proprio in patronatum succedunt.

Sine delicto autem patronatus amittitur, 1. totali destructione Ecclesiae, vel interitu dotis: quo tamen casu patronatus reviviscit, si patronus iterum aedificaret, vel dotaret: 2. Morte ejus cui soli donatum fuerat, aut extincta gente vel familia, pro qua tantum fuerat institutum et reservatum. 3. Voluntaria cessione expressa vel tacita, ut si patronus patiatur Ecclesiam patronatam converti, seu erigi in Collegiatam vel Conventualem, vel alteri Ecclesiae aut Monasterio subiective uniri: 4 Demum non usu quadraginta annorum, dum scilicet patronus legitimo cessante impedimento nullum Rectorem ad vacantem Ecclesiam praesentavit, et interea Ordinarius pleno jure, et saltem duabus vicibus eamdem Ecclesiam contulit, cum jura omnia ac privilegia alteri onerosa per non usum, aut usum contrarium exspirent; quod facilius pro Ecclesiarum libertate admittendum est.

§ CVII.

DE COMMENDIS BENEFICIORUM

Commenda a verbo *commendare* dicta est, quod significat fidei, curaeque tradere, committere, in custodiam dare. Hac sane ratione antiquissimus in Ecclesia est Commendarum usus, quandoquidem priscis temporibus ipsae Cathedrales Ecclesiae commendabantur, ut scilicet esset

qui Dioecesis curam gereret, quoad novus Episcopus eligeretur: interdum etiam Episcopis ob irruptionem hostium a propria Sede fugatis, Ecclesiae aliis in commendam dabantur, ut eas administrarent et ipsarum reditibus alerentur. Monasteria quoque saepe commendata sunt Episcopis, aliisve Clericis, ut ad Monasticam disciplinam restituendam diligenter incumberent. Itaque Commendae pro Ecclesiae utilitate primum inductae sunt, nec erant perpetuae, quod Commendatarius non titulum Beneficii, sed custodiam dumtaxat haberet. Hodie Commendis aliter utimur; neque enim ad tempus, sed instar beneficii ad vitam Commendatarii tribuuntur cum jure percipiendi fructus, et spiritualem jurisdictionem administrandi; idque praecipue fit: 1. cum plura saecularia, eaque incompatibilia beneficia in unam eamdemque personam conferuntur, unum videlicet in titulum, et aliud in perpetuam administrationem seu Commendam, ut duo Episcopatus, duae Paroeciae: 2. Quum beneficia regularia Clericis saecularibus, ex. gr. Abbatiae et Prioratus Conventuales Cardinalibus, aliisque Clericis non Regularibus tribuuntur. Quamobrem Commenda perpetua tunc praesertim datur, cum aliquid obstat, quominus Ecclesia vel Beneficium in titulum conferatur.

Varia fuerunt fata Commendarum. Clemens V. Extravag. 2.ª de Praebend. inter comm. Commendas omnes per ipsum concessas rescidit, quod compertum haberet, easdem non in commodum et utilitatem, sed potius in jacturam Ecclesiarum vergere. Mox Joannes XII. Ecclesias et Monasteria indiscriminatim commendavit. Concilium autem Lateranense V. vetuit Monasteria nunquam commendata in posterum commendari: quae vero commendata aliquando fuissent, nisi Cardinalibus aliisque personis de Ecclesia bene meritis, non commendari, et Mensam Commendatarii a Conventuali separandam omni-

no jussit. At vero Tridentini Patres maxime optaverunt, ut Monasteria etiam commendata, et deinceps vacatura, quae suos Conventus habent, et praesertim quae capita sunt Ordinum, Clericis saecularibus in Commendam non traderentur. Monasteria vero destituta Monachis a Tridentinis Patribus silentio praetermissa sunt, ut significaretur, eadem commendanda et providenda Apostolicae Sedis arbitrio et prudentiae relinqui. Itaque Romani Pontifices Ecclesias et Monasteria in Commendas aut temporaneas, aut perpetuas concedere solent, quoties earum usus necessarius, aut saltem proficuus videatur. Episcopi autem ne ad tempus quidem commendare Ecclesias possunt, quod uni Pontifici facultas est sacris disciplinae Canonibus derogandi, quin etiam temporanea ad sex menses Ecclesiarum Parochialium commendatio, quam jure Cap. 15. de Elect. in 6.° aliorumque antiquiorum Canonum Episcopi tribuebant, per cap. 4. sess. 7. de Reform. a Concilio Trid. sublata est, dum constituit in vacantibus Ecclesiis Parochialibus non Commendatarios, sed Vicarios seu OEconomos deputandos esse, quoad novus Rector instituatur.

§ CVIII.

DE JURIBUS ET ONERIBUS COMMENDATARII

Hodierni Commendatarii veris Titularibus aequiparantur, ut proinde pene omnibus Regularium Abbatum tum utilibus, tum honorificis juribus gaudent. Et quod pertinet ad jura utilia, haec verborum forma in literis Apostolicis adhiberi solet, ut nimirum Commendatarius « *de fructibus, reditibus, et proventibus ipsius Monasterii disponere et ordinare valeat, sicut veri Abbates et Priores: alienatione tamen bonorum immobilium et pretiosiorum mo-*

bilium penitus interdicta ». Si tamen in Monasterio religiosa familia extiterit, et ejusdem Mensa a Mensa Abbatis sejuncta non sit, in ipsis literis Apostolicis adjicitur clausula « *quod propter hujusmodi Commendam divinus cultus, ac solitus Monachorum et Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenus minuatur* »: adeoque danda est tertia pars omnium fructuum Monasterii commendati pro omnibus « *illis oneribus supportandis et sustentatione Monachorum* » ex Constit. Supernae Leonis X. Jura honorifica Commendatarii Gregorius XIII. ad interrogata Concilii Rothomagensis an. 1581. ita complexus est, « *Commendatarios inter Abbates esse in Synodo recipiendos: Abbates benedictos, et qui usum mitrae habeant, praecedere debere Commendatarios: neutros vocem definitivam, sed consultivam tantum habere* ». Primam etiam sedem in Ecclesiis commendatis occupant. At vero praeter utilitatem et honorem, spiritualem etiam jurisdictionem administrant. Hinc si Monasterio commendato, ejusque Monachis privilegium concessum erat dimissoriales litteras ad Ordines tribuendi, eadem facultas in Commendatarium transit. Ubi vero Monasteria aut animarum curam, aut temporalem jurisdictionem adnexam habeant, videndum est an et quomodo in litteris Apostolicis Commendatario tradita sint. Tum vero Commendatarius si curam animarum habeat, et Sacros Ordines suscipere et residere debet. Caetera vero ipsius onera eadem ferme sunt atque Abbatum Titularium; sed aliquando contingit ut aliquod Monasterium commendetur ob urgentem aliquam necessitatis vel utilitatis causam, ex. gr. ut aedificia reparentur, bona alienata recuperentur: tum enim conditiones et onera imposita diligenter observanda sunt.

§ CIX.

DE PENSIONIBUS

Pensio est certa pars reddituum alieni beneficii a legitimo Superiore alteri Clerico attributa, eique a beneficiario praestanda. Igitur pensio imitatur naturam servitutis, quae onus est in re aliena constitutum, eique adhaerens: ex quo fit ut morte beneficiarii non extinguatur. Hujusmodi pensiones, quae reales dicuntur, imponendi potestas ad unum Pontificem devoluta est, quia in earum concessione Canones relaxari oportet, qui jubent ut beneficia sine diminutione conferantur. Aliquando tamen pensio non imponitur beneficio ipsi, sed personae beneficiarii, unde ejus morte extinguitur, neque in beneficii successorem transit. Hujus temporaneae pensionis imponendae facultatem Episcopis esse plures Canonistae contendunt ob eam rationem, quod nulla fiat beneficii sectio seu dismembratio, quum personae, non beneficio ipsi imponatur. Causam autem in quacumque pensione constituenda justam et honestam subesse oportet, hoc est ob bonum pacis, veluti si duobus de beneficio contendentibus uni beneficium, alteri pensio super eodem tribuatur ad litem dirimendam; vel ob aequitatem et compensationem quamdam, veluti cum resignanti beneficium in favorem, vel beneficium permutanti cum alio tenuiori pensio decernitur super ipso beneficio resignato vel commutato; vel demum ob insigne Clerici in Ecclesiam meritum, excellentem virtutem, summam doctrinae peritiam, senectutem, aegritudinem, vel aliam piam causam.

Quantitas autem pensionis moderata esse debet, ne beneficiarius congrua portione fraudetur, et praeterea tantum supersit, quantum aliis beneficii oneribus sufficiat.

Hinc ex decreto Concil. Trid. sess. 24. cap. 13. de Reform. pensionibus onerari nequeunt Ecclesiae Cathedrales, nisi earum reditus summam ducatorum mille, neque Ecclesiae Parochiales, nisi ipsarum reditus summam ducatorum centum superent, in qua summa fructus tantum annui et fixi computantur, non etiam distributiones quotidianae, nec reliqui fructus qui incerti sunt. Insuper pensio non in fructibus ipsis, sed in pecunia constituitur, ut evitentur discordiae, quae inter beneficiarium et pensionarium oriri possent.

Pensiones beneficia proprie sic dicta non censentur, quia propter sacrum ministerium constitui non solent, neque per eas titulus beneficii seu beneficium ipsum scinditur; tunc etenim non pensio, sed aliud beneficium diceretur. Quamvis vero pensio beneficium non sit, est tamen beneficii loco, vel saltem est pars fructuum ex bonis Ecclesiae decerpta. Quapropter ejus incapaces sunt laici, itemque irregulares, vel censura irretiti. Pensionarius autem debet tonsuram et habitum Clericalem gerere, ac officium B. M. V. quotidie recitare, illud omittens fructus non facit suos, perceptosque tenetur pro rata omissionum in usus pios erogare. Tenetur insuper oneribus beneficii una cum beneficiario pro rata subesse, nisi pensio libera, immunis et exempta constituta sit, nec dubitandum videtur teneri pensionarium Ecclesiae commodo, quo poterit modo, adlaborare, cum jus naturae dictet, et Apostolus II.ª ad Thessal. cap. 3. doceat ut « *si quis non vult operari, non manducet.* »

Pensiones autem extinguuntur morte pensionarii, nisi is privilegium Pontificis habeat, pensionem ipsam in alios transferendi, quod nonnullis personis pro certa et definita quantitate pensionis concedi solet. 2. Matrimonio vel professione religiosa. 3. Renunciatione pensionis, quae quidem vim habet citra ullam Pontificis, aut alterius Su-

perioris auctoritatem, quum tamen beneficio sine auctoritate Superioris nemo cedat: cujus discriminis ea ratio est, quod pensio in unam pensionarii utilitatem constituta est, ac proinde is libere valet juri suo renunciare; beneficium vero collatum est in bonum Ecclesiae, unde ejus dimissio potest Ecclesiae ipsi nocere; atque insuper spirituale conjugium, quo inter Ecclesiam et Beneficiarium nexum est, sine Ecclesiae seu Praelati consensu non dirimitur. Attamen pensio remitti nequit, dum ejus titulo pensionarius ad sacros Ordines promotus est, nisi beneficium sufficiens consecutus fuerit, vel aliunde habeat, unde vitam decenter tueri possit. 4. Assecutione ipsius beneficii, vel interitu rei, cui pensio imposita erat. 5. Dimissione habitus Clericalis, de qua vide Constitutionem Sixti V. Cum Sacrosanctum diei 9. Januarii 1589., et alteram ipsius Pontificis Constitutionem Pastoralis datam die 31. ejusdem mensis et anni. 6. Demum quibusdam criminibus, et aliquando ipso jure et facto, dum videlicet jus declarat pensionarium crimine perpetrato confestim pensionem amittere, aliquando autem post sententiam, dum jus ipsum statuit delinquentem sua pensione privandum. Pensio autem citra simoniam redimi non potest repraesentata pecunia, factis videlicet quibusdam anticipatis pecuniarum solutionibus ad eam summam, quae inspectis quantitate pensionis, et aetate pensionarii, aut aliis circumstantiis inter beneficiarium et pensionarium constituta sit. Inest enim hujusmodi redemptionibus quoddam commercii genus, quod labem simoniacam redolet. De pactis abolendi et cassandi pensiones per solutiones hujusmodi anticipatas, deque venditione redituum beneficiorum vel ad vitam, vel ad longum tempus prodiit duplex Constitutio Benedicti XIV. quarum altera incipit In sublimi, altera vero Universalis Ecclesia edita quarto Kalendas Septembris anni 1741. Huc spectat Decretum

S.ae Congregationis Episcopor. et Regular. editum die 17. Martii 1840. videlicet « *Cum ad SSmum Dominum N. certo relatum fuerit complures ex iis qui pensiones ex Apostolicae Sedis benignitate super Ecclesiastica beneficia sunt adepti, pacisci statis conditionibus cum eo qui sibi certam pecuniae summam numeraverit, ut deinceps vel ad tempus, vel ad vitae ipsorum exitum libere easdem praestitutis temporibus a Beneficiario percipiat, cumque pactiones hujusmodi pro contrahentium arbitratu licentius conciliatae indecorum quoddam de iis commercium videantur inducere, quod fideli populo admirationi quandoque est, viamque sternant forensibus actionibus, quae non sine Ecclesiasticae rei dedecore publice instituuntur, atque illud praeterea ut plurimum inferant damni, et brevi insumantur quae in totius vitae commodum liberalitas Pontificum impertiverat; eadem Sanctitas Sua pro ea, qua praestat, impensissima sollicitudine ad haec aliaque id genus mala ex libero earum conventionum usu gliscentia praecavendâ, de Apostolicae potestatis plenitudine districte mandavit, ne in posterum liceat memoratos contractus, quibus unica etiam, quam dicunt, commoditas pensionis percipiendae in alium transferatur, quovis cessionis, translationis, alienationis titulo de pensionibus Ecclesiasticis conficere, nisi habito prius de ea re speciali Apostolico Beneplacito. Hoc porro Decretum per Cong.em Negotiis et Consultation. EE. et RR. praepositam edi et in ejusdem notis servari, illudque executioni per eos ad quos spectat mandari jussit: contrariis quibuscumque non obstantibus.* »

CAPUT IV.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

§ CX.

DE JURE ECCLESIAE IN BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE

Rerum Ecclesiasticarum administrationem ad Ecclesiam, hoc est ad Praelatos et Rectores Ecclesiarum pertinere duobus argumentis evincitur. In primis enim bonorum administratio ad eos pertinet, qui earumdem rerum potiuntur pleno dominio, vel saltem utili. Plenum quippe dominium facultas est de re disponendi, adeoque pro lubitu administrandi: dominium autem utile jus est rei fructus, et utilitates omnes ex re ipsa percipiendi, ac proinde eamdem tenendi et curandi, quibus actibus administratio continetur. Quapropter in omni re primum et praecipuum est dominium plenum vel utile; administratio autem suapte natura consequitur, seu ut tritum est in jure axioma « *accessorium sequitur principale* ». Cum igitur in rebus Deo et Religioni dicatis dominium saltem utile ad personas ecclesiasticas pertineat, consequens est ipsarum quoque curam et administrationem ad easdem personas jure suo pertinere. Alterum argumentum ex perpetua Ecclesiae praxi desumitur; namque in veteri foedere ea bona, unde Sacerdotes et Levitae vivebant, ac Civitates et Suburbana eisdem pro ministerio

attributa sub ipsorum plena administratione et potestate manebant. Sub novo autem foedere Apostoli collectas fecerunt, aut faciendas curarunt, ipsique a fidelibus acceptas distribuebant. Demum ne procuratione rerum temporalium a ministerio distraherentur, non laicos sed septem Diaconos constituerunt, qui curae earumdem rerum, rectaeque distributioni praeessent.

Haec quasi exempla et documenta quaedam a Deo et ab Apostolis ad imitandum sibi proposita, Ecclesia religiosissime, quantum licuit, semper secuta est. Hinc Concilia et Pontifices nihil sanctius et antiquius habuerunt, quam ut ab omni ecclesiastico patrimonio manus laicorum omnino removerent. Quis Canones singulos ea de re conditos exponere et numerare poterit? Satis sit audire Patres Concilii Lateranensis I. qui tom. 6. part. 2. Conciliorum apud Harduinum column. 1895 haec habent: « *Apostolorum Canonibus statutum est, ut omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea veluti Deo contemplante, dispenset. Item in Antiocheno Concilio statutum est, ut quae sunt Ecclesiae . . . . . conserventur, quae et dispensanda sunt judicio et potestate Pontificis, cui commissus est Populus et animae . . . . Item Stephanus martyr scribit Ep.ª 2. cap. 10. laicis, quamvis religiosi sint, nullis tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, neque deinceps fieri permittimus.* »

§ CXI.

DE ADMINISTRATORIBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM EORUMQUE OFFICIIS

Sed operae pretium est aliquid proferre eorum, quae de rerum ecclesiasticarum Administratoribus, eorumque officiis a Sacris Canonibus constituta et praecepta sunt.

Prioribus saeculis res omnes Ecclesiarum totius Dioecesis ab Episcopo administrabantur, Canones sic dicti Apostolici 31. et 34; Concilium Antiochenum can. 24. et 25; et Cyprianus Ep.ª 38. Verumtamen Episcopis, ne ipsorum administratio sine testibus esset, tum etiam ut aliqua curarum parte levarentur, utendum fuit administris, praesertim Archidiacono et OEconomo, a quibus tamen eisdem Episcopis, tamquam principibus Ecclesiae Rectoribus ratio administrationis reddenda erat. Quin imo ex Can. 26. Concilii Chalcedonensis sub poenis canonicis cautum est, ut in qualibet Ecclesia Episcopali OEconomus ex Clero constitueretur, cui sub Episcopo cura temporalium demandaretur, et Can. 11. Concilii Nicaeni II. Metropolitis aut Patriarchis collata est facultas in Ecclesiis suae Provinciae OEconomos constituendi, si qui eis suberant Episcopi, ea in re negligentes reperissent.

At cum ecclesiastica bona divisa fuerint, loco unius Episcopi alii Administratores emerserunt; namque administratio beneficiorum Beneficiatis tributa est, itemque bona Ecclesiarum aut fabricae, aut aliis piis usibus destinata a Rectoribus earumdem Ecclesiarum, nisi aliter fundatoribus placuerit, administrantur; similiter Hospitalia, Confraternitates, Locaque Pia suos Administratores habent jure fundationis, qui tamen Episcopis subsunt, si ipsorum auctoritate ea loca erecta sint: laicalia vero saltem debent eisdem Episcopis rationem reddere gestae administrationis ex decreto Concil. Trid. sess. 7. cap. 15. de Reform., et sess. 22. cap. 8. et 9. eod. tit. Demum Monasteria res et bona propria administrant, cujus administrationis jure exemptionis nullam rationem Episcopis reddunt.

Jam vero ut erat propositum de officiis Administratorum dicemus, quae quidem tria sunt praecipua. Itaque in primis quicumque Ecclesiarum Piorumque Loco-

rum curam atque administrationem suscipiunt, ex decreto Concilii Viennensis relato in Cap. Quia contingit de Relig. dom. in Clement. « *instar tutorum et curatorum juramentum praestare de fideliter administrando, de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et Ordinariis seu aliis quibus loca hujusmodi subsunt vel deputandis ab eis, quotannis de administratione rationem reddere tenentur.* » Hac lege de inventario rerum omnium tum mobilium, tum immobilium diligenter conficiendo continentur etiam Capitula, Collegia, Rectores beneficiorum etiam simplicium et jurispatronatus, omnes denique Ecclesiae: qua de re confer Constit. Sixti V. incip. Provida editam anno 1586.

Alterum munus est omni cura industriaque providendi, ut beneficia et loca quaecumque ecclesiastica nullum capiant detrimentum, sed sarta tecta custodiantur, eorumque conditio, quantum licet, melior efficiatur. Quapropter ipsorum est, ut aedificia, si reparatione indigeant, opportune reparentur, praedia vero, si inculta fuerint, excolantur, alienata vindicentur, possessa augeantur, periculo obnoxia defendantur, deperdita recuperentur, debitores demum ad solutionem compellantur. Quod si ipsorum culpa aliquid Ecclesiae deperiisse comperiatur, aut deterius factum sit, uti si in fundis vites, aut quid simile fructiferum succidatur aut evellatur, damna quaecumque proprio beneficiati vel administratoris aere resarcienda sunt, quemadmodum tutoribus, publicisque procuratoribus jura diserte praescribunt.

Denique pecunia Ecclesiarum, seu Locorum Piorum et reditus omnes fideliter ab administratoribus in eos usus impendi debent, quibus ex pia fundatione vel fundatorum mente sunt specialiter deputati. Clerici etiam fructus beneficiorum quae possident, suae honestae decentique sustentationi superfluos erogare in pauperes debent, aliasque pias causas, nec possunt absque gravi

peccato in convivia, ludos, venationes, et similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tamquam pauperibus, si vere pauperes sint, et tunc ut minus egeant, non ut ditescant. An vero hujusmodi obligatio superflua in usus pios impendendi ex stricta justitia oriatur, an ex lege caritatis et misericordiae, an ex virtute Religionis, an denique ex positivo Ecclesiae praecepto, quaestio est, de qua vide Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 7. cap. 2.

Omnis vero rerum et bonorum alienatio sub gravissimis poenis interdicta est, de qua distincte agendum. Sit itaque.

§ CXII.

DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS

« *Sicut Ecclesia perpetua Religionis et fidei mater est, ita decet ut ejus patrimonium jugiter servetur illaesum* » ut optime ajunt Imperatores Leo et Antemius L.e Jubemus 14. Cod. de SS. Ecclesiis. Sane interest Ecclesiae, ut perpetuo suppetant subsidia temporalia, quae ad obeundum divinum cultum, alendos ministros, et fovendos pauperes requiruntur: interest, ne vota fidelium, patrimonium pauperum, res Dei diripiantur aut distrahantur, « *quo Deus iratus animas percutit* » Cap. 6. hoc tit. « *Nam amico quidpiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est* » Can. Gloria 12. q. 2.

Spectat vero alienandi interdictum omnes Ecclesias, Capitula, Beneficia, Mensas Episcopales, Monasteria et Loca omnia pia et religiosa quae nomine Ecclesiae intelliguntur. Nomen etiam alienationis in hac causa late accipitur, continetque non solum dominii translationem venditione, donatione, aliove titulo factam, sed etiam

permutationem, emphyteusim, locationem ultra triennium utile, oppignorationes, hypothecas, impositionem novi gravaminis, servitutis, census: denique pacta quaelibet per quae dominium Ecclesiae sive directum, sive utile, vel usufructus in alium transferatur.

Res autem Ecclesiae, quarum interdicta est alienatio, sunt res immobiles, vel res mobiles pretiosae, quae servando servari possunt, Extravag. Ambitiosae hoc tit. Immobilibus aequiparantur jura incorporalia, decimae, loca montium, census annui, nomina debitorum, actiones, aliaque ejus generis, de quibus Cap. 1. et 2. de reb. Eccl. non alien. in 6.°, et L. final. Cod. eod. titulo. Item immobilibus accensentur res solo cohaerentes: quippe mobile immobili cohaerens immobile censetur, uti arbores solo affixae, quae non sunt separatum corpus a fundo, L. 41. ff. de act. empti. Excipiuntur tamen in hac causa silvae caeduae, nemora, arundineta, aliaeque arbores, quarum fructus fere totus in earum succisione consistit, quae succisae renascuntur, et quarum succisione nulla ratione deterior fit fundus. Rerum enim istarum succisio inter praediorum fructus censetur, de quibus disponere licet: sed in locum demortuarum aliae submittendae sunt.

Mobilia pretiosa praecipue aestimantur vel ex materia, ceu aurum, margaritae; vel ex forma uti picturae, opera testilia, et alia id genus, quae ob artem vel antiquitatem ad thesaurum Ecclesiae pertinent; vel demum ex magna utilitate ob annuos fructus, uti grex ovium. Mobilia autem non pretiosa ea dicuntur, quae nec magnam utilitatem, nec singularem splendorem, aut ornamentum, aut opulentiam Ecclesiae praestant. Denique ex rebus mobilibus aliae servando servari possunt, uti bibliotheca, vasa etc.; aliae diutius asservari non possunt, sicuti oleum, frumentum, aliaque hujus generis.

Jam vero res Ecclesiae immobiles, vel mobiles pretiosas, quae servando servari possunt, sub gravissimis per Sacros Canones et Pontificias Constitutiones statutis poenis alienare vetitum est, toto titulo de rebus Eccl. non alien. Excipe tamen cum Clement. I.ª eod. tit. « *nisi necessitas, aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesiae, aut administrationis hujusmodi hoc exposcat* ». Sane prudentis administratoris est consulere bono communi cum aliquo detrimento partium, et ecclesiastici patrimonii partem aliquam detrahere, ut Ecclesiae major utilitas procuretur, vel ab ea gravius detrimentum avertatur. Sic enim res non disperditur et dissipatur, sed ita impenditur ut magis prosit.

§ CXIII.

DE LEGITIMIS CAUSIS ALIENATIONIS, ET SOLEMNITATIBUS

In primis itaque necessitas facit, ut res ecclesiasticae alienari possint, veluti si fructus non sufficiant necessariis Ecclesiae sumptibus, aut Clericorum sustentationi, aut aeris alieni solutioni. Quia vero jus necessitatis stricte sumendum est, non licet longius progredi quam necessitas poscit. Quamobrem alienatio inchoanda est a rebus mobilibus, quae ad ornatum pertinent, aut minus necessariae sunt, nec ad perpetuam alienationem procedendum, si per locationem, oppignorationem, vel alium contractum, quo proprietas et plenum rei dominium non transfertur, necessitas levari possit. Justam quoque causam alienandi ecclesiastica bona evidens Ecclesiae utilitas praestat, cum nempe ex alienatione longe melior fit Ecclesiae conditio, puta si sterile praedium pluris vendatur, ut ex ejus pretio fructuosum comparetur, si silvestria loca aut aedificia ruinosa dentur in emphyteusim excolenda vel reficien-

da, vel si longius remota praedia cum propinquis aut finitimis commutentur, quae curari facilius possint.

Porro si evidens Ecclesiae vel Loci Pii necessitas aut utilitas alienationem aliquarum rerum suadeat et postulet, nemo adhuc quocumque modo alienare poterit, nisi solemnitates per Sacros Canones praescriptas accurate custodiat. Et olim quidem Episcopis permissum erat arbitrium res Ecclesiae distrahendi: eorum enim judicio disquirendum relinquebatur, num legitimae subessent alienationis causae. Haec vero Episcoporum potestas cohibita deinde est, atque constitutum, ut si res immobilis vel mobilis pretiosa distrahenda esset, in Synodo Provinciae alienatio decerneretur. Demum quum forte Synodi evasissent rariores, ea disciplina inducta fuit, ut alienatio totius Cleri tractatu, consensu et subscriptione, atque Episcopi auctoritate celebraretur, Can. 52. et 53. caus. 12. q. 2. Cum vero hodie Collegia, seu Capitula Canonicorum vicem gerant Cleri, et in Monasteriis eamdem vicem gerat Conventus Monachorum, hinc si qua bona ecclesiastica quae ad Ecclesias Cathedrales, aut etiam ad mensam Episcopalem, vel ad Capitulum, vel ad Monasterium, aut Ecclesiam Collegialem pertineant, vendi, permutari, aut alia ratione alienari velint, requiritur ut Praelatus cum Capitulo seu Collegio rite congregato consultet, conducat alienatio nec ne ad Ecclesiae utilitatem, eoque in negotio ea sententia valet, quae Capitulo universo, vel saltem majori parti placuerit. Ubi vero agatur de bonis Ecclesiarum, quae Capitulum aut Collegium non habent, alienatio ab Ecclesiae Rectore unius Episcopi inquisitione et decreto celebratur, salvo beneplacito Apostolico de quo infra.

§ CXIV.

DE BENEPLACITO APOSTOLICO

Verum praeter causam et solemnitates jam expositas, adhuc etiam ex celebri Constitutione Pauli II. in Extravag. Ambitiosae de rebus Eccl. non alien. in quavis alienatione rerum ad Ecclesias vel Loca Pia pertinentium requiritur consensus Sedis Apostolicae, seu Beneplacitum Apostolicum, sine quo alienatio tum illicita est, tum etiam invalida, et contrahentes gravissimas poenas subeunt in eadem Constitutione inflictas. Si qui contrahant cum clausula *reservato beneplacito Apostolico*, actus ita gestus subsistere nequit, si ante Apostolici Indulti concessionem possessio rerum tradatur, aut si in contractu apponatur clausula *constituti*, quae vim habet transferendi possessionem; imo et concedentes et possessores, tamquam intrusi, excommunicationis poenam non effugiunt.

Dubitant Doctores, an iis in locis ubi praefata Constitutio Pauli II. moribus recepta non est, alienationes absque Beneplacito Apostolico initae (si tamen causa utilitatis aut necessitatis subsit, et ceterae solemnitates observentur) licitae et validae habendae sint. In quo illud etiam maximam dubitationem affert, quod Episcopi et Abbates in eorum consecratione vel benedictione juramentum praestant, nullam se alienationem rerum ecclesiasticarum aggressuros esse inconsulto Romano Pontifice. Gravissimam quaestionem pro dignitate tractare, nimis longum foret: itaque confer Benedictum XIV. de Syn. Dioeces. lib. 12. cap. 8. cujus etiam ea in re valde prudens ac tutius consilium est, ut Episcopi ad exemplum Sanctissimi Praesulis Caroli Borromei, si forte in ipsorum Dioecesibus perspexerint eam consuetudinem

alienandi adversus formam Paulinae Constitutionis invaluisse, neque ipsam consuetudinem fulcire et corroborare, neque etiam improbare et divellere moliantur, priusquam Apostolicam Sedem consuluerint.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus sine Beneplacito Apostolico alienatio bonorum ecclesiasticorum ubique licita est et valida, si in reliquis debita forma peragatur. Prima exceptio est, quando agitur de alienatione rei etiam immobilis, sed modici valoris, cujusmodi sunt praediola et vineolae, aliaeve res quae viginti quinque ducatorum, vel quadraginta circiter Romanorum scutatorum valorem non excedunt, Cap. Terrulas 53. caus. 12. quaest. 2. Rite enim recteque alienari possunt accedente Ordinarii auctoritate. Haec eadem facultas ex decreto Congregationis Concilii 17. Novembris anni 1703. relato a Cardinali Petra in Commentarium ad Constitutionem 5.am Pauli II. tit. 9. n. 70., competit etiam Abbatibus vere *nullius*, non vero aliis Superioribus Regularibus etiam majoribus ex decreto Congregationis Episcoporum et Regul. in *Tropejen. Alienationis* 11. Januarii 1692. relato a Monacelli in Form. Fori Eccl. tit. 5. form. 15. n. 28., quin in hujusmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia et decreto Ordinarii, ut firmat etiam Benedictus XIV. Instit. eccl. 19.

Secunda est, cum agitur de bonis quae in emphyteusim dari consueverunt; tunc enim si redeant ad Ecclesiam, sine novo Apostolico Indulto in emphyteusim iterum concedi possunt, dummodo tres serventur conditiones, nempe: 1. Ut consuetudo locandi seu in emphyteusim concedendi, rite comprobetur vel per duas alienationes emphyteuticas minus solemnes, quae spatio annorum quadraginta effectum sortitae sint, vel per unam solemniter factam. Haec enim sunt legalia media, quibus consuetudo alienandi comprobatur. 2. Ut dicta bona prius

quam alienatio renovetur, non sint iterum Ecclesiae unita, seu ut ajunt, incorporata, S. Congregatio Concilii in una *Salutiarum* 20. Septembris an. 1624. lib. 17. Decret. pag. 103. - 3. Est, ut non aliter in emphyteusim dentur, quam dari consueverunt, servata scilicet antiquae concessionis forma, et meliorata Ecclesiae conditione. Quapropter renovatio irrita nullaque est, si in pretio vel in modo, aut alia qualibet ratione alteratio sequatur in damnum Ecclesiae, puta si canon quam minimum imminutus fuerit, si renovatio ad quartam generationem protracta, dum priores concessiones tertiam tantum generationem complecterentur, aut etiam si tempore factae renovationis, aut novae concessionis evidens Ecclesiae utilitas legitime non fuerit probata; nam ut docet Cardinalis Petra Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 1. Constitut. 1. Leonis M. sess. 4. n. 135. « *in casu novae alienationis ejusdem rei requiritur nova utilitatis cognitio, nec sufficit illa quae in prima alienatione semel adfuit, non ex alia ratione, quia utilitas in Ecclesia semper adesse debet, quoties rem suam a se abdicat.* » De quo confer etiam auctores apud eum citatos.

Tertia exceptio est in bonis etiam immobilibus donatis, aut legatis Monasterio incapaci possidendi bona immobilia etiam in communi, sicuti Fratres Cappucini, et Minores de Observantia, tunc enim bona praefata absque solemnitate alienari, eorumque pretium in Ecclesiae necessitatem, et quotidianos usus Monasterii converti posse, docent communiter Doctores, tum quia bona illa Monasterio incapaci relicta, non sunt Ecclesiae incorporata, tum quia ipsorum alienatio necessaria est juris seu status et regulae necessitate.

Quaestio hic agitur, num Praelatus sine solemnitatibus valeat haereditatem, legatum, aut donationem Ecclesiae factam, eique non inutilem repudiare? Hac in re

negantium sententiam sequimur ob plures rationes, et 1. quidem, quia in hac causa alienatio latiori sensu accipitur, proinde ejus quoque nomine demissio venit juris, tamquam rei incorporalis, praesertim quum Ecclesia dominium rei sibi donatae absque speciali acceptione acquirat. 2. Quia repudiatio legati pupillo relicti absque Praetoris decreto non valet, « *cum res sit pupilli* » L. Magis 5. ff. de reb. eorum qui sub tut.; nec ergo repudiatio valida esse poterit intuitu Ecclesiae, quae jure minorum et pupillorum gaudet. 3. Quia hujusmodi repudiatio non mera est in acquirendo negligentia, sed vera juris jam quaesiti, et pretio aestimabilis abdicatio; cum vero jus illud non Praelato, sed Ecclesiae delatum sit, ita nec ab eo, ceu jus haud suum, poterit repudiari. Textus juris in speciem contrarii, quibus sententia adversariorum superstruitur, spectant alienationes stricte sumptas, aut versantur in materia odiosa, ubi vocabulum alienationis arctiori sensu accipiendum est: hic vero agitur de favore Ecclesiae ubi res largiori acceptione sumenda est, et in dubio is sensus recipiendus, qui magis causae piae et Ecclesiae favet, L. Sunt 43. ff. de relig. et sumpt. funer.

Porro si non ex justa causa, et posthabitis solemnitatibus jure canonico praescriptis, res Ecclesiarum quaecumque alienatae sint, alienatio prorsus invalida et nullius roboris est, ac propterea nihil juris in accipientem transit, et male alienatae sub anathematis poena restituendae sunt.

Quamvis vero Ecclesia hujusmodi contractibus non obligetur, et possit pro libitu recedere; eum tamen, qui cum ipsa contrahit, si Superior talem contractum ratum habere velit, a contractu resilire non posse tum ex utroque Jure colligitur, Instit. de auct. Tutor. et cap. 3. de his quae fiunt a Prael., tum ex eo etiam quod ut lo-

quitur Cardinalis Petra loco superius cit. n. 57. « *cum contractus quoad ipsum contrahentem sit perfectus, et non quoad Ecclesiam quae eget beneplacito (idem dicito de aliis solemnitatibus), nequit contrahens recedere, sed sola Ecclesia, quae nequit habere contra se contractum non perfectum.* »

§ CXV.

DE REBUS ECCLESIAE NON RITE ALIENATIS, EARUMQUE FRUCTIBUS RECUPERANDIS

Alienatio non rite facta duplici modo reparatur. Namque Ecclesia duplicem habet actionem, alteram personalem adversus Praelatum alienantem ejusve haeredes, ut ex bonis propriis, si qua suppetant, damnum Ecclesiae illatum praestent; alteram adversus possessorem rei male alienatae, contra quem agere potest vel actione reali, nempe rei vindicatione, vel etiam interdicto *unde vi*, quia Ecclesia censetur eo pacto fuisse a possessione rei suae dejecta atque spoliata. Utramlibet eam actionem intentare valet ipsemet male alienans Praelatus, quia dum agitur de publica utilitate et praesertim Ecclesiae, allegans propriam turpitudinem audiendus est: item ejus successor, Capitulum, imo persona quaelibet ecclesiastica, aut etiam Patronus Ecclesiae, aut Princeps Territorialis, cap. 4. et 6. de reb. Eccl. non alien. Fructus etiam rei alienatae, dum agitur de possessore malae fidei, vindicari a die celebrati contractus possunt, nec ii tantum qui adhuc existunt, sed etiam aestimatio et pretium eorum qui consumpti sunt. Ubi vero possidens rem Ecclesiae in bona fide versetur, videntur restituendi fructus quidem extantes, non vero ante litis contestationem omnino consumpti, uti tribus decisionibus firmavit S. Rota *in nullius, seu*

Asculuna Emphyteusis super fructibus coram Corio 11. Februarii, et 11. Decembris 1724. et 27. Martii 1726. « *Fructus enim*, ut habetur in praefata Decisione 11. Decembris, *non nisi in sequelam, et accessorie peti dicuntur, et proinde consumptio, et bona fides eo magis excusat a restitutione non demandanda, nisi a die motae litis, consentanee etiam ad eam aequitatem, cujus cultrix Ecclesia dicitur.* »

§ CXVI.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE

Haec de alienatione generatim dicta sint: restat ut de diversis alienationum speciebus aliqua breviter attingamus, quae a Jure Canonico speciatim constituta sunt. Ab emptione et venditione initium sumimus, quae est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda; ac propterea tribus efficitur, videlicet 1. consensu utriusque contrahentis de re cum pretio commutanda: 2. traditione, seu obligatione ipsius rei tradendae, quae in contractum cadit: 3. definitione pretii pro re solvendi; pretium enim esse non dicitur, nisi definitum vel ab ipsis contrahentibus, vel ab eo cujus arbitrio definiendum traditur.

Emptio venditio duplex est, oeconomica, et negotiatoria: illa Ecclesiis et Clericis permissa, non aeque negotiatoria, quod Ecclesia et Clerici vetantur « *quaestui se tradere* » cap. ult. de vita et honest. Cleric; et cap. 6. ne Cler. vel Mon. saecul. negot. Porro emi et vendi non possunt res sacrae, spirituales, et religiosae, quod extra commercium habeantur; nec etiam res temporales ecclesiasticae sine legitima causa, et solemnitatibus quas exposuimus. Si venditor laedatur supra dimidium justi pretii, tunc intercedente Judicis auctoritate recipiet aut

rem venditam restituto pretio emptori, aut id quod deest justo pretio, si emptor elegerit, L. 2. Cod. de rescind. vendit., quod privilegium ex quadam aequitate ad emptorem etiam laesum supra dimidium communiter DD. traduxerunt. Idem privilegium alteri contrahentium Sacri Canones indulgent, cap. 6. de Empt. et Vendit., si tamen constet, ultra dimidium justi pretii laesos fuisse. Laesis autem infra dimidium actio non tribuitur, nec ad contractus rescissionem, nec ad supplementum pretii quod deest; idque ut innumerae lites evitarentur; quod tamen in externo foro dumtaxat obtinet: siquidem in foro conscientiae emptio venditio est semper iniqua, et laedens ad restitutionem tenetur, quoties res aut pluris vendita sit, aut minoris empta, quam aut lege, aut communi hominum aestimatione putetur. Haec tamen spectant contractus inter laicos; nam in ipso foro externo conceditur Ecclesiis etiam infra dimidium laesis restitutio in integrum, tum quod Ecclesia jure minorum gaudet, tum quod emptio venditio, aliaeque alienationes rerum ecclesiasticarum non consistunt, nisi legitima causa intercedente, videlicet ipsius Ecclesiae necessitate vel evidenti utilitate.

Contractus venditionis interdum sub ea conditione celebratur, ut liceat venditori post certum tempus rem ad se revocare reddito pretio, quae venditio sub pacto retrovendendi vel redimendi appellatur. Qua super re haec monenda sunt: 1. Si in hujus contractus celebratione facultas redimendi ea conditione gravetur, ut majori pretio redimatur, contractus injustus atque usurarius praesumitur, Cap. Illo vos de pignor. 2. Si in venditione apponatur pactum de recuperanda re post certum tempus, modico constituto pretio, praesumitur pignus et non venditio, Cap. Ad nostram de Empt. et Vendit., adeoque contractus suspicione usurae non caret, quod prudenter

conjici potest, rem non emptam, sed securitatis causa traditam esse, et fructus ejusdem rei interea percipi tamquam usura ejus pecuniae, quae nomine pretii soluta est. 3. Si domus aut praedium vendatur cum facultate redimendi intra certum tempus, quo elapso venditor cogi ab emptore possit ad redimendum eodem pretio quo venierit, et interim venditor, donec redimat, eamdem rem venditam pro annuo certo canone ab emptore conducat, contractus hujusmodi venditionis simul et locationis, qui vulgo *fitto franco* vocatur, praecipue ob pactum coactivum redimendi pravus et irritus a S. Rota saepius habitus est, cui quidem judicio Rotae maxima auctoritas et pondus accessit ex sententia peculiaris Congregationis, quae hac super re mandato Summi Pontificis Pii VI. habita est die 12. Januarii 1783., quam refert Ferraris in sua Biblioth. ad verb. *Contractus emptionis et venditionis.* 4. Si Ecclesia fundum emerit cum pacto retrovendendi, et venditor suo jure uti velit; in ea retrovenditione facienda Apostolicum Beneplacitum non est necessarium, quae sententia plurimorum est, et tuta videtur, ideo quod dominium rei in Ecclesiam translatum est eo pacto et conditione, ut retrovendatur, ac proinde non est novus et liber contractus, sed implementum pacti quod ab Ecclesia omnino servandum est.

§ CXVII.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE

Emptioni et venditioni proxima est locatio et conductio, eisdemque juris regulis consistit, Princ. Instit. de locat. et conduct. Est autem contractus consensualis, quo usus rei, vel opera personae pro certa mercede conceditur; et ideo ad ejus quoque substantiam tria pertinent, con-

sensus, usus rei vel operae, et merces. Quod pertinet ad res ecclesiasticas de quibus praesertim quaerimus, Praelati et Rectores Ecclesiarum vetantur bona earumdem Ecclesiarum ultra triennium utile locare, quod diuturnior locatio alienationis speciem exhibeat. Sed quaeritur utrum in contractu locationis ad triennium ea conditio addi possit, ut triennio ad exitum vergente, nisi contrahentes mentem suam declaraverint a contractu recedendi, seu ut ajunt *disdictam* non fecerint, locatio eadem ad aliud triennium, et ita vicissim de triennio in triennium prorogata censeatur? Talis quidem contractus ab aliquibus eo nomine irritus habetur, quod hujusmodi locationes non sint distincti contractus singulis trienniis initi, sed unus idemque contractus a prima locatione causam et firmitatem ducens, adeoque contra legem, aut saltem in fraudem legis inventus. Contra vero aliquibus visum est, illud pactum non esse primae locationis prorogationem, sed tantum explicationem futurae voluntatis, ut videlicet novus contractus initus intelligatur, quoties contrahentes contrariam voluntatem non expresserint, atque adeo silentium est loco novae voluntatis seu consensus, qua in re libera semper manet utriusque contrahentis voluntas. Haec postrema sententia magis arridet, si praesertim in celebratione contractus disertis verbis cautum sit, quod tot novae, eaeque distinctae locationes habeantur, quot erunt triennia, quibus Ecclesia ab ea voluntate non recesserit.

Locationes bonorum ecclesiasticorum interdum scinduntur morte illius qui locavit. Qua in re videndum est, num bona locata ad Ecclesias, vel Loca Pia, an vero ad mensam Beneficiati vel Praelati pertineant. Quatenus bona spectent ad mensam Beneficiati, locatio ipsius morte omnino corruit « *ex ea ratione,* inquit Cardinalis De Luca in discursu 25. de locat. et conduct., *quod cum Bene-*

ficiatus in bonis hujusmodi, eorumque fructibus jus temporale habeat, donec scilicet est beneficii possessor, resoluta per mortem aut per dimissionem hujusmodi possessione, omne jus tam suum, quam habentium causam ab eo resolutum dicitur ». Si vero res integra non sit, videlicet si agri consiti, si fructus pendeant, aequitas postulat, ut annus jam coeptus a conductore compleatur. At vero si res locata ad Ecclesiam vel Locum Pium pertineat, contractus a legitimo Administratore initus non personam locatoris, sed Ecclesiam ipsam devincit, adeoque firmus est, etiamsi Administrator vel muneri cesserit, vel obierit. Illud porro monendum est, quod Rectores Beneficiorum vetantur canones a Conductore percipere, antequam dies solutionis veniat, ex decreto Concilii Trid. sess. 25. cap. 11. de Reform.; idque ad consulendum indemnitati Ecclesiae et Successorum. Quin etiam ex Constitut. Benedicti XIV. incipien. Universalis Ecclesiae cura Beneficiati nequeunt bona ecclesiastica ad vitam locare pro certa mercede quam unica vice percipiant; propterea quod ex eo contractu etsi damnum successoris amoveatur, dignitas tamen clericalis ordinis in discrimen adducitur, cum facile contingat beneficiarios hujusmodi consumpta brevi pecunia in extremam egestatem incidere.

Clerici sive in sacris Ordinibus constituti, sive beneficiati praedia rustica laicorum conducere vetantur, Cap. 1. et 6. Ne Cleric. vel Monac.; neque hujusmodi conductione participes esse possunt, nisi adeo indigeant, ut alia ratione prospicere sibi nequeant. Nam Pontifex cap. 8. de Decim. Monachos non improbavit « *qui praedia, unde decimas, et in magna parte sustentationem consueverunt habere, a plerisque laicis conduxerant* ». Hinc S.ª Cong. Concilii apud Barbosam lib. 1. Juris Eccl. univ. cap. 40. n. 127. ad 5. sic respondit. « *Clericos pauperes ad suam, suaeque familiae sustentationem posse terras Ecclesiae conducere*

absque reatu illicitae negotiationis: bona vero laicorum non posse, nisi ex mera et praecisa necessitate. » Praedia vero a laicis conducta si ad Clericos aut Ecclesias haereditate vel alio titulo deferantur, licet Clericis conductionem ipsam ad ejus exitum perducere, quod amplius res integra non est, nec aequitas patitur ut pacta fides violetur.

§ CXVIII.

DE EMPHYTEUSI

Emphyteusis imitatur locationem, sed in eo differt, quod emphyteusis non solum usum et commoda rei, verum etiam utile dominium confert, et est locatione diuturnior, quia rei dominium utile aut in perpetuum, aut saltem ad longissimum tempus transfertur. Itaque Emphyteusis definitur - contractus consensualis, quo utile dominium rei immobilis vel in perpetuum, vel ad longissimum tempus pro certo annuo canone conceditur -. Dicitur Emphyteusis a verbo *emphytevo*, idest implanto, insero, quia plerumque agri deserti et squallidi in emphyteusim conceduntur, ut excolantur, melioresque reddantur. Emphyteusis dividitur in Ecclesiasticam et laicalem, quatenus aut res Ecclesiarum, aut res laicorum Emphyteusi addicuntur. Sed praecipue Emphyteusis trifariam dividitur: 1. in *haereditariam*, qua utile dominium rei tributum est cum facultate dominium ipsum in quoscumque haeredes etiam extraneos sive viros, sive foeminas transferendi. 2. In *non haereditariam*, quae etiam dicitur ex pacto et providentia, quod ex pacto primi acquirentis, et quadam ipsius in filios et descendentes providentia comparata est, quae nimirum in filios et descendentes transit nulla ratione habita haereditatis, ut proinde filii et descenden-

tes, etiam non adita haereditate, in emphyteusim succedant. 3. In *mixtam*, quae utramque qualitatem et haeredis et descendentis postulat, adeoque ad solos descendentes simul et haeredes transmittitur.

Cum emphyteusis utile dominium transferat, et idcirco sit species alienationis, plane consequitur, beneficiatos aliosve Ecclesiarum Administratores non posse bona ecclesiastica in emphyteusim concedere, nisi servatis solemnitatibus quae in alienationibus rerum ecclesiasticarum a sacris Canonibus praescribuntur. Igitur requiritur legitima causa aut necessitatis, aut evidentis utilitatis, et Beneplacitum Apostolicum. Pontifex autem in eodem Beneplacito sive Ordinarium, sive aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam delegare solet, ut causis alienationis aequa lance perpensis, testibus et probationibus receptis alienationi consentiat, suumque decretum et auctoritatem interponat, postquam legitime compererit Emphyteusim in evidentem Ecclesiae utilitatem cessuram esse: qua in re a Delegatis hujusmodi prae oculis habenda est Constitutio Pauli II. quae incipit Cum in omnibus. Sed praeter probationem legitimam evidentis utilitatis consuevit etiam in Beneplacito Apostolico conditiones et pacta praefiniri, quibus contractus ineundus est, eaque ad formam et substantiam contractus ita pertinent, ut si ad unguem non custodiantur, Emphyteusis ob non servatam formam ejusdem Beneplaciti ipso jure non consistat. Conditiones vero et pacta praecipue spectant: Primo canonem ab Emphyteuta singulis annis solvendum ob utile dominium rei quod accipit, quum Domino concedenti dominium directum supersit. Quantitas canonis praefinitur habita ratione fructuum percipiendorum, tum expensarum in re excolenda et in melius mutanda, tum aliorum onerum quibus emphyteuta gravatur. Si vero Emphyteuta per triennium in Emphyteusi laicali,

et per biennium in Ecclesiastica Canonem non solverit, a fundo expelli poterit. Sed quia leges ecclesiasticae jugiter caritati student, idcirco Emphyteutae bonorum ecclesiasticorum permittunt « *celeri satisfactione postmodum sibi consulere* » Cap. 4. de locatione et conductione, per oblationem nempe pensionis quam distulerat. Quin imo si pactum conventum sit, ut non soluto per biennium canone Emphyteuta omni jure cadat, et proinde Domino directo liceat auctoritate propria possessionem rei arripere, et Emphyteutam expellere, id tamen, ut plerique volunt, efficere nequit sine judicis ministerio, siquidem ut habet S. Rota in decisione 105. coram Gregorio XV. « *prius debet citata parte liquidari, quod evenerit casus, et nunquam possessor sive habeat colorem possidendi, sive non, non est a sua possessione amovendus sine causae cognitione.* » Et in decisione 29. part. 10. inter recentiores illud traditur, quod « *quaelibet causa etiam fatua et injusta excusat a devolutione et poena* ». Canon autem solvendus est, etiamsi ob aliquam tempestatem, sterilitatem, incursionem hostilem modicos fructus perceperit, § *Adeo* Institut. de locat., nisi integer fundus perierit; tum siquidem re deficiente, onus etiam solvendi canonis cum ea corruit. Secundo loco spectant tempus quo Emphyteusis duratura est, videlicet an in perpetuum, an ad unam vel plures generationes, an ad vitam solius acquirentis. In generationibus computandis includitur persona primi acquirentis, nisi aliter ex verbis concessionis perspicue colligatur; qua in re haec regula a Tribunalibus ecclesiasticis recepta est, ut nimirum, si Emphyteusis Titio ad tertiam generationem concedatur, persona ipsius Titii pro una generatione recenseatur. Si vero Titio et ejus descendentibus usque ad tertiam generationem concessa sit, persona Titii non numeretur; si demum concessa sit Titio pro se, Filiis et Nepotibus ad ejus tertiam genera-

tionem completam, persona Titii, tamquam prima generatio, ea concessione continetur. In Emphyteusi ecclesiastica non succedunt filii naturales et illegitimi, etiamsi rescripto Principis saecularis legitimati. At succedunt filii legitimati per subsequens matrimonium, quod legitime natis in omnibus aequiparantur; namque « *tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur* »: cap. 6. qui filii sint legitimi. Si emphyteuta religionem solemniter profiteatur, Monasterium possessionis bonorum incapax in jus professi non ingreditur, et emphyteusis ad reliquos vocatos, si qui supersint, secundum ordinem investiturae, seu primae concessionis transit, perinde ac si professus extremum diem clausisset, quandoquidem solemnis hujusmodi professio morti naturali aequiparatur. Verumtamen si Monasterium possessionis bonorum stabilium capax sit, Emphyteusis haereditaria ad ipsum transit, nisi in prima concessione pactum sit, ne bona emphyteutica ad Ecclesias, aut Loca Pia transmittantur; quod quidem pactum valet, nec ecclesiasticae immunitati aversatur, de quo vide Fagnanum in cap. 4. de locat. et cond. n. 28. et seqq. Quoniam vero Ecclesiae et Loca Pia nunquam moriuntur, et raro bona propria in laicos transferunt, ideoque conditio domini directi deterior efficitur amissa propemodum spe tum consolidandi dominii utilis cum directo ob extinctas generationes Emphyteutae nullis haeredibus relictis, tum etiam percipiendi laudemii quod domino directo debetur, quoties Emphyteusis haereditate, donatione, aliave ratione in extraneos transfertur, sic coeptum est ea compensatione uti ut Ecclesia singulis quindenniis laudemium penderet, quod tradit S. Rota in decis. 474. part. 9. inter recentiores: « *ad reddendam*, inquit, *Ecclesiam capacem retentionis dictorum bonorum Emphyteuticorum absque eo quod dominus directus amittat*

spem laudemiorum, inolevit praxis quod sub verisimili supposito, quod dicta bona Emphyteutica existentia penes personas privatas possent alienari de quindecim in quindecim annos, introduxit solutionem dicti quindennii, hoc est illiusmet Laudemii, quod succedentibus dictis alienationibus solvi debuisset. » Laudemium autem appellatur a laudando seu approbando, ideo quod in transferenda Emphyteusi necesse est ut dominus directus suo consensu et auctoritate translationem approbet et veluti laudet, ac novo Emphyteutae investituram tribuat; estque laudemium quinquagesima pars pretii seu aestimationis rei dum in alium transfertur L. 3. Cod. de Jure Emphyteutico. Sed interdum consuetudine, aut statuto, aut pactis laudemium imminuitur vel augetur. Haec vero spectant Emphyteusim haereditariam, namque in Emphyteusi ex pacto et providentia, aut mixta quae trasmitti in extraneos nequit, cum ad eos jure pertineat qui ex familia vocata sunt, Emphyteutae religionem ingredienti et solemnia vota nuncupanti, succedit quidem Monasterium quoad religiosus vitam vixerit, Auth. Ingressi Cod. de sacr. Eccles.: ipso autem vita functo emphyteusis ad reliquos vocatos redit. Tertio denique loco pacta et conditiones spectant melioramenta. Inspecto jure communi melioramenta utilia ad Emphyteutam pertinent; quae communis sententia est, et nititur L. Eum ad quem Cod. de Usufructu. Contractus enim emphyteuticus ita natura sua comparatus est, ut res ad eam excolendam et meliorem reddendam concedatur; dominus autem directus, cui res propria melior et utilior redditur, sumptus et industriam Emphyteutae compensare debet, quod ex regula juris « *jure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* » Melioramenta vero aestimanda sunt quanti valent, quo tempore res emphyteutica redditur, ne dominus directus plus tribuat quam accipiat. At si dominus

directus nolit emere, liberum est Emphyteutae aliis vendere, si tamen antea domino directo denunciaverit, eique optionem obtulerit, et tempus duorum mensium ad declarandam voluntatem suam permiserit. Idque etiam obtinet, dum Emphyteusis ejus generis est, ut integrum sit emphyteutae eamdem alienare, siquidem venditio domino directo denuncianda, eique duo menses concedendi ad deliberandum, an ipse eodem pretio quo alius empturus est, malit emere, an laudemium accipere: et si intra duos menses, inscio vel invito domino directo, novus Emphyteuta in possessionem rei ingrediatur, emphyteusis ipso jure fit caduca, nisi in prima investitura seu concessione aliter cautum sit. Sed consulto dictum est, venditionem tum rei, tum melioramentorum directo domino significandam; nam si emphyteuta velit rem ipsam vel melioramenta non vendere, sed legare, donare, in dotem non aestimatam dare, obligare et hypothecae subjicere, donec suum jus duret, non videtur dominus directus monendus esse, num optionem velit. Quid enim optio exhiberetur ubi locum habere nequit? Interdum tamen, et praesertim in Emphyteusi ecclesiastica pactum initur, ut melioramenta cedant solo, nec proinde Emphyteuta possit ob eam causam quidquam repetere. At vero cum in reliquis contractibus, tum maxime in Emphyteusi pacta et conventa servanda sunt. « *In emphyteutico contractu sancimus, siquidem aliquae pactiones in emphyteuticis instrumentis sunt conscriptae, easdem et in omnibus aliis observari.* » L. 2. Cod. de Jure Emphyteut.

§ CXIX.

DE PECULIO CLERICORUM EJUSQUE ADMINISTRATIONE

A rebus Ecclesiae ad Clericorum bona transimus. Peculium ex jure civili est quasi pusilla pecunia, seu patrimonium pusillum, ut ait Ulpianus L. 5. ff. de peculio; sed jure canonico intelligimus omnia bona, et jura temporalia quae ad Clericos pertinent. Dividuntur autem 1. in *patrimonialia*, quae ex peculio castrensi, quasi castrensi, adventitio, et profectitio componuntur: 2. in *quasi patrimonialia*, hoc est ratione ecclesiastici ministerii comparata, uti sunt stipendia Missarum, funerum, concionum, reditus stolae, et hujusmodi: 3. in *beneficialia*, quae ex beneficiis ecclesiasticis percipiuntur, quorum tria sunt genera necessaria, parsimonialia, et superflua. Necessaria dicuntur, quibus Clerico ad honestam vitae sustentationem pro sua conditione et dignitate opus est. Parsimonialia, quae parcius vivendo paullatim conquiruntur. Demum superflua, quae ex necessariis et parsimonialibus supersunt.

Jam vero quod ad peculium patrimoniale attinet, Clerici non secus ac laici eodem jure censentur, quandoquidem nec ratione status Clericalis, nec ulla lege acquirendis bonis inepti fiunt. Itaque peculii castrensis et quasi castrensis plenam proprietatem habent, atque jus et arbitrium inter vivos et mortis causa disponendi: in peculio adventitio solam proprietatem sibi comparant, usufructus et administratio patri defertur; profectitium vero pleno jure est patris, tamquam ejus unde in filium profectum est. Clerici enim Episcopo inferiores sub patria potestate manent, nisi tractetur de jure aut re spirituali, quod perspicue significavit Bonifacius VIII. cap. fin.

de judic. in 6.° « *In hujusmodi spiritualibus litibus sive causis, quamvis in potestate patris existas, nec alias absque ipsius assensu in judicio regulariter esse possis, ejus cum de his se intromittere non habeat, nequaquam requiri debebit assensus.* »

Verumtamen Clericis filiisfamilias privilegium tributum est de bonis adventitiis libere disponendi per Auth. Presbyteros Cod. de Episc. et Cler.; et idcirco ea bona, quae in ceteris filiisfamilias adventitia sunt, in Clericis quasi castrensia existimantur, usufructu patri adempto. Quod quidem privilegium Clericis prodest, etiamsi habitu et tonsura clericali non incesserint, quod Congregatio Concilii respondit die 20. Februarii 1616. apud Pignattellum Consult. 7. tom. 3. Postquam vero Clericus uxorem duxit, etsi unam eamque virginem duxerit, et conditiones Concilii Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. praestiterit, fori quidem et canonis privilegium retinet, sed reliqua Clericorum privilegia sine ulla monitione, seu ipso jure amittit. Confer Fagnanum ad Cap. Odoardus de solut.; et cap. 7. de Cleric. conjug. In bonis item adventitiis ante Clericatum comparatis usufructus patri non adimitur, etiamsi filius ad Episcopatum assumatur, Molina de Justit. et Jure tom. 1. disp. 138. et Layman Theolog. Mor. lib. 3. tract. 4. cap. 8. At si Clericus mercaturam fecerit, bona negotiatione quaesita jure spolii Apostolicae Camerae cedunt, adeoque Clericus, etiamsi a spolio exemptus ad effectum testandi, aut in haeredes transmittendi, neque per testamentum, neque per donationem causa mortis de bonis ita quaesitis statuere potest; secus etenim testamentum, aut donatio irrita sit, et si intestatus moriatur, non est locus legitimae successioni. Qua de re confer Benedictum XIV. in Constitut. Apostolicae servitutis 25. Febr. 1741., et Clementem XIII. Const.e Cum primum 17. Septemb. 1759. At Clericus negotiator, si de bonis

negotiatione partis inter vivos disposuerit, rata est dispositio in foro externo, uti ex Bulla Pii IV. colligit Filiuccius tract. 49., et Azorius quaest. 3.

Quod vero spectat ad bona quasi patrimonialia, Clericis licere de iisdem pro libito disponere, sententia plurimorum est, quod tamquam merces et stipendium conferantur, nec fideles eadem largiuntur ea lege tacita, vel expressa, ut si quid honestae tuitioni supersit, in usus pios distribuatur. Hanc opinionem sequitur Bened. XIV. de Beatif. servor. Dei lib. 3. cap. 34. n. 23. « *Reditus in duplici sunt differentia, alii qui proveniunt ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, alii qui proveniunt ex bonis ecclesiasticis. Et bonorum quidem primi et secundi generis Ecclesiastici dominium habent, et possunt eorum reditus sibi retinere, vel etiam aliis pro libitu elargiri.* »

At vero de bonis beneficialibus Canones aliquando Clericis tribuerunt arbitrium inter vivos disponendi, sed testari omnino vetuerunt, ut praecluderetur occasio divitias coacervandi, dum intelligerent, nullam sibi facultatem superesse de bonis eisdem mortis causa disponendi, atque adeo dum adhuc viverent, in pios usus libentius erogarent. Deinde vero consuetudine factum est, ut Clerici de bonis per Ecclesiam acquisitis testarentur, quam quidem consuetudinem Alexander III. Cap. Relatum 2. de Testam. non improbavit, ea tamen lege « *ut de his bonis mobilibus pauperibus et religiosis locis, et illis qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii aliqua juxta servitii meritum conferantur.* » Ac demum sive privilegio Summorum Pontificum, sive consuetudine, quae saeculo praesertim decimo quinto et in Gallia, et in Hispania, et in aliis Regionibus invaluit, Clerici praesertim Episcopo inferiores ecclesiasticos reditus consanguineis, aliisque personis, aut causis profanis testamento relinquere, aut etiam donationibus, con-

tractibus, aliisque modis arbitratu suo distribuere coeperunt. Interim testamenta hujusmodi, et contractus in foro externo valent, idque Ecclesia patitur ad vitandas lites, quae passim excitarentur ob difficultatem tum ecclesiastica bona a patrimonialibus discernendi, tum etiam dignoscendi an de bonis ecclesiasticis ex juxta causa dispositum sit: interdum enim accidit, ut quae videntur in ditandos consanguineos, et in usus profanos diffusa esse, ea tributa sint in compensationem aut indebitam pecuniam persolvendam: aes enim alienum etiam ex delicto aut contractu illicito conflatum luendum est ex ipsis reditibus ecclesiasticis ne Ecclesia diffametur, quod colligitur ex cap. 2. de Fidejuss. Quapropter Pontifex dum potestatem facit, testamentum ad causas quoque profanas condendi, eo fortasse spectat ut hujusmodi testamenta non infirmentur eo quaesito colore, quod ad causam religionis et pietatis conditum non sit. Praeterea Pontifex in privilegio testandi certam pecuniae copiam designat, quam Clericus testamento legare possit, reliquis ipsius bonis ad Ecclesiam redeuntibus unde profecta sunt. At vero ubi Clerici de reditibus Ecclesiasticis liberum habent arbitrium disponendi sive consuetudine, sive privilegio, non idcirco putandum est, quod in externo foro ratum habetur, semper licitum esse id facere. Profecto Ecclesia nulla consuetudinis aut privilegii ratione habita, non destitit Clericos monere, res Ecclesiae in pios usus conferendas, et quamquam Doctores existiment, bona quasi patrimonialia et parsimonialia in liberam Clericorum potestatem cedere, vix autem unus est qui dubitet, quin Clerici bonis ad sustentationem necessariis libere potiantur, quod vel ex eo compertum est, quod etiam divitiis affluentibus Ecclesiastica beneficia conferantur; certum tamen exploratumque apud omnes est, reditus beneficiorum superfluos in pios usus

erogandos esse, sive haec obligatio oriatur ex justitia, ita ut Clerici male profundent, et scienter accipientes ad restitutionem obstringantur, sive ex solo praecepto Ecclesiae aut lege charitatis et misericordiae, adeo ut Clerici dissipantes gravi culpa sese inquinent, sed restitutionis onere non ligentur, de quibus disputandi provinciam libenter Theologis relinquimus, eisdemque libenti animo dirimendam relinquimus quaestionem alteram, utrum scilicet Indulta Apostolica de reditibus Ecclesiae prout libuerit distribuendis, in foro dumtaxat externo valeant, an etiam iisdem utentem in foro quoque interno securum reddant. Hieronymus Plati librum conscripsit de Cardinal. Dignit. et Offic. quinquies typis recusum, quem Alexander Cardinalis Spada Sacri Collegii Camerarius Romae anno 1836. rursus edidit. Itaque in eo libro quaestio instituitur de Indulto Apostolico Cardinalibus tributo testandi de reditibus ecclesiasticis, ubi pagina 419. haec leguntur. « *S. Romanae Ecclesiae Cardinales et passim etiam nonnulli Beneficiarii utique amplissimam hanc habent facultatem testandi de bonis provenientibus ex reditibus Ecclesiasticis, eoque citra dubium quoad forum fori nemo est qui in terris ipsos condemnet; quo vero ad forum conscientiae, et quo ad Ecclesiam triumphantem, vellem ut reflecterent ad ea quae supra notantur. Papa enim dispensat indulgetque, sed num abutens hujusmodi indulgentia et dispensatione tutus sit quoad forum conscientiae, et quoad Ecclesiam triumphantem, quisque consulat quae ibi asseruntur, aliosque Canonistas et Theologos non praetermittat.* »

His itaque in medio relictis, quae a Sacris Canonibus, a Constitutionibus seu Indultis Summorum Pontificum, et a consuetudine hac in re inducta sunt, ea summatim colligemus. 1. Clericis liberum arbitrium est sive inter vivos, sive mortis causa de bonis patrimonialibus di-

sponendi, Cap. Quia nos de Testam. 2. De bonis quasi patrimonialibus idem arbitrium Clericis permissum est; et si intestati decesserint, in utroque genere ejusmodi bonorum, videlicet patrimonialium, et quasi patrimonialium haeredes legitimi succedunt. 3. De bonis beneficialibus, hoc est de pecuniis, aliisque rebus tum mobilibus, tum immobilibus, quas Clerici ex reditibus Ecclesiarum et Beneficiorum sibi compararunt, tum inter vivos, tum mortis causa disponere non vetantur, si tamen dispositio ad pias causas facta sit, Cap. Relatum 2. de Testam. 4. De bonis iisdem beneficialibus, si nihil Clerici constituerint, aut si ad causas profanas testati fuerint, hujusmodi testamentum inspecto jure communi irritum est, et Ecclesia succedit exclusis etiam legitimis haeredibus, cap. 1. et fin. de Pecul. Cleric., eaque bona pro necessitatibus Ecclesiae unde profecta sunt, aliisque piis usibus asservantur, et si Clericus plures Ecclesias aut beneficia obtinuerit, divisio facienda est inter easdem Ecclesias, habita ratione fructuum qui a singulis Ecclesiis percepti sunt. Similiter divisio inter Ecclesiam et legitimum haeredem instituenda est, si constet Clericum et patrimonialia et beneficialia bona reliquisse, sed ita permixta inter se, ut discerni non possint. At vero Paulus III. aliique Pontifices subsequentes, adempto peculiaribus Ecclesiis jure successionis, bona omnia beneficialia a Clericis relicta Camerae Apostolicae applicarunt, ut eisdem bonis necessitatibus Apostolicae Sedis, totiusque orbis Catholici prospiceretur, quod *jus spolii* appellatur. 5. Bona Clericorum cujusque generis, etiam beneficialia, ad causas quoque profanas tum per actus inter vivos, tum mortis causa valide deferuntur, et si Clerici nullo condito testamento decedant, non Ecclesiae, non Camerae Apostolicae, sed legitimis haeredibus non secus ac patrimonialia cedunt in quinque casibus. I. Ubi jus spolii receptum

non est, et antiquissima consuetudine invaluit, ut in eisdem bonis etiam beneficialibus quaelibet persona, aut causa etiam profana haeres valide instituatur, et sine testamento legitimi haeredes succedant. II. Ubi de spoliis Clericorum cum Camera Apostolica transactum est per annuam pecuniae responsionem, quae quidem compositio, atque transactio ab aliquibus Dioecesibus atque Provinciis pro singulis Clericis beneficiatis iniri solet. III. Ubi Clericus privilegium Apostolicum consecutus est, ut de suis bonis etiam beneficialibus favore consanguineorum, aliarumve personarum, et ad causas quascumque etiam profanas testamentum condere possit, eique nullo scripto testamento decedenti non Ecclesia, nec Camera Apostolica, sed legitimi haeredes succedant. IV. Ubi Clericus fuerit romanus originarius, sive curialis, sive incola urbis, et Romae, aut ejus in districtu intra decem millia passuum decesserit, ex Constitutione Pauli V. In eminenti. V. Denique ubi Clericus pensionem aut beneficium, sive unum, sive plura obtinuerit, quorum omnium annui fructus ducata aurea triginta non superent, ex Constitutione S. Pii V. Romani Pontificis.

§ CXX.

DE TESTAMENTIS

Testamentum est - voluntatis nostrae justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit - L. 1. ff. qui testam. fac. poss. Dicitur autem *sententia justa*, quia nimirum testamentum nullum est, si testator legitima facultate careat, aut legitimas solemnitates non adhibeat, quod infra breviter explicabimus. Aliqui putant per voluntatem justam intelligi quoque voluntatem perfectam, quae scilicet haeredis institutionem contineat, sine qua

testamentum non subsistit; secus enim definitio citatae legis manca foret, proinde haec verba supplenda essent « *cum directa haeredis institutione* ». Additur *voluntatis nostrae,* quod extrema testantis voluntas in alterius voluntatem conferri nequeat, L. Illa 32. ff. de Haered. instit., siquidem testamentorum jura per se firma esse oportet, ead. L. 32., hoc est testamentorum dispositiones robur et firmitatem a se ipsis, et non ab alio accipere debent: adeoque testamentum non valet, si quis hoc modo testetur - instituo quos Titius voluerit. - At Jure Canonico res aliter esse videtur, dum Innocentius III. cap 13. de Testam. illud rescripsit » *quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* » Interpretes autem ingenium mire torquent, ut Juris Civilis sententiam cum sententia Canonum conjungant: qua de re legendus Gonzalez in citat. caput, qui multorum opiniones uberrime exponit. Illud certum est, quod saltem receptis moribus testamenta sine haeredis institutione aut certa aut expressa, indubitato aliquo signo in foro quoque ecclesiastico irrita et nulla sunt. Posteriora denique definitionis verba « *de eo quod quis post suam mortem fieri velit* » illud in primis significant, quod testatoris morte testamenta confirmantur, ambulatoria est enim testatoris voluntas usque ad supremum vitae exitum, ut dicitur L. 4. de adimend. leg., adeoque testator testamentum mutare, penitus rescindere, et intestatus decedere potest, si maluerit, quod nullum jus in re, vel ad rem transferatur in haeredem vivente testatore. Hinc Puffendorfius de Jure nat. et gent. lib. 4. cap. 8. testamentum describit his verbis: « *declaratio voluntatis nostrae circa successores in bona nostra post mortem nostram; quae tamen ante mortem nostram pro lubitu nostro fit mutabilis et revocabilis, et ex qua aliis demum ab excessu nostro jus nascitur. At vero postrema voluntas*

an naturali, an lege positiva vim transferendi dominii accipiat, lis adhuc sub judice est. »

Quibus positis de utriusque juris differentia in testamentis et ultimis voluntatibus, et potissimum de testamentis Clericorum, et ad pias causas disseremus, quod ea sunt, quae ad canonicam disciplinam omnino pertinent.

§ CXXI.

DE IIS QUI TESTAMENTUM FACERE POSSINT

Jure civili testamenti factionem habent quicumque testari non vetantur. Vetantur autem 1. ob defectum integri status filiifamilias, nisi de bonis castrensibus et quasi castrensibus, nam in reliquis bonis, etiam patre consentiente, testamentum valide non condunt et ita quidem ut etiamsi pater obierit, testamentum antea conditum non confirmetur; item servi proprie dicti, obsides etiam, et apud hostes captivi, quorum testamenta in servitute condita rata non sunt, etiamsi redierint; quae tamen in civitate fecerant, consistunt, sive apud hostes decesserint, sive redierint. 2. Ob defectum animi vetantur furiosi, prodigi quibus bonorum administratio interdicta est, omnesque rationis usu carentes: item impuberes, nempe masculi ante 14., et foeminae ante 12. annum expletum, qui quidem annus completus dicitur ab iis, qui postremum diem ejusdem anni attigerint. Minores autem testamentum condere possunt, nullo curatoris adhibito consensu, quemadmodum impuberes valide non testantur, etiamsi tutor consenserit, propterea quod testamentum ab alterius arbitrio non pendet. 3. Ob defectum corporis vetantur muti et surdi simul; nam alterutro vitio laborantes testari permittuntur, si aut scriptura,

aut verbis voluntatem exprimere possint; caeci vero per nuncupationem testari queunt, dummodo solemnitates servent Legis Hac consultissisma Cod. Qui testament. facere poss. 4. Denique ob defectum morum, aut famae testari vetantur lesae majestatis rei, quorum bona Fisco addicta sunt, L. Quisquis Cod. ad L. Juliam Majest.; et Auth. Bona Cod. De bonis proscript.; ob carmen famosum damnati, L. 18. ff. Qui testam. fac. poss.; item capitali poena vel deportatione damnati, quorum bona in ascendentes et descendentes, et ex latere usque ad tertium gradum transferuntur, cit. Auth. Bona de bonis proscriptor., qua tamen in re recepti mores servandi sunt; et demum apostatae et haeretici, L. 3. Cod. de Apostat.

At Jure Canonico testari quoque vetantur usurarii manifesti, nisi jam usuras restituerint, vel restituendi idoneam cautionem praestiterint, cap. finali de Usuris in 6.°: Cardinalem hostiliter insequentes, percutientes aut capientes, eorumque socii, Cap. Felicis de poenis in 6.°; et denique Clerici de reditibus ecclesiasticis, de quibus jam dictum est, et Religiosi post vota solemnia. Aliqui Doctores putant, excommunicatos etiam, saltem manifestos et vitandos, haud posse testamentum condere, sed contra plerique sentiunt ob eam causam quod lex nulla scripta sit, qua excommunicati ea facultate interdicantur. Confer Piringh lib. 3. Decret. tit. 24. n. 15. Praeterea jus canonicum filiisfamilias permittit ut possint de peculio etiam adventitio et profectitio saltem ad pias causas et patre permittente testari, cap. 4. de Sepultur. in 6.°

Quod vero attinet ad formam testamenti, illud ex jure civili certo modo ordinandum est ut valeat. Praecipue in omni testamento opus est ut aliquis haeres instituatur, idque ad naturam testamenti quodammodo pertinet, ut nequeat sine haeredis institutione consistere; testamentum enim proprie fit ut aliquis in jus defuncti

succedat. Sunt praeterea solemnitates aliae quas externas vocant, idcirco quia ad substantiam testamenti non pertinent, sed a legibus constitutae sunt, ut fraudes removerentur, ac proinde in aliquibus testamentis aut plane omnes, aut multae admodum remittuntur, veluti in testamento inter liberos, militum, rusticorum, tempore pestis, apud acta Principis insinuato. Illae vero solemnitates vel ipsum testandi actum, vel numerum, et qualitatem testium spectant.

Primo itaque testari oportet uno actu eodemque contextu, et si testamentum solemne scriptis consignetur, testatorem oportet vel ipsas tabulas scribere, vel eisdem subscribere, aut si literas nesciat, octavum testem adhibere, qui testatoris loco subscribat. At si testamentum sine scriptis, sive nuncupativum fuerit, satis est testatorem palam et coram testibus voluntatem suam declarare: attamen vitandi incommodi causa, quod ex morte testium accidere posset, consuevere testamenta haec a Notariis conscribi, ut eorum fides suppleat fidem testium qui obierint. In utroque autem septem testes requiruntur, illique idonei, videlicet masculi, puberes, liberi, sani mente, oculis et auditu, non prodigi, nec jure improbi et intestabiles, neque haeredes scripti, neque pater in testamento filii, nec filius in testamento patris aut fratris quoad in ejusdem patris potestate maneat, et testes specialiter rogati ut intersint, et probe intelligant, cui negotio adhibeantur, quique praeterea ubi testamentum in scriptis condatur, et subscribant oportet, et tabulas sive suo, sive alieno annulo obsignent.

Sed Jure Canonico « *testamenta quae Parochiani coram Presbytero suo, et tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere* » uti rescripsit Alexander III. Cap. Cum esses de Testam. Hac super Decretali tria potissimum quaeri possunt. Illud

primum est, quis nomine sui Presbyteri intelligendus sit, an Parochus proprius, an etiam substitutus Parochi, sive Capellanus, an etiam Confessarius. Jam vero Doctores omnes consentiunt, nomine Presbyteri sui non quemlibet Presbyterum, licet curam animarum habentem, sed proprium et ordinarium testatoris Parochum intelligendum esse, quod ipse suas oves agnoscat, et praecipuam curam ipsarum habeat: quam ob causam testamentum etiam valet conditum coram Confessario ordinario, et duobus testibus, idque ex communi Doctorum sententia, quia plurimi facienda est fiducia, quam statuit quisque in Confessario, ut reipsa Presbyter suus dici possit, quod Cardinalis De Luca discur. 25. de Testamen. animadvertit, et Romana Rota declaravit. Verumtamen testamentum, quod coram Capellano Parochi cui sola administratio Sacramentorum delegatur, itemque coram Confessario extraordinario confectum sit, non satis tutum ac firmum habetur, ideoque Abbas in solemni Repetitione Cap. Cum esses eam cautionem proposuit, ut si Parochus vel Confessarius ordinarius absit, Capellanus vel Confessarius extraordinarius ad testamentum excipiendum acciti non duos, sed tres adhibeant testes, quorum tertius una cum iisdem Capellano aut Confessario absentiam Parochi vel proprii Confessarii suppleat; quam quidem cautionem Doctores omnes probarunt « *quia duo testes,* ut ait Piringh lib. 3. Decret. tit. 23. § 2., *aequivalent Parocho, et vicem supplent unius, quantumvis maximae auctoritatis* » ex Cap. Cum a nobis 28., et Cap. Licet 47. de Testibus.

Quod autem secundo loco de testibus quaerebatur, quinam scilicet esse debeant, cum Caput ipsum Cum esses idoneos diserte postulet, perspicuum omnino est, illis dotibus praeditos esse oportere, quae ad obeundum testium munus in reliquis testamentis requiruntur. Rogandi quoque sunt, non modo ut diligentius attendant animo

ad id quod agitur, verum etiam ut plane idonei censeantur ; namque ut notat Rota *in Perusina Bonorum* die 6. Februarii 1583. « *Decretalis Cum esses requirit idoneos testes, et cum aliter non exprimat debet intelligi de illa idoneitate a lege civili considerata, quo fit ut testes rogati soli idonei existimentur; siquidem illis rogatis magis creditur, cum fides eorum censeatur electa et a testatore approbata.* »

Postrema denique ejus capitis verba « *in extrema fecerint voluntate* » non sane demonstrant, ea testamenta tum demum valida fore, si a testatoribus morbo gravi et mortifero affectis condita fuerint: siquidem ea verba « *non fuerunt apposita ad coarctandum tempus testamenti, et quovis tempore quis testamentum fecerit, tempore mortis fecisse dicetur, ex quo moriens in ea voluntate perseverat* » ut ait Fagnanus in idem Cap. Cum esses n. 69. et 70. Nec Pontificis decisio aegritudine testatoris tamquam conditione nititur, quod Cardinalis De Luca perpendit. Itaque nihil refert, utrum testamentum illud integra valetudine, an infirma et aegra, utrum in urbe frequentissima, an ruri conditum sit. Verumtamen hujusmodi testamentum judicialiter revelandum est, ut ajunt, hoc est Parochus et testes a Judice exquirendi sunt de omnibus illis quae testamento continentur « *quia scriptura per Parochum confecta est privata, et eget publicatione, mediante ipsius Parochi et testium examine, sive officio judicis, sive ad instantiam haeredis scripti, sive legatariorum, sive aliorum interesse habentium* » uti Monacellus tradit in Formul. legali pract. tom. 1. tit. 10. form. 19. Si vero testamentum a testatore subscriptum sit, tum illud satis erit, quod Parochus et testes manum suam agnoscant, atque testentur illud ipsum testamentum esse, quod coram ipsis testator signavit « *qua ratione*, ut docet S. Rota *in Narniens. Legati* diei 17. Martii 1738. coram Mellino, *rece-*

ptum est ut testamentum in schedula clausa et obsignata confectum, et Parocho coram duobus testibus traditum, integris viribus permaneat, non interveniente solemnitate revelationis, dummodo comitem habeat depositionem testium affirmantium, praesentes fuisse traditioni schedulae, audivisse testatorem declarantem in ea contineri suam ultimam voluntatem, deque ejusdem schedulae identitate deponentium. »

Duo monenda supersunt: Primum est, Decretalem Cum esses intra Ecclesiasticae ditionis limites dumtaxat vigere, quod civiles leges aliarum Regionum solemnitates alias requirentes, cum in re profana et indifferenti versentur, a jure canonico nec abrogatae, nec correctae putentur; quin etiam in ipsa ecclesiastica ditione testamenta ad formam Cap. Cum esses rata et firma non habentur, ubi contrarium statutum Apostolica auctoritate et in forma specifica confirmatum obstiterit, quod Benedictus XIII. in Concilio Romano declaravit.

Secundum est, in ipsa ditione Ecclesiastica ex Motu proprio diei 6. Julii 1816. testamenta ad formam Capitis Cum esses tum demum valida haberi, si in valetudinariis condita fuerint, aut testator morbo extinctus sit ruri aut in pago, qui a stabili sede Notarii publici plus tria passuum millia distet.

§ CXXII.

DE TESTAMENTO AD PIAS CAUSAS

Pervulgatum est alterum Cap. Relatum 11. de Testam. quo testamenta ad pias causas coram duobus testibus confecta omnino valent. Hujusmodi Caput omnes orbis catholici provincias complectitur, nec de ipsius auctoritate ex commemorato Motu proprio quidquam derogatum est. Illud itaque prae Capite Cum esses praecipuum habet,

quod praeter duos testes nec Parochi, nec alterius praesentiam postulet. Testamenta ad pias causas conscribere quisque potest, nisi defectu animi ad statuendum de rebus suis ineptus sit, veluti pupilli, amentes, prodigi et hujusmodi. Ex quo consequitur, ut filiifamilias, quibus nullus naturae defectus, sed tantum lex positiva impedimento est quominus testari possint, valide testamentum condunt ad causas pias, si, ut id faciant, sententia patris accesserit. Qua de re Julius Clarus lib. 3. quaest. 5. illud tradidit « *quod si filiusfamilias in hujusmodi testamento condito ad causas pias faciat aliqua legata aliis personis, talia legata nihil valent: non tamen accrescunt ipsi causae piae, sed vadunt ad venientes ab intestato* »: idque ob eam causam quod filiisfamilias jura non permittunt nisi ad pias causas testari. Testamenta vero ad pias causas condita censentur, cum haereditas aut Ecclesiae, aut Loco Pio, aut Sodalitio, aut certae personae relicta est, ut cultus divinus, vel bonum animarum promoveatur, vel pauperum calamitas sublevetur. Haec igitur testamenta firma sunt, modo voluntas testatoris ex duobus vel tribus testibus comperta sit; atque etiam foeminae testes esse possunt, quin imo Cardinalis De Luca discurs. 14. de Testam. docet, solam schedulam testatoris manuscriptam, vel subscriptam satis esse absque necessitate testium, quod Cap. Relatum testes requiruntur demonstrative, non autem taxative, unde illud colligit, quod sufficiat « *quaecumque alia species probationis naturalis, quae illi factae per duos testes aequipolleat, eo modo quo in contractibus aliisque actibus inter vivos habemus, ut dici valeant obligatorii* ». Nec etiam desunt, qui causarum piarum sic privilegia laxant, ut ne oporteat quidem liberos, vel parentes in legitima haeredes institui, eisque propterea querelam inofficiosi testamenti non largiuntur. Qua super re Julius Clarus cit. lib. quaest. 6. ita disserit « *quod aliquid relinquatur*

filiis titulo institutionis est mera solemnitas a jure civili introducta, quae secundum conclusionem superius factam in testamentis ad pias causas non attenditur. » Sed magis arridet sententia Augustini, quam refert Gratianus caus. 17. quaes. 4. can. 43. « *quicumque vult exhaeredato filio haeredem facere Ecclesiam, quaerat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio nullum inveniet.* »

§ CXXIII.

DE LEGATIS PIIS

Postulat hic locus ut aliqua de Legatis piis dicamus. Multa sunt hujusmodi legatorum privilegia. Primum est quod legata pia etiam nudis verbis relicta debeantur, cap. 4. de Testam., et si testamento relicta sint, adhuc debentur, quamquam testamentum ex defectu solemnitatum imperfectum et irritum sit, quod ex cit. Cap. 4. et Cap. 11. de Testam. comprobatur. Patres Concilii Lugdunensis II. Provincialis jam ab anno 562. de supremis et piis voluntatibus decreverant « *ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas aut necessitate, aut simplicitate aliquid a legum saecularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, et in omnibus Deo propitio custodiri.* » Huc etiam facit L. 24. Cod. de Episc. et Cleric. « *Id quod pauperibus testamento vel Codicillis relinquitur, non ut in incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum firmumque consistat* »; scilicet favore pietatis, ut notat glossa, nam laicis personis relictum non valeret. Si testamentum nullum est, legata et fideicommissa, tamquam accessoria, omnino corruunt; id tamen de legatis et fideicommissis accipiendum est, quae juris civilis auctoritate consistunt, non vero de legatis ad pias causas quae solemnitatibus

juris non indigent. Ex quo consequitur, legata ad pias causas relicta in testamento, quod parentes sine solemnitatibus inter liberos condunt, praestanda esse. Si enim hujusmodi testamenta aut scriptis mandata, aut sine scriptis coram duobus testibus facta valent, non video, cur etiam legata ad pias causas impleri non debeant quae singulari jure canonico numerum testium non requirunt.

Secundum privilegium est, quod legata pia debeantur testamento licet destituto, et non adita haereditate. Argumentum sumitur ex L. 42. ff. de Fideicommis. in qua libertati hoc privilegium tributum est « *quo exemplo,* ait Donellus, *recte defendetur, etiam haereditate ex testamento non adita deberi ea quae ad pias causas relicta sunt: pietatis enim causa non minus favorabilis est quam libertatis.* » Unde illud colliges, quod legata non adeo testamentis incumbant, ut aut sine testamento, aut corruente testamento consistere nequeant, tum quia et codicillis sine testamento legare possumus, tum quia legata ex testamento irrito interdum firma permanent, Auth. Ex CAUSA Cod. de liberis praeterit., et L. 1. ff. de Legat. praestand.

Tertium privilegium est, quod in legatis piis falcidia non detrahitur, ex Nov. 107. cap. 9. Sed « *circa Trebellianicam,* ait Engel in Colleg. univ. Jur. Can. lib. 3. tit. 26. n. 21., *textus quidem clarus non extat, quia tamen eadem utriusque est ratio, propterea idem de hac quoque communiter statuunt Doctores.* »

Quartum privilegium omnino praeclarum est, quo causa pia facile possit haeredem in officio continere. Si enim haeres in mora sit legati pii solvendi, sic ab Imperatore cautum est Novel. 131. cap. 12. » *Si autem distulerint, qui in hoc onerati sunt, hujusmodi praebere legatum, et fructus, et usurae, et omne legitimum exigatur augmentum a tempore mortis ejus qui reliquit.* » Quod si

haeres tamdiu solutionem distulerit, quoad in judicium vocetur, actio mixta evadit. « *Item mixta est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis Ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis legati vel fideicommissi nomine dare distulerint, usque adeo ut etiam in judicium vocentur, tunc enim et ipsam rem, vel pecuniam quae relicta est, dare compelluntur, et aliud tantum pro poena, et ideo in duplum ejus fit condemnatio.* » Instit. de action. § 19.

Multa sunt alia causarum piarum privilegia, quorum 167. congessit Andreas Tiraquellus Jurisconsultus Gallus in suo Tractatu *de Privilegiis causae piae.* Interim admonemus ex Cap. Nos quidem, et Cap. Tua nobis de Testam., nec non ex L. 28. Nulli licere Cod. de Epis. et Cler. piarum dispositionum curam et executionem ad Episcopos pertinere: « *licet etiam a testatoribus id contingeret interdici* » ut loquitur Pontifex cit. Cap. Tua nobis, quandoquidem leges, quae facultatem illam Episcopis largitae sunt, privata testatoris voluntate mutari nequeunt: « *nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant* » L. 58. ff. de Leg. et Fideicommiss.; et in Authentica Licet de Epis. et Cler., et in Novel. 131. cap. 11. praecipue sancitum est, invito etiam testatore jus Episcopis esse pias voluntates sibi curandas et exequendas vindicare. « *Nec aliud datum est pii operis fundatori,* uti tradit Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 13. cap. ult., *quam ut certum aliquem designare ac constituere valeat executorem, seu etiam huic concreditum munus segniter obeunti alium subrogare: tunc enim Episcopus interponere se nequit, nisi cum substitutus quoque segnis, et negligens deprehendatur: sed hoc demum casu ad Episcopum devolvitur onus ac cura exequendi, quod alii neglexerunt.* »

CAPUT V.

DE REBUS SACRIS, SANCTIS, ET RELIGIOSIS

§ CXXIV.

DE ECCLESIIS ET ALTARIBUS

Hactenus de temporalibus Ecclesiae rebus dictum est. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut alterum rerum ecclesiasticarum genus persequamur, earum nempe quae sacrae, sanctae et religiosae appellantur, quod Deo et religioni consecratae sunt. Hujusmodi autem praecipue sunt Ecclesiae, Altaria, omnisque sacra supellex, tum Coemeteria et sepulturae Ecclesiasticae, Monasteria et Seminaria, ac domus hospitales pro pauperibus, peregrinis et aegrotis. De singulis breviter edisseremus, ac primum de Ecclesiis aedificandis et reparandis.

Quamvis Ecclesias erigere et aedificare pium, religiosum ac laudabile opus sit, ne temere tamen aut cum aliorum jactura, aut sine congrua perpetua dote erigantur, Sacri Canones omnino vetant, ullam sive Ecclesiam, sive Cappellam, sive Oratorium, sive Altare aedificari sine Episcopi, in cujus Dioecesi extruitur, consensu et auctoritate. Hinc si quis vetante Episcopo Ecclesiam construxerit, nullum in ea jus, ne patronatus quidem, acquirit, neque in ea sic aedificata fas est divina officia celebrare. Si vero Episcopus justa de causa consenserit, nova fabrica non est inchoanda, nisi aut ipse, aut alius ab eo delegatus locum inspexerit et approbaverit, crucemque

in eo fixerit, ac primum lapidem benedictum in fundamentis posuerit, servato ritu quem Pontificale Romanum praescribit. De Parochialium erectione jam egimus superiori § LXXXIV.

Altaria in Ecclesiis vel publicis Oratoriis Episcopi auctoritate aedificatis erigenda sunt, eaque marmorea sint oportet, aut saltem lateritia et fixa; nam ex decreto Concilii Trid. sess. 22. de observ. et vitand. in celeb. Missar. abrogatum est privilegium utendi Altari portatili, quo ex cap. 30. de Privileg. nonnulli Regulares fruebantur.

Extructae Ecclesiae identidem instaurandae et reparandae sunt. Sarciri autem debent ex reditibus earumdem Ecclesiarum, si quos habeant, peculiariter pro fabrica assignatis. Quod si Ecclesiis vel nulli sint reditus ad eum usum, vel sufficientes non sint, inspiciendum erit, num forte alicui ex lege speciali, hoc est statuto, pacto, vel consuetudine id oneris incumbat: hoc enim eventu is ad Ecclesiam instaurandam cogendus est. His autem modis deficientibus sequentes regulae potissimum observantur. 1. Si templum sit Cathedrale, Episcopus conferet quartam partem redituum mensae Episcopalis; si Parochiale, Parochus conferet eos Beneficii fructus, qui post honestam sui sustentationem supersint. Cum Episcopo ad necessariam Ecclesiae Cathedralis reparationem quilibet Canonicus symbolam conferre tenetur, si id Praelatus cum majori parte Capituli constituerit, cap. fin. de iis quae fiunt a maj. part. Capit.: cum Parocho autem tenentur omnes pro rata, qui in eadem Parochia pensiones habent, nisi forte pensiones ab eo onere immunes concessae fuerint, quod plerumque contingit. Itemque ex Concilio Trid. sess. 21. cap. 7. de Ref. Patroni omnes et alii qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochiani omnes ad praedictam re-

staurationem opportunis remediis ab Episcopo cogendi sunt. Quinam vero nomine Parochianorum intelligantur, S. Congregatio Concil. *in Imolen. restaurationis Ecclesiae Parochialis* diei 5. Septemb. 1783. et *in Camerinen.* et *Cingulana* an. 1840 respondit « *teneri populum et possidentes in districtu Paroeciae etiam exteros per aes et libram: egentiores vero qui pecuniam conferre nequeunt, manus adjutrices praebeant.* » 2. Beneficiarii, qui proprias beneficiorum Ecclesias habent, onus restaurationis sustinere debent, ubi tamen reditus supersint necessariae eorum sustentationi. 3. Ecclesias patronatas nisi sufficientes ad hoc fructus habeant, instaurare tenetur Patronus, cui proinde consentaneum temporis spatium praefinitur, quo vel Ecclesiam restauret, aut si necessitas postulet, rursus aedificet, vel juripatronatus renunciet. Non videtur tamen Patronus cogendus esse; namque Concilium Tridentinum, dum in cit. sess. 21. jubet inter alios etiam patronos ad id compelli, de iis tantum patronis loquitur, qui aliquos fructus, vel pensiones in fundatione sibi reservarunt, uti planum est ex his verbis ejusdem decreti: » *patronos omnes et alios qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt.* » 4. Quod si tum patroni, tum parochiani, aliique fructus aliquos ex Ecclesiis percipientes « *nimia egestate laborent* » tam Parochiales quam aliae Ecclesiae cum beneficiis et oneribus « *ad matrices seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.* » Concil. Trid. eadem sess. 21. cap. 7.

§ CXXV.

DE CONSECRATIONE AUT BENEDICTIONE ECCLESIAE, ALTARIS, ALIARUMQUE SACRARUM RERUM

In Ecclesiis aedificatis sacra celebrare vetitum est, nisi prius consecrentur aut saltem benedicantur, hoc est divino cultui solemniter dedicentur. Consecrationis autem et benedictionis diversi sunt ritus et minister. Namque in consecratione Ecclesiae praemittitur jejunium, et vigiliae coram Reliquiis sub altare immittendis cantantur; parietes et duodecim ibi depictae cruces chrismate unguntur, aliique ritus, quos exhibet Pontificale Romanum, adhibentur. Minister consecrationis est tantum Episcopus, in cujus Dioecesi nova Ecclesia aedificata est, nec Presbyteri ea potestate donantur, nisi ex Romani Pontificis privilegio. Consecratio omni quidem die, decentius tamen Dominicis aut festivis peragitur, et dies consecrationis inter annua festa celebratur, simul ac dedicationis officium quotannis recitatur. Benedictio tantis ritibus non abundat, nec in ea unctio sacra adhibetur, ejusque impertiendae idoneus minister est etiam Presbyter Episcopi auctoritate delegatus.

Altaria quoque, super quibus sacrificium celebratur, ab Episcopo consecranda sunt: itemque Patenae, Calices, Campanae jure communi solus Episcopus, jure autem singulari Praelati usu Pontificalium praediti pro suis Ecclesiis benedicunt et consecrant. Demum sacra omnia tam Ministrorum, quam Altaris ornamenta per Episcopum benedicenda sunt: nulli quippe Sacerdoti, nisi facultatem consequutus sit, illis benedicendis aptus est. Praelati autem Regulares non alio ad id privilegio donantur, quam sacra ornamenta benedicendi pro suarum, non au-

tem pro aliarum Ecclesiarum usu, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio saepius declaravit.

Ecclesiae et Altaria semel consecrata ad sacras peragendas in eis functiones apta permanent donec execrentur vel polluantur. Execratur autem Ecclesia, dum tota vel major parietum pars eversa sit: contra autem si Ecclesia per partes renovetur, ut eadem semper consistat, aut saltem eadem judicio hominum reputetur. Altare execrari dicitur, ubi sacer lapis adeo fractus fuerit, ut superstes integra pars Calicem et Patenam continere commode nequeat, vel si amotum sit sepulcrum, seu lapis sub quo reliquiae conduntur. Execrato tamen altari Ecclesia execrata non censetur, quum diversis ritibus Ecclesia et Altare consecrentur.

Polluitur Ecclesia per humani seminis aut sanguinis effusionem, per homicidium etiam citra sanguinis effusionem in ea patratum, per sepulturam ethnici, vel excommunicati vitandi, aut haeretici publice denunciati. Si Ecclesia quae polluitur, consecrata sit, non nisi per proprium Episcopum, aut ejus mandato per alium Episcopum reconcilianda est: id autem fit fusis precibus et aspersione lustralis aquae vino et cineri permixtae. Quod si Ecclesia tantum benedicta sit, non consecrata, per quemcumque Sacerdotem ab Episcopo deputatum aquae lustralis aspersione reconciliabitur. In primis autem amovenda est, si adhuc extet, pollutionis causa, uti si polluta sit per sepulturam excommunicati, ante omnia cadaver ubi discerni potest effodiendum. Coemeterium vero per Ecclesiae pollutionem, si contiguum ei sit, polluitur: at contra Coemeterio ipso polluto Ecclesia non polluitur.

§ CXXVI.

DE COEMETERIIS ET SEPULTURIS ECCLESIASTICIS

Apud omnes fere gentes etiam barbaras indignum et inhumanum visum est corpus hominis, qui caeteris animantibus dignitate praestat, inhumatum projicere a volucribus ferisque bestiis dilaniandum et in cibum absumendum. Hunc hominum animis a natura inditum Religionis et pietatis sensum Catholica Ecclesia semper fovit et auxit. Hinc vetustissima illa coemeteria extiterunt, et adhuc extant, in quibus tot millium Christi martyrum et fidelium exuviae conditae sunt. Nam vetus Ecclesiae disciplina non patiebatur omnium fidelium corpora in Ecclesiis sepeliri. « *Nemo,* ait S. Gregorius lib. 4. Dialog., *in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut alterius justi hominis qui per vitae meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisierit.* » Illud etiam apud Romanos receptum erat, quod tantum clariores viri virtutis vel dignitatis causa in urbe sepelirentur. Et ille quidem honor a Christianis est primum martyribus tributus, ut eorum reliquiae in Ecclesiis deponerentur; mox Episcopis, Regibus, Presbyteris et Laicis etiam sanctitate conspicuis, ac demum successu temporis omnibus indiscriminatim fidelibus humatio in Ecclesiis permissa est. Videtur autem Ecclesiae mens semper fuisse, ut fidelium corpora non in Ecclesiis, sed in Coemeteriis sepeliantur; namque Rituale Romanum jussu Pauli V. editum sic decernit: « *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur.* »

Jure communi antiquo quisque fidelis sepeliendus erat in propria Parochiali Ecclesia, vel ejus Coemeterio,

ut defunctus cum ea Ecclesia communicaret cui vivus adhaeserat, et in qua spirituali pabulo refici consuevit. Postquam autem Pontificum privilegiis concessum est Regularibus jus in propriis Ecclesiis, et Coemeteriis tumulandi fideles qui in eis sepulturam elegissent, et postquam fidelibus ipsis permissa deinde fuit facultas sepulcra gentilitia et familiaria extruendi, necessario factum est ut fideles libertatem adepti fuerint parochialem sepulturam deserendi. Itaque jure novo sepulturam licet sibi construere et eligere in quovis loco religioso; quo nomine non solum Ecclesiae Parochiales et Monasteria, sed publica quaevis Oratoria intelliguntur, ubi divina mysteria, licet minus frequenter, celebrantur. Verum si novum sepulcrum extruendum sit in Ecclesiis saecularibus, postulatur Ordinarii licentia in scriptis obtinenda praeter consensum Ecclesiae Rectoris, vel Patroni; in Ecclesiis Regularium requiritur licentia saltem Provincialis, nisi Monasterium pactionem fecerit de non recipiendis Parochianis alicujus Ecclesiae, tum enim Regulares non possunt pacti poenitere, nec eis fas est quempiam tumulare, licet apud eos elegerit sepeliri, multoque minus sepulcri constructionem permittere, cum per pactum privilegio renunciaverint, cap. 1. de pactis in 6.° In Monialium vero Ecclesiis sine peculiari S. Cong. Episcoporum et Regularium licentia, ac sine expresso ipsarum Monialium consensu nulla pro laicis, cujuscumque sint dignitatis ac sexus, sepulcra construi, et cadavera tumulari possunt, iis exceptis qui ab immemorabili tempore familiae sepulcrum in praedictis Ecclesiis habuerint. Patronus autem Ecclesiae aut Cappellae non nanciscitur usum et jus sepulturae, nisi in acquirendo jurepatronatus haec apposita fuerit clausula « *cum facultate seu jure funerandi* »; vel nisi obtenta Cappella in patenti ejus loco sepulturam effodiat, et Episcopus ac Rector Ecclesiae non

contradicant; tunc enim tacita quaedam adesse licentia praesumitur.

§ CXXVII.

DE JURE ELIGENDI SEPULTURAM

Cum igitur modo fideles in quavis Ecclesia sepulturam eligere, vel sepulchrum habere possint, ordo postulat: 1. Ut defunctus sepeliatur in Ecclesia quam elegit: electio autem rata est, sive in testamento fiat, sive citra testamentum, seu integra valetudine, seu morte imminente, seu scripto, seu voce, seu etiam nutibus, dummodo eligentis voluntas satis innotescat. Ceterum electio sepulturae omnino libera esse debet, et ab omni vi et dolo immunis: hinc Bonifacius VIII. Cap. Animarum de sepultur. in 6.° sic statuit. «*Universis Religiosis et saecularibus Clericis cujuscumque status, vel conditionis existant in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione maledictionis aeternae districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, vel alias promittendum inducant ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent: si secus actum fuerit, eam electionem irritam esse decernimus, et praeterea statuimus, ut hi qui sic elegerint nec apud Ecclesias sibi electas ullatenus sepeliri, nec alibi eligere possint sepulturam, sed apud illas Ecclesias omnino sepeliantur, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si non electa sepultura decessissent. Si vero iidem Religiosi et Clerici praedictos in suis Ecclesiis vel Coemeteriis sepelire praesumpserint, ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quam etiam omnium quae occasione sepulturae illorum quomodolibet ad eos pervenerint, infra decennium integraliter faciendam ipsos obligatos esse volumus; quam nisi fecerint, Ecclesiae suae apud*

quas sepulti fuerint, nec non Coemeteria earumdem eo ipso sint, et tamdiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis omnibus praedictorum plenaria facta fuerit restitutio. » Hanc Bonifacii VIII. Decretalem Clemens V. non modo firmavit, sed etiam poenis in ea statutis adjecit excommunicationem majorem a transgressoribus ipso facto incurrendam, et Sedi Apostolicae reservatam, Cap. Cupientes de poenis. Duo tantum sunt personarum genera quae vetantur sibi eligere sepulturam, scilicet impuberes ob consilii inopiam, et Religiosi qui propriae voluntati renunciarunt. Et Religiosi quidem in Monasterii Ecclesia, vel Coemeterio sepeliendi sunt: de impuberibus autem sic statutum est in Cap. Licet de Sepult. in 6.° « *Licet pater minores liberos, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terrae id habeat) quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus, vel in Parochiali Ecclesia tumulandi.* » Ea vero facultate impuberi filio sepulturam eligendi recte utitur pater, donec filius vivit, non tamen post ejus obitum, namque S. Congregatio Episcop. et Regul. *in Fulginaten.* diei 27. Octobris 1587. sic declaravit. « *Sepulchrum pro filio minori in vita, non post ejus mortem potest pater eligere.* » Et Congregatio S. Rituum anno 1641. declaravit: « *Potest pater eligere sepulturam pro filiis impuberibus in vita, non post mortem.* » Quod si pater ipse impuberi filio praemortuus fuerit, S. Congregatio Concilii *in Avellinen.* 15. Septembris 1605. statuit « *etiam mater, cum pater non adest, posse impuberi filio sepulturam eligere, vivente tamen filio.* » At puberibus, etiamsi filii familias fuerint, licet sibi eligere Ecclesiam vel Coemeterium in quo sepeliantur, nam electio sepulturae, veluti jus spirituale censetur, cui patria potestas non officit: uxoribus etiam integrum est sibi eligere sepulturam.

2. Ut si absque sepulturae electione quis decedat, in sepulchro suorum majorum humandus sit. « *Nos instituta majorum patrum considerantes statuimus unumquemque in majorum suorum sepulcris jacere, ut patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam* »: ait Leo III. cap. 1. de Sepultur.

3. Ut quicumque sibi sepulturam nec vivens elegerit, nec gentilitium seu familiare sepulchrum habeat in quo tumuletur, in sua Parochia sepeliendus est, exceptis tamen: 1. Cardinalibus et Praelatis, qui in suis titulis vel Ecclesiis quibus praesunt sepeliendi sunt. 2. Canonici qui in Ecclesia Capituli habent sepulturam in qua humantur. 3. Beneficiariis, imo Sacerdotibus et Clericis omnibus, quoties in Ecclesia beneficii, aut in Ecclesia matrice sepulchrum adsit iisdem tumulandis destinatum. 4. Oblatis, qui vere in claustro sub obedientia vixerint, seseque una cum bonis omnibus irrevocabili inter vivos donatione Monasterio dederint, hi scilicet non secus ac caeteri Regulares in propriis Regularium Ecclesiis sepeliendi sunt. 5. Demum uxoribus viduis quae in sepulcro viri sepeliuntur, ut unaquaeque mulier sive in vita, sive post mortem sequatur virum suum, et si qua mulier pluribus nupserit, in sepulchro ultimi mariti humanda est.

Quamvis autem fideles extra propriam Parochiam sepeliantur, semper tamen advocandus est Parochus, antequam cadaver e domo efferatur. Ad Parochum etiam pertinet cadaver ipsum lustrali aqua aspergere, lugubre officium praecinere ac vias indicere per quas asportetur, licet ad Regularium Ecclesiam deferendum sit. Praeterea Parocho debetur *quarta funeraria* seu *canonica*, certa nempe portio ex oblationibus aliisque emolumentis, quae Ecclesiae tumulanti ratione sepulturae obveniunt. Profecto justum visum est tribuere aliquid Ecclesiae Pa-

rochiali, quae defunctum Christo genuit per baptismum, Sacramentis enutrivit, ejusque dum vixit spiritualem causam egit. Quarta autem funeralis, seu portio ex obventionibus funerariis Parocho tribuenda, licet semper quarta dicatur quia tanta a jure statuitur, non est tamen ubique eadem, sed alibi major, alibi minor pro locorum consuetudine, imo Ecclesia Parochialis jure ejus portionis percipiendae cadere potest, ubi quadraginta annis cum titulo, vel immemorabili tempore sine titulo praescribatur, quod plures Canonistae docent.

§ CXXVIII.

DE PERSONIS ECCLESIASTICA SEPULTURA INDIGNIS

Sepultura Ecclesiastica soli fideles donantur qui in Ecclesiae communione decesserunt, nempe « *sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis, et ut careant Ecclesiae sepultura qui prius erant ab Ecclesiae unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint* » cap. 12. de Sepult. Speciatim autem S. Canones et Pontificiae Constitutiones ecclesiasticam sepulturam denegant: 1. Hebraeis, turcis, infidelibus, non baptizatis, et ipsis etiam Christianorum infantibus mortuis sine baptismo, si tamen ex utero emerserint et in lucem prodierint, nam si in defunctae matris utero obierint, tamquam viscerum ejus pars cum matre in Ecclesia sepeliuntur. 2. Apostatis, haereticis et schismaticis. 3. Excommunicatis vitandis, ac nominatim ab ingressu Ecclesiae exclusis seu interdictis. 4. Publicis ac manifestis usurariis. 5. Sacrilegis raptoribus atque Ecclesiarum violatoribus. 6. Decedentibus in torneamentis, vel in duello, sive in loco duelli et conflictus, sive procul a loco certaminis, ex vulnere tamen

in eo accepto obierint. 7. Praeceptum annuae confessionis et communionis non implentibus. 8. Regularibus utriusque sexus proprietariis, idest mortuis cum peculio, quod non custodiae causa, sed nomine proprio, et sine venia Superioris retinebant. 9. Mortem impatientia, ira, aliave simili causa sibimet ipsis inferentibus, nisi eos ob mentis inopiam id egisse constet, quod in dubio semper praesumitur. 10. Tandem furibus, latronibus, adulteris in ipso crimine occisis, omnibusque manifestis et publicis peccatoribus qui sine poenitentia decesserunt. In dubio autem an aliquis ecclesiastica sepultura donandus sit, Episcopus sententiam dicit.

§ CXXIX.

DE MONASTERIIS

Monasteria sunt quaedam domicilia, in quibus plures viri seu mulieres vitam communem degunt, et consilia evangelica sectantes sub certa probata regula solemniter profitentur. Viri ac mulieres cujusque Instituti vulgato nomine *Regulares* nuncupantur. Harum Institutionum lib. 1. § 29. 30. 31. 32. satis dictum est de origine Monachorum et Regularium, de natura Status Religiosi, de professione ejusque effectibus, et de exemptionibus Regularium. Restat itaque ut de Monasteriorum erectione, et pauca de Clausura Monialium dicamus.

Jam vero novum monasterium erigi non potest sine venia Episcopi et beneplacito Sanctae Sedis, Cap. unico § Confirmatos de relig. domib. in 6.°; Clementis VIII. Constitut. Quoniam ad institutam, et Gregorii XV. Constitut. Cum alias.

Praeterea cavendum est ne id fiat cum aliorum jactura; quapropter ab Episcopo in primis audiendi sunt

praefecti antiquorum Monasteriorum, quae sunt in locis circum positis intra quatuor millia passuum, ne eorum Monasteria propter locorum paupertatem, sive eleemosinarum tenuitatem, aliasque ob causas aliquid ex nova fundatione detrimenti capiant. Audiendus quoque Parochus intra cujus Paroeciae fines novum Monasterium aedificandum est, et videndum an jura Parochialia ullo modo laedantur. Nulla denique novi monasterii aedificatio inchoanda est, nisi sive ex certis reditibus, sive ex consuetis Fidelium eleemosinis duodecim saltem Regulares in eo habitare et commode ali possint. Haec autem fere omnia in erigendis quoque Monialium monasteriis observanda sunt, et insuper ex Decreto Concilii Tridentini sess. 25. cap. 5. earum Monasteria intra urbes vel oppida frequentia fundanda sunt.

Si Monasterium sive ob vetustatem aedificii quod ruinam minetur, sive ob coelum insalubre, sive ob varias gravissimas causas ab eo loco in quo positum est in alium, quantum fieri poterit, proximiorem locum transferendum sit, necessum non est praefatas conditiones observare, quia non agitur de novo extruendo monasterio, sed de veteri transferendo, quod saepius S. Urbis Congregationes rescripserunt.

Denique Congregationes Presbyterorum Saecularium collegialiter viventium sola auctoritate Episcopi seu Ordinarii fundari possunt, nam teste Nicolio in flosculis verb. *Conventuum* a S. Congregatione Episcoporum et Regularium declaratum est « *sub decretis super erectione novorum Conventuum non comprehenduntur Congregationes Presbyterorum Saecularium in commune viventium erectae auctoritate ordinaria.* »

Quae hactenus diximus, ea Lucius Ferraris in sua Bibliotheca verb. *Conventus* fusius pertractata, Sacrorum

Canonum, Constitutionum Apostolicarum, et Decretorum Congregationis Urbis auctoritate confirmat.

Praecipua Monialium lex clausura est, qua egredi omnino prohibentur sub excommunicationis poena, nisi vis aut extrema necessitas egredi cogat; quum « *ab omni lege extrema necessitas sit exempta.* » Cap. 3. de V. S. Item omnibus sub eadem poena vetitum est Monialium claustra ingredi, nisi ob veram Monasterii necessitatem, cum licentia tamen Episcopi, et Superioris Regularis cui Monasterium ipsum subest. Hac de re observandum est decretum Concilii Trident. sess. 25. cap. 5. de Claus. Monial: de reliquo custodia clausurae, ac totius Monasterii sollicitudo et regimen ad Episcopos pertinet.

At vero Benedictus XIV. in sua Constitut. QUAMVIS JUSTO 30. Aprilis 1749. Anglicanarum Virginum Institutum sive Regulas approbavit, deque earum Instituto, in quo nulla extabat clausurae lex, « *uberes optatae utilitatis fructus collectum iri sibi pollicitus est.* » Exinde S. Congregatio Episcoporum et Regularium, quotiescumque actum est de approbatione alicujus Instituti mulierum collegialiter viventium sine clausura, idque expedire judicavit, Institutum ipsum et regulas probavit cum votis simplicibus, et sub obedientia Ordinariorum: imo ob peculiares circumstantias, praesertim in Galliis, eadem S.ª Congregatio ann. 1828. et ann. 1829. decrevit: 1. « *Vota quae in praesenti rerum statu a Monialibus in Regno Galliarum emittuntur, uti simplicia a S. Sede aestimari.* » 2. Eas « *lucrari posse Indulgentias omnes quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium secundum Institutum, seu Regulam respectivam concessae fuerunt.* » 3. Denique Monialibus quae simplicibus votis obstrictae clausuram petierant, die 22. Februarii 1840. rescripsit: « *ut accedente consensu omnium Monialium vocalium per secreta suffragia clausurae lex imponeretur.* »

§ CXXX.

DE SEMINARIIS CLERICORUM

A primis usque temporibus nihil Ecclesia sanctius, nihil antiquius habuit recta institutione eorum qui in Ordine Clericorum cooptabantur. Huic fini assequendo magnum ei adjumentum attulerunt Monachorum Scholae *exteriores* et *Canonicae* dictae, quae saecularibus Clericis patebant, in iisque religio et pietas aeque ac bonarum artium et maxime sacrarum disciplinarum studia colebantur. Mirum quot sanctissimi et doctissimi viri ex iis prodierint, eorumque eximiae sanctitatis et doctrinae tot clarissima monumenta extant, quot sunt eorum scripta quibus Ecclesiam Dei maxime illustrarunt. Episcopi quoque, in primisque S. Augustinus, omne studium, diligentiam atque operam in eo posuerunt, ut suarum Ecclesiarum Alumni in Seminariis, sive in domiciliis a multitudine secretis ac liberis ad omnem virtutem mature informarentur.

Sed quia in humanis rebus nihil est tam sancte ac salubriter institutum quod labentibus annis non languescat, hinc Clericorum Seminaria, atque etiam Monachorum Scholae auditores minus frequentes habere coeperunt, praesertim cum Academiae et Licaea magna aucta propagataque sunt: et illud maxime dolendum, quod studium pietatis pene ubique negligeretur. Quapropter Episcopi ad Seminaria instauranda toto animo et studio omni incumbebant, cum demum Concilium Tridentinum Decreto lato sess. 23. cap. 18. de Reform. « *statuit ut singulae Cathedrales, Metropolitanae, atque his majores Ecclesiae, pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius Civitatis et Dioecesis, vel ejus Provinciae,*

si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere et religiose educare, et Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. » Nihil autem obstat, quominus « *in Ecclesiis amplas Dioeceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in Dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quae tamen ab illo uno quod in Civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeat* » ex eod. Decreto.

Pro recto Seminariorum regimine idem Tridentinum vult:

1. Ut in iisdem non recipiantur, nisi qui « *ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles ac voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.*

2. *Ut filios pauperum praecipue eligantur, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur.*

3. *Ut Gramatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum Artium disciplinam discant. Sacram Scripturam, Libros Ecclesiasticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, et maxime quae ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas, ediscant.*

4. *Ut Alumni tonsura et habitu Clericali semper utantur . . . . . ut saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et juxta Confessoris judicium sumant Corpus Domini Nostri Jesu Christi.*

5. *Ut discoli et incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter puniantur, eos etiam si opus fuerit expellendo.*

Omnis vero jurisdictio, regimen, gubernatio, et administratio Seminariorum ad Episcopos spectat, cumque ea res acrem curam diligentiamque desideret, duo Ca-

nonici Cathedralis Ecclesiae ab Episcopo eligendi sunt, quorum consilio utatur in iis quae ad Alumnorum institutionem, disciplinam, vitam moresque pertinent.

Duo quoque Deputati ex Canonicis ejusdem Ecclesiae Cathedralis, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo, itemque alii duo Deputati ex Clero, alter ab Episcopo, alter a Clero eligendi sunt, eorumque consilium ab Episcopo adhibendum est: 1. in erectione Seminarii, nempe in iis quae ad fabricam instituendam, ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, ad juventutem alendam, certosque fructus pro aliis sumptibus decernendos spectant. 2. Quotiescumque aliqua sive in unionibus Beneficiorum, sive in taxarum proportione, sive in alio quocumque eventu difficultas oriatur. De unione autem Beneficiorum, et taxa nonnulla dicta sunt hoc libro superioribus § 85. 86. et 87. Praesentes vero esse debent, cum Administratores Seminarii gestae administrationis rationem reddunt, quae unoquoque anno reddenda est.

In his vero omnibus Deputatorum consilium Episcopus non cogitur sequi, sed ipsi liberum est ea facere quae pro sua prudentia et pietate potiora existimaverit.

§ CXXXI.

DE HOSPITALIBUS

Hospitalia proprie dicta sunt loca suscipiendis hospitibus destinata. At passim eo nomine veniunt quaevis pia loca, sive hospitibus et peregrinis suscipiendis, sive pauperibus alendis, sive infirmis curandis, sive demum caeteris, qui aliena ope et auxilio indigent, recipiendis et educandis addicta. Cum Christus dixerit: « *in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem ha-*

bueritis ad invicem; probatio autem dilectionis exhibitio est operis »: hinc summa semper fuit Ecclesiae cura in pauperibus miserisque hominibus fovendis atque recreandis, illudque pietatis officium fidelibus omnibus tantopere commendavit. Sed publica charitatis loca post pacem Ecclesiae datam extructa sunt: ante enim id temporis per Religionis hostes non licuisset, et opera misericordiae in proximum, eo melius quo poterant, Christiani et in primis Episcopi excolebant.

Hospitalia autem generatim dicta vel laicalia sunt, vel ecclesiastica. Nonnulli Doctores loca pia omnia a laicis administrata, laicalia dixerunt; contra autem ecclesiastica quae a Clericis administrantur. Alii putarunt laicalia esse quae sine Oratorio erecta sunt, Ecclesiastica vero quae illud habeant. Sed magis recepta sententia est, quae tradit piorum locorum qualitatem arguendam esse ab auctoritate qua fundata sunt; ut scilicet ecclesiastica sint quae Episcopi auctoritate, laicalia quae injussu ejus fundata fuerunt; idque consonat doctrinae Sacrorum Canonum, qui tum religiosas habent domus divino cultui, aut pietatis operibus auctoritate Episcopi deputatas. Num igitur aliquis pius locus ecclesiasticus sit, an laicalis, ex decreto Episcopalis erectionis colligendum est, eoque deficiente, ex signis quae tantum conveniunt locis piis auctoritate Episcopi excitatis, uti est Altare, vel Ecclesia, sepultura vel coemeterium, et praesertim si jus administrandi Sacramenta ad ejus Rectorem pertineat.

Caeterum quaevis pia loca sive laicalia, sive ecclesiastica ab origine sua potestati Episcoporum obnoxia fuerunt, atque hanc Episcoporum potestatem non solum Canones, sed etiam leges civiles confirmarunt. Cui enim hominum generi poterant melius commendari ea loca quam Episcopis, quorum industria omnium maxima esse debet in charitatis operibus promovendis? At labentibus

annis Hospitalium praefecti sive Laici, sive Clerici jugum excutere nisi sunt, ut Episcopis remotis liberius rem suam in eorumdem locorum bona converterent, idque praesertim saeculo XIV. factum est. Hinc tanto malo occurrere studuerunt posteriora Concilia; et quidem Concilium Viennense jus dedit Episcopis in eorum, qui locis piis praefecti essent, administrationem inquirendi, et in sibi subjectos non recte administrantes auctoritate propria, in exemptos delegata Pontificis auctoritate procedendi, locaque ipsa reformandi.

Postea Concilium Tridentinum innovato Concilii Viennensis decreto plura in eamdem rem decreta edidit, et praesertim statuit: 1. ut exceptis Hospitalibus quae sub Regum immediata protectione sunt, quibusque Regia protectio in limine fundationis accessit, caetera hospitalia, omnisque generis loca pia visitationi Episcopi subessent in iis omnibus, quae Dei cultum, animarum salutem, et peculiare opus loci pii respiciunt, licet a laicis gubernentur. 2. Ut eidem Episcopo tum in visitatione, tum extra eam justa occurrente causa ratio administrationis quotannis redderetur, quod si consuetudine, privilegio, vel loci statuto aliis ad id deputatis rationes reddendae essent, tunc etiam una cum iis Ordinarius adhiberetur, et liberatio aliter facta administratoribus nihil prodesset. 3. Ut demum Episcopi possent coercere delinquentes, suisque legibus abusus tollere, ac bonum promovere; sic tamen ut sinant loca ipsa juxta leges fundationis, et legitimas consuetudines administrari.

§ CXXXII.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM

Ecclesiarum immunitas est libertas illis competens ab eo omni, quod loci sanctitatem dedeceat. Ipsae etenim sunt aedes Deo sacrae, et domus orationis, ut omnia in eis debeant ad Religionem et sanctitatem conspirare. Quare Ecclesiarum immunitas tum singulari honore et reverentia eis debita, tum jure asyli potissimum continetur. Et primo quidem ex capite praecipua Ecclesiis habenda veneratio est, et procul ab eis arcendi cujusvis actus non modo illiciti, sed etiam simpliciter profani, quales sunt negotiationes, judicia, civiles conventus, profana colloquia, multoque magis ludi theatrales, choreae, cantus lascivi, et demum omnia quae vel divinum turbent officium, vel oculos Divinae majestatis offendant. Similiter piaculum est vasa sacra et Ecclesiarum utensilia in usus profanos adhibere.

Ex ipsa reverentia Ecclesiis debita profluit jus asyli, per quod debitores et rei criminum ad Ecclesiam confugientes tuti sunt, nec illinc sine piaculo avelli possunt. Ipsa quidem natura gentes docuit nefas esse eos violare, qui ad templa Diis sacra confugissent: hinc apud Graecos et Romanos templa, altaria, simulacra, loci sacri securitatis et asyli loco fuerant. Apud hebraeos autem, quorum vera Religio fuit, ex Dei ipsius mandato sex urbes refugii constitutae sunt, et Altare Templi ad se confugentes tuebatur, qui inviti vel inconsulto occidissent.

Jure asyli ab ipsis incunabilis donatae sunt Christi Ecclesiae. Namque sanctio Theodosii L. 1. Cod. Theodosiani de iis qui ad Eccles. confug. non primo jus asyli constituit, sed modum potius et limites decrevit, quod indu-

bium argumentum est jampridem ea immunitate Ecclesias potitas esse. Concilium etiam Arausicanum I. an. 441 decernit Can. 5. « *Eos qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportet, sed loci reverentia et intercessione defendi.* » Item Can. 6. « *Si quis autem mancipia Clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occucupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.* » Videntur autem Patres Africani poenas adeo severas minitati non fuisse, nisi alii Canones jus asyli firmantes praecessissent.

Privilegio asyli perfruuntur ad Ecclesiam confugientes omnes quocumque crimine rei tam Clerici, quam Laici, nisi lege excipiantur. Excipiuntur autem 1. latrones publici, viarumque grassatores qui itinera frequentata, vel publica obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Unica vero grassatio in via publica aut vicinali admissa ex declaratione Benedicti XIII. sufficit, ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mortem, aut membrorum mutilationem passi fuerint. Ex qua declaratione infertur, neminem ob unicam grassationem sine occisione aut mutilatione perpetratam beneficio asyli privari, sed plures postulari, idest saltem duas, nam pluralis locutio duorum numero contineatur. 2. Depopulatores agrorum sive nocturni, sive diurni, qui videlicet agros vel vineas depopulantur, et messes fructusque igne devastant aut destruunt. 3. Qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque Coemeteriis committere non verentur; scilicet qui stantes in Ecclesia vel Coemeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium, aut eos mutilant, nec non qui stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium occidunt stantes intra Ecclesiam vel Coemeterium, aut ipsos mutilant. Praeterea qui impediunt, ne quis in locum immunem sese recipiat, et qui confugien-

tibus vim inferunt, ipsosque ab Ecclesia vel loco immuni violenter extrahunt vel abducunt. Atque hujusmodi sontes adeo indigni asylo sunt, ut non tantum ejus Ecclesiae quam violarunt, sed cujuscumque alterius Ecclesiae immunitate nequaquam fruantur. 4. Sicarii, seu mandatarii qui mercede conducti alieno jussu aliquem interficiunt, cujuscumque nationis sint, et quamlibet Religionem profiteantur. Imo etiam mandantes, qui certum praemium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut etiam promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium reipsa patratum fuerit. 5. Qui aliquem occiderit proditorie aut per insidias, vel animo praemeditato ac deliberato, vel etiam in rixa sive cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, sive baculo aut saxo, si tamen ex delicti circumstantiis dignoscatur, hujusmodi homicidia non casu aut necessaria defensione, sed ex odio et nocendi animo ac voluntate prodiisse. 6. Laesae majestatis rei, qui aliquid contra Principis personam vel potestatem moliuntur. 7. Qui litteras Apostolicas falsificant: varios falsificandi litteras modos recenset Innocentius III. Cap. 5. de crimin. falsi. 8. Qui conflant, adulterant, aut tondent quascumque monetas aureas vel argenteas etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum et commercium: item qui ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere et erogare praesumunt, ut fraudis conscii atque participes censeri possint. 9. Qui in Monte Pietatis, aut aliis ejusdem generis locis administrandis crimen furti aut falsitatis committunt, cujus causa arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit. 10. Qui ementito Curiae nomine sese introducunt in alienas domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum

alicujus ex domesticis earum aedium, vel etiam extranei quem ibi forte versari contigerit, dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur. 11. Denique haeretici, vel suspecti de haeresi, et judaei qui susceptam antea Religionem Christianam deseruerint. Confer Constitutiones praecipue Gregorii XIV. incip. Cum alias, Benedicti XIII. Ex quo, et Benedicti XIV. Officii nostri, in quibus praefata crimina eisdem fere verbis excepta reperiuntur.

Leges Imperatorum asylo excludunt adulteros, vel raptores virginum, et eos etiam qui ob profusionem vel luxum bona sua dissiparunt, aut qui dolo malo decoxerunt, vel occultatis rebus propriis decoctum argumentum simularunt. At Gregorius XIV. cit. Const. Cum alias sublatis penitus Praedecessorum suorum ea de re indultis omnino sancivit, ut ob ea tantum crimina quae suis literis proponebantur, scelesti homines sacro asylo carerent; idque fecit ad jus uniforme in omnes provincias inducendum. Siquidem praedecessores Pontifices petentibus nonnullis Principibus indulta fecerant, ut etiam in casibus quibusdam ecclesiastico jure non comprehensis asylo abducerentur. Sed tamen postea ob pacta conventa inter Sedem Apostolicam et Summos Principes iterum factum est, ut in aliquibus locis aliqua crimina excepta sint, quae secundum leges communes jure asyli defenderentur.

Quamvis autem qui exceptis criminibus sese inquinarunt, ecclesiasticae immunitatis beneficio gaudere non debeant, atque ideo extrahi inde possint, ut vel caute custodiantur donec causa cognoscatur, vel ut judici pro meritis puniendi relinquantur quando cognitum est, eos asylo non juvari; attamen in extrahendis vel tradendis hujusmodi reis, ordo et modus servandus est quem Pontifices constituerunt. Atque in primis abductio rei, nonnisi auctoritate Episcopi, et interveniente ecclesiastica persona ab eodem Episcopo deputata, fieri potest: ab-

ductus autem reus in Episcopales carceres detrudendus est, nec ante Magistratui saeculari tradendus, quam ab Episcopo judicatum fuerit, excepti criminis reum esse. Ut autem reus ab immuni loco deduci, et Episcopi carceribus tradi possit, ea satis indicia sunt, quae ad capturam decernendam sufficere videntur. Sed ut ministris et Officialibus Curiae Saecularis tradi possit, oportet ut ex processu informativo conficiendo ab Ordinario constet de crimine excepto, atque insuper adversus reum extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo patratum fuisse moraliter credi possit, quae quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam. Nec tamen Curiae Saeculari tradendus, nisi exacta receptaque ab ipsius Curiae Ministris obligatione in forma juris valida restituendi extractum Ecclesiae, sub poena excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici reservatae, quoties idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Itaque in reo tradendo opportunum erit contestando profiteri juxta Caput Praelatis de Homicid. in 6.° Porro in processu ordinario conficiendo oportet Ecclesiam, seu ejus Fiscalem, et ipsum reum audiri; agitur quippe de causa Ecclesiae, cujus ratione immunitas constituta est, et interest rei ne possessione immunitatis dejiciatur per qualescumque conjecturas, ac praesumptiones non satis fundatas. Poterit tamen Episcopus summarie procedere, et contra ipsius sententiam neque Curiae Saeculari, neque reo permittitur appellatio, nisi sententia sit notorie iniqua. Solis autem Episcopis ejus rei cognitio, et facultas demandandi extractionem tribuitur, non aliis inferioribus Praelatis, etiamsi propriam habeant Dioecesim, et jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut occurrente casu in loco exempto et nullius Dioecesis, tunc negotium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur. Illud etiam edictum

est, ut si quis vulneraverit aliquem, et Chirurgi ad inspiciendum acciti grave vitae periculum adesse retulerint, percussor e loco immuni in quem se recepit, servatis servandis extractus carceribus mancipetur, ea tamen lege ut Ecclesiae omnino restituatur, ubi is qui vulneratus fuit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vixerit. Donec autem reus in loco immuni versatur, sententia mortis vel alterius poenae corporalis in eum ferri non potest, Cap. 6. de Immunit. Eccles.

Competit autem jus asyli non solum Ecclesiis quibuscumque Episcopi auctoritate erectis, licet consecratae non sint, sed simpliciter benedictae, imo licet in eis nunquam celebratum fuerit Sacrificium, aut pollutae sint, aut interdictae, verum etiam competit Ecclesiarum porticibus, atriis, scalis exterioribus, stillicidiis, Sacrario, modo Ecclesiae cohaereat, turri campanariae dummodo ab Ecclesia non ultra triginta passus distet, foribus aut valvis, murisque exterioribus, si quis eos apprehendat vel tangat, vel iisdem adhaereat, aut innitatur: itemque Coemeteriis fidelium sepulturae auctoritate Episcopi dedicatis, quamvis ab Ecclesia sejunctis, Monasteriis et Conventibus, omnibusque locis intra eorum septa constitutis, ac Religiosorum grangiis et hospitiis, Seminariis, Hospitalibus, aliisque hujusmodi religiosis locis auctoritate ecclesiastica erectis et institutis: demum palatio Episcopi ubicumque situm sit, imo ab Episcopo pro sua Episcopali habitatione conductum; item domibus parochialibus, quae ad ipsam Parochiam pertinent, non iis tamen quae a Parocho conductae sunt, nec domibus ipsis parochialibus, si a Parocho locatae laicis fuerint, et a laicis incolantur.

Contra Ecclesiasticae immunitatis violatores gravissimae poenae constitutae sunt. Atque in primis praeter sacrilegii reatum quod contrahunt, nulla sunt atque omni-

no invalida acta, quae per ipsos aut eorum ministros adversus reos e sacro avulsos loco fiant, ac praeterea quacumque auctoritate et dignitate praefulgeant, excommunicationem majorem ipso facto incurrunt, a qua excepto mortis articulo per solum R. Pontificem absolvi possunt. Absolutio autem ab hujusmodi censura nullius effectus ac momenti est, nisi prius reus eidem Ecclesiae, aut loco a quo fuit abductus, restituatur, et quidem publice restituendus est, ut eo publico poenitentiae actu reparetur injuria per violentam extractionem Ecclesiae irrogata, et fideles debitam locis sacris reverentiam praestari publico exemplo doceantur. Privantur etiam, uti supra innuimus, omni beneficio et jure ecclesiastici confugii et asyli tam apud Ecclesias et loca violata, quam apud alias quascumque Ecclesias aut loca immunia, dum quisque in eo puniendus est in quo deliquit, et frustra legis auxilium invocat, qui in legem ipsam commisit.

Jam vero violatae immunitatis Ecclesiasticae rei sunt. 1. Qui confugientes ad Ecclesiam ejecerint; eo enim ipso quod Ecclesiis immunitas conceditur, jus etiam ad eam confugiendi, et immunitate fruendi concessum esse censetur. 2. Qui impediunt aut prohibent, ne ad reos loco immuni receptos necessaria ad vitam agendam deferantur. Vicissim autem rei ad Ecclesiam confugientes ab omni molestia vel injuria locis immunibus afferenda abstinere tenentur. Mox arma debent deponere, data eis fiducia, quod Religionis nomine, melius quam armorum praesidio muniantur; nec permittendum, ut aliud quid agant, quod sanctitatem loci dedeceat uti in Ecclesia cibum sumere, somnum capere, aut aliis naturae necessitatibus satisfacere, quum hujusmodi actionibus locum congruum designare oporteat, atque hinc justum visum est, aliquo extra Ecclesiam spatio reos tutos esse. 3. Omnes capientes, extrahentes, incarcerantes reos, qui in locum

immunem confugerunt, in eoque commorantur; itemque extractionis, aliorumque hujusmodi actuum complices, fautores, mandantes, cogentes, et cooperatores, uti etiam qui reum in loco immuni existentem aut occidunt, aut percutiunt, aut laedunt, aut aliud quodlibet eidem damnum, seu spolium inferunt. 4. Qui dolose, fraudulenter, blandis verbis e loco immuni reum extrahunt vel abducunt, ut ab executoribus justitiae extra locum immunem capiatur. Et olim quidem sic dolose extractus loco immuni restituendus erat. At rei benignitate Ecclesiae abutebantur; namque capti, carceribusque mancipati frequenter proferre solebant sese a loco immuni dolosis blandisque suasionibus abductos fuisse, et dictum perjurio confirmare non verebantur. Itaque Clemens XI. peculiari decreto edito 22. Decembris 1716. mandavit, ut nemini in posterum prodesset fraudulentae aut dolosae extractionis contestatio, sed tantum iis prodesset asyli privilegium, qui ab Ecclesiis locisve immunibus per vim fuissent extracti, aut inde discessissent sub fide salvi-conductus ab aliquo Judice ordinario vel delegato concessi atque subscripti, quo casu salvus-conductus hujusmodi tueretur reum per illud praefinitum dumtaxat tempus, pro quo datus est. Ea tamen de re omnes moneri voluit per publicum edictum ab Ordinariis promulgandum, cujus exemplar eidem decreto adjunxit, ut scilicet qui in posterum ad loca immunia confugissent, attente curarent in iis permanere, nec se decipi ullis fallacibus blanditiis, suasionibus, promissis, dolisve paterentur. 5. Judices, Magistratus, carcerum custodes, aliique Curiae Saecularis Ministri, qui reum, etiam absque eorum mandato, ab Ecclesia ereptum restituere Ecclesiae renuunt. 6. Item Judices, aliique Curiae laicalis ministri et executores, qui in Ecclesiis caeterisque locis immunibus defunctorum cadavera inspicere et recognoscere audent. 7. Demum

quicumque judicium aliquod laicale, et maxime criminale in Ecclesiis locisve immunibus exercent, et generatim laici omnes, qui in Ecclesias, locaque sacra et immunia jurisdictionem sibi arrogant.

CAPUT VI.

DE MATRIMONIO

§ CXXXIII.

DE MATRIMONIO GENERATIM ET TOTIUS ARGUMENTI DISTRIBUTIONE

Sed jam agendum est de Matrimonio, quo quidem nullum arctius vinculum aut sanctius inter homines esse potest. Nam ex Apostolo Sacramentum hoc magnum est, quo non solum conjunctio Christi et Ecclesiae significatur, sed conjugibus etiam ex ipsius Christi meritis atque institutione gratia confertur, per quam naturalis amor perficitur, et indissolubilis unio confirmatur.

Ita fit honorabile in omnibus conjugium et torus immaculatus, filiorum educationi prospicitur, et dulcissimi propinquitatis nexus in humana societate colliguntur. Ex quibus satis intelligitur in hoc Sacramento tractando et exponendo omne studium nostrum ponendum esse. Sunt autem in eo quam plurima et ad fidem, et ad mores, et ad Jus Canonicum forumque ecclesiasticum pertinentia. Et ea quidem quae ad fidem et mores pertinent, vix attingemus, haec enim jure suo a Theologis et etiam a

Scriptoribus Juris publici Ecclesiastici traduntur et propugnantur. Nos reliquis ad Jus Canonicum privatum et ad judicia forensia pertinentibus operam dabimus, atque agemus; I. de Sponsalibus; II. de Matrimonii ipsius natura; III. de Impedimentis; IV. denique de proprietatibus et effectibus Matrimonii. Unamquamque autem disputationem in capita et quaestiones distribuemus, ut eorum nihil praetermittamus, quae in hoc amplissimo argumento graviora sunt, et cognitu utiliora.

CAPUT VII.

DE SPONSALIBUS

§ CXXXIV.

DE NOMINE ET NATURA SPONSALIUM

Sponsalia a *spondendo* seu sponte promittendo nomen habent. « *Nam mos fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde sponsi sponsaeque appellatio nata est.* » L. 2. et 3. ff. de Sponsal. Itaque sponsalia definiuntur « *futurarum nuptiarum promissio* » Can. 3. caus. 30. quaest. 5., sive ut habet Jurisconsultus lib. 1. ff. eod. « *mentio et repromissio futurarum nuptiarum.* » At Sponsalium nomen latiori sensu accipiunt Canonistae, eoque intelligunt etiam matrimonium ratum, sive consensum in praesens matrimonium: quam loquendi rationem ex usu Scripturarum profectam esse non ambigimus. « *Recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vo-*

centur uxores » inquit Hieronymus in Math. cap. 1. Hinc vitandae ambiguitatis gratia Sponsalia aut de praesenti, aut de futuro esse dicuntur, et ita quidem ut nomen Sponsalium de praesenti ad significandum matrimonium ratum, nomen autem Sponsalium de futuro ad solas dignoscendas futuri matrimonii promissiones usurpetur.

Sponsalia de futuro nuptiis praemitti debent, non quidem ut valeat matrimonium, sed ut cautius et ordinatius ineatur, quemadmodum magnitudo rei omnino postulat. Namque matrimonia sine praeviis sponsalibus, sine prudenti consideratione et judicio, sed potius casu vel impetu quodam effraeni contracta non bene solent prosperequе succedere, cum « *difficile sit ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio.* » Can. Principatus caus. 1. q. 1. Praeterea eadem matrimonia carent debita in Sacramentum reverentia, tum quia sponsi in iis vel motibus cupiditatis, vel angustiis temporis, vix et ne vix quidem possunt ad gratiam suscipiendam se disponere, tum quia sacramentum ipsum periculo nullitatis objiciunt, cum spatium non suppetat inquirendi, num adsit forte impedimentum quo matrimonium dirimatur. Quamobrem Tridentina Synodus praecepit ut matrimonium, antequam contrahatur, tribus festivis diebus publice in Ecclesia denuncietur, quemadmodum infra dicemus.

§ CXXXV.

DE FORMA SEU MODO CONTRAHENDI SPONSALIA

Sed uberius explicandum est quomodo sponsalia contrahantur. Sponsalia, ut dicebamus, nihil aliud sunt quam futuri matrimonii promissio. Igitur oportet ut per verba *promitto, spondeo, fidem meam obligo*, vel alia aequipollentia animus promittentium exprimatur. Quam-

obrem si dicatur *volo, cupio, expeto te in virum* vel *in uxorem accipere*, sponsalia non sunt, cum ea verba, aut hujusmodi alia simplex propositum, desiderium, voluntatem ineundi matrimonium, non veram promissionem contineant, et *velle contrahere* non est *contrahere*, uti merito tradit Sotus laudatus a Sanchez de Matrim. lib. 1. disputat. 18.

Itemque Sponsalia non erunt, si dicatur « *libensne me in virum*, vel *in uxorem acciperes?* aut hujusmodi aliud, quia talibus verbis interrogamus, animumque alterius exploramus, non matrimonium pollicemur. Verum si interrogationem sequatur responsio per modum stipulationis, veluti si quis foeminam roget « *vis me in virum habere?* » et illa respondeat » *volo* aut *spondeo* » sponsalia contracta sunt, namque interrogatione illa et responsione mutuam obligationem induci plane constat ex natura et vi stipulationis, quod jus exhibent Jurisconsulti de verbo obligationis agentes: extantque passim apud Comicos talium stipulationum exempla. Sic Lysiteles apud Plautum in Trinummo stipulatur. « *Sponden' ergo tuam natam uxorem mihi? - Spondeo.* »

Sponsalia interdum promittuntur per verba exceptiva, aut negativa, uti « *promitto non aliam ducturum nisi te,* vel *praeter te*, vel *quam te: nunquam te delinquam pro alia: non contraham cum alia matrimonium.* » Controversia igitur est, an isthaec promissio obligationem inducat. Sanchez de Sponsal. et Matrim. lib. 1. disput. 19. n. 3. existimat eas promissiones nec esse matrimonium, nec sponsalia, sed promissiones conditionatas, vi quarum promittens tum demum illam cui sic promisit in uxorem ducere tenetur, si matrimonium inire voluerit; non tamen adstringitur ad nuptias contrahendas, et caelebs manere potest. Nam promissiones negativae eo sensu accipi vulgo solent, veluti si dicatur « *nulli domum meam vendam nisi*

tibi » nec domus venditur, nec obligatio ad eam vendendam ex iis verbis plane oritur, sed tantum obligatio conditionata tibi vendendi, si promittens vendere voluerit, Arg. L. Si sterilis 21. §. 5. ff. de action. empt. Haec sententia recepta et probata est a S. Congregatione Concilii in *una Ventimilien. Sponsalium* diei 1. Junii 1709. in qua ex Sponsalium syngrapha per virum et mulierem subscripta et his verbis exarata » *Ego infrascriptus dico et promitto non aliam ducturum, nisi Benedictam infrascriptam quemadmodum ipsa promittit et jurat* » declaravit, « *non constare de Sponsalibus absolutis, et promittentes non esse cogendos ad contrahendum.* »

At vero si verbis negativis affirmatio seu promissio adjecta sit, puta « *non aliam, sed te ducam* » sponsalia erunt, quod satis perspicuum est. Generatim autem, quoties verba sunt dubia, pro regula sit, verba dubia in foro quidem conscientiae obligare juxta contrahentium intentionem, quia vis omnis et potestas verborum ad pariendam obligationem ex interno consensu manat; in foro autem externo standum non esse contrahentium intentioni, nam Ecclesia non judicat de internis, sed potius sensui quem verba secundum loci consuetudinem et communem acceptationem habere solent.

Quod si post diligens examen de verbis aut signis externis non satis constet, plerisque Canonistis videtur judicium pro libertate ferendum esse, cum sponsalia multis nominibus dissolvi possint, et jura sint promptiora ad liberandum quam obligandum, lib. 47. de O. et A: atque etiam nemo ad celebrandum matrimonium cogendus est, propterea quod matrimonia coacta solent funestos et tristes habere exitus, cap. 17. hoc tit.

Haec autem ad sponsalia pertinent, nam de matrimonio aliter sentiendum est, quoniam, ut ait Sanchez de Matrim. lib. 1. disputat. 18. « *in dubio sit matrimo-*

nium, nec ne, in matrimonii favorem sententiam ferendam, quia matrimonii favor multus est, ut constat ex Cap. Ex LITTERIS *de Probation. ubi deciditur existentibus probationibus paribus judicem absolvere debere, praeterquam in liberali causa, ubi Glossa verb.* In liberali *ait,* ut in matrimonio: *et cap. fin. de sent et re judic. decidit textus, duobus judicibus ordinariis diversas sententias proferentibus praeferri semper sententiam in favorem rei, nisi in causa favorabili matrimonio.* » In quam sententiam plures Doctores nominat, deinde sequitur « *idem dicit Berojus, quando opinio favet causae piae, et opinionem faventem matrimonio, vel causae piae praeferendam esse docet etiam Navarrus, et probatur ex Cap.* LICET EX QUADAM *in fine de test. et attest.* »

§ CXXXVI.

DE NECESSARIA IN SPONSALIBUS DELIBERATIONE

Promissio Matrimonii, ut valeat, quinque postulat qualitates, quas breviter exponemus. Primo debet esse *deliberata*, hoc est facta cum plena et integra advertentia, ut scilicet promittens et quid agat, et ad quid se obstringit advertat. Si enim ex qualibet promissione non oritur obligatio, nisi adsit plenus consensus promittentis, consensus enim hujusmodi sine plena deliberatione nec esse, nec intelligi potest, consequitur in sponsalibus, quae adeo gravem obligationem pariunt, plenam deliberationem desiderari. At vero quantam esse advertentiam oporteat, ut deliberatio plena sit, disputant Canonistae: « *nihilominus dicendum est,* ait Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 8. n. 5., *eam deliberationem sufficere et exigi, quae in materia lethalis culpae sufficit, ut consensus sit mortalis: unde si quis ira, aut alio passionis motu subito percitus sponsalia contrahat, si tanta est passio ut rationis*

judicium obtenebrarit, et deliberationem ad peccatum mortale requisitum impedierit, adeo ut si illo subito motu hominem interimeret, non esset mortale, tunc sponsalia non erunt valida ob defectum deliberationis: si autem non ita impedierit deliberationem, quin homicidium illud tunc admissum esset culpa lethalis, sponsalia erunt valida. » Ex qua sententia, quae magis inter Doctores recepta et probata est, duo praesertim consequuntur: et 1. invalida, nulliusque effectus esse sponsalia ab amentibus, furiosis, ebriis, mentecaptis celebrata, sive ipsi inter se, sive cum aliis ratione utentibus contraxerint: carent enim rationis usu, et proinde, quae ad peccandum in primis requiritur, facultate deliberandi. Veruntamen si ad sanam mentem redierint, vel lucida habuerint rationis intervalla, valebunt eo tempore sponsalia, quae contraxerint. Deinde consequitur: 2. sponsalia a ratione utentibus contracta, nisi aliud obstiterit, rata esse, etiamsi aut ira, aut aliqua perturbatione incitati iniverint. Namque in iis animi motibus semper quidem, aut saepius agunt sine consilio et prudentia, non tamen sine advertentia et deliberatione, cum probe intelligant quod agunt; unde meriti et demeriti capaces sunt, modo tamen animi motus et perturbatio tanta non sit, ut usum rationis adimat. Quamquam vero vis et metus etiam gravis advertentiam rationis et libertatem, atque adeo deliberationem non perimat, eam tamen vitiat, et idcirco facile assentior iis qui putant, sponsalia vi, seu metu injusto inita nec jure naturali, nec canonico consistere, ac nullum proinde effectum, nullamque obligationem parere; siquidem in promissionibus coactis, licet consensus adsit, nullitas contractus inspecto jure naturali profluit ex parte cogentis, qui ex tali promissione nullum consequi jus potest. Qui enim vim intulit, aut metum incussit, jus seu titulum acceptandi quod datur vel promittitur, consequeretur pro-

pter vim aut metum quo promittentem injuria affecit, sicque ex proprio delicto lucrum reportaret, quod iniquum est. Hac de causa promissio facta latroni de pecunia solvenda, vel facta foeneratori de solvendis usuris, naturali jure non valent, et ideo foenerator et latro promissam pecuniam nequeunt recipere, receptamque restituere tenentur, non quod consensus simpliciter voluntarius in promittente defuerit, sed quod eis defuit jus seu titulus eam pecuniam accipiendi retinendique. Promittens etiam non tenetur reddere quod facturum vel daturum promisit, nisi forte juraverit se soluturum, idque ob vinculum Religionis, cujus relaxatio peti sine alterius injuria potest. Consonat jus Canonicum; namque Alexander III. Can. Debitores de Jurejurando: « *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. Et cum usurae solutae fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.*

At ubi vis metusque gravis et injustus injectus a quodam sit, non colludente eo cui nuptiae promittuntur, si non jure naturali, at certe jure canonico sponsalia irrita sunt, aut saltem irritari possunt; Pontifex enim generatim edicit: « *quae metu et vi fiunt, debent in irritum revocari* » cap. 2. de iis quae vi metusque causa fiunt; et rursus « *quae vi metusve causa fiunt, carere debent roboris firmitate* » cap. 4. eod. tit.

Denique deliberationem in sponsalibus tollit error circa personam, vel qualitatem ejus substantialem; error enim aufert cognitionem objecti, sine qua esse nequit deliberatio, aut ullus voluntatis consensus. Ceterum de vi, metu et errore plura dabimus, ubi matrimonii impedimenta exponemus.

§ CXXXVII.

DE CERTA PERSONA IN SPONSALIBUS DESIGNANDA

Dein in Sponsalibus requiritur, ut promissio sit certa et determinata : sponsalia enim sunt via ad matrimonium, et quaedam ipsius inchoatio. Igitur consistere nequeunt, nisi cum una, eaque certa et determinata persona contrahantur, secus enim matrimonium non inchoarent, quod individuam unius viri et mulieris societatem continet. Illud etiam accedit quod a sponsalibus indeterminatis impedimentum publicae honestatis non oritur, uti Bonifacius VIII. declaravit cap. unic. de Sponsal. in 6.° : hoc autem manifeste probat, hujusmodi sponsalia non consistere; namque satis exploratum ex omnibus ratis sponsalibus illud impedimentum proficisci. Ex quibus sponte fluit non contrahi vera sponsalia, si quis tribus puellis, ex. gr. tribus sororibus spondeat sese unam ex eis in uxorem ducturum, et illae promissionem acceptent et repromittant.

Sed quaeres, an ulla ex his promissionibus obligatio enascatur. Nullam plane gigni existimat Schimier Jurispr. Can. Civil. lib. 4. tractat. 1. cap. 4. Sed communior sententia est ex eo mutuam obligationem oriri, non vi sponsalium quae nulla sunt, sed ratione mutuae promissionis. Quamobrem tenetur promittens unam ex tribus eligere quam maluerit, nam ipsius est electio, ex cap. 70. de Reg. Jur. in 6.° « *In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterutrum adimpleri* »; et vicissim electa tenetur in futuras nuptias consentire; quo facto certa et valida sunt sponsalia, et impedimentum publicae honestatis pariunt.

§ CXXXVIII.

DE ANIMO SE OBLIGANDI

Tertio requiritur, ut promissio sit vera, non simulata, quia simulatae nuptiae nullius momenti sunt, ut loquitur L. Simulatae 30. ff. de ritu nuptiar. Non enim verba, seu sonitus verborum, sed internus consensus et animus sese obligandi obligationem inducunt, Cap. Tua 26. de Sponsal. et Matrim. Enimvero obligatio quaelibet a lege non dimanans, oriatur oportet ex privata hominis voluntate qui libere velit obligationem ipsam suscipere: ex quo fit ut deficiente animo suscipiendae obligationis obligatio non exoriatur, estque in jure certum et exploratum « *actus agentium non operari ultra intentionem eorumdem.* » Obligatio autem in sponsalibus non a lege, sed a voluntate libera promittentis proficiscitur. Nulla igitur erit obligatio ineundi matrimonii, quando in promittente defuit animus et voluntas se obligandi. Simulator autem peccat graviter quod in re gravi mentitur et alterum decipit, ac insuper ratione fraudis et injuriae illatae tenetur ad fictionem tollendam, seu ad consensum ex animo praestandum, aut saltem ad damna compensanda, si quae pars decepta passa fuerit.

Verum haec in foro conscientiae. Nam quod pertinet ad forum externum, ubi constet de promissione, praesumitur promittentem ex animo se obligandi promisisse, adeoque nisi probet se locutum esse per jocum qui ex verbis aut circumstantiis perspici potest, omnino cogitur promissis stare, fidemque praestare, tum quia ex L. Labeo ff. de Supellect. leg. « *nemo existimandus est dixisse quod non mente cogitaverit* »; tum quia facile quis

posset vim sponsalium eludere propriam fictionem allegando: fraus autem et dolus nemini debet patrocinari.

Obvia quaestio hic est, quanam obligatione teneatur, qui sub ficta promissione matrimonii virginem defloraverit? In hac quaestione non omnes sentiunt unum atque idem. Plures affirmant defloratorem obstringi ad dotandam et simul ducendam defloratam, non quidem vi fictae promissionis quae nullam obligationem inducit, uti hactenus dictum est; neque ratione damni et injuriae illatae, quia de injuria et damno illato deceptor poterit satisfacere per dotis constitutionem aut aliam compensationem; nec demum ratione contractus innominati « *facio ut facias* » quatenus virgo sui corporis copiam fecit, ut alter vicissim futuras nuptias promitteret, quia pacta turpia, seu ob turpem causam inita nullius momenti sunt, L. 26. ff. de verb. oblig. quae ita enunciatur « *generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti* »: sed eam obligationem oriri volunt ex Lege, seu cap. 1. de adulter. et stup. ubi ita sancitum est. « *Si quis seduxerit virginem dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit uxorem.* » Ex hoc autem capite autumant satis apertum esse, defloratorem duplici ea poena copulative mulctari, nec fas esse particulam Canonis copulativam in disjungentem ita torquere, ut defloratoris arbitrio relinquatur aut ducendi, aut dotandi, tum quia nulla subest causa ejus disjunctionis faciendae, tum quia usus Tribunalium Ecclesiasticorum est, ut deflorator tum ad dotandam, tum etiam ad ducendam mulierem condemnetur. Contra plerique sentiunt, verba ejus Canonis non copulative, sed disjunctive esse sumenda, ut sensus sit - vir qui seduxerit virginem, dormieritque cum ea *dotabit eam, aut habebit uxorem* - quod in jure novum non est, nam ut habetur L. 53. ff. de verb. signif. « *saepe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur* ». Quare deflorator aut dotet, aut

nubat necesse est, ipseque poterit alterutram poenam eligere, quia « *in alternativis debitoris est electio* » cap. 7. de Reg. Jur. in 6.° Haec autem interpretatio nititur tum hodierna consuetudine Tribunalium magis recepta, tum etiam Cap. Pervenit eod. tit., ubi videtur praefati capitis rigori derogatum esse, namque constituitur ut deflorator virgini stupratae nubat, sin minus corporali poena afficiatur. In hac vero sententiarum disparitate forte aequius tutiusque est, ut quaelibet ecclesiastica tribunalia receptam in eis consuetudinem usumque consectentur. Interim apud omnes utriusque sententiae patronos haec certa sunt: 1. praedictum Caput primum de adult. et stup. praestituere poenam positivam, quae rei cognitionem et sententiam condemnatoriam postulat. 2. Cessare obligationem ducendi et dotandi, quum puella non erat virgo, aut virgo deflorata fuit sine ulla promissione matrimonii, nam duplex poena et dotis dandae, et matrimonii contrahendi ei tantum irrogatur qui « *seduxerit virginem, dormieritque cum ea* ». 3. Eamdem obligationem cessare, quum puella ex verbis aut aliis apertis conjecturis facile potuit fallacem animum promittentis perspicere. Nam Caput loquitur de seductione; tum enim vero non videtur seducta, sed voluntarie fraudi consensisse, quandoquidem dum animadvertit, aut potuit animadvertere promissioni subesse dolum, et tamen sui copiam facit, non id facit seducta promissione matrimonii, quam fictam esse sufficienter intellexit, sed voluntate sua, veluti si vir promittens nobilitate generis, vel divitiis insigniter ab ea distaret. Ob tantam enim inaequalitatem illud merito praesumitur, quod mulier potius se deceptam finxerit, quam reapse decepta sit. In hujusmodi autem casibus videtur deflorator ad reparationem damnorum, si quae mulier passa est, obligari, non quidem ita integre quemadmodum decipiens teneretur, sed prudentis arbitrio, considerato

ex una parte damno quod illatum est, ex altera vero foeminam sua sponte deceptam esse: de quo confer Zech de Judic. crimin. §. 412.

§ CXXXIX.

DE MUTUA PROMISSIONE

Quarto requiritur, ut promissio Matrimonii sit mutua, hoc est a viro et muliere vicissim facta et acceptata. Sponsalia enim definiuntur « *mentio et repromissio futurarum nuptiarum* »: qua de re ubi non est utriusque promissio et acceptatio, non sunt sponsalia. Igitur promissio unius nihil efficit, nisi alter vicissim ratihabeat, et spondeat; et promissio poterit a promittente revocari, antequam alter acceptaverit et repromiserit, namque contractus non est, quamdiu contrahentes in idem placitum non consenserint. Quaeritur autem, an promissionis acceptatio vim habeat repromissionis, ita ut acceptans quamvis expresse non repromittat, virtualiter tamen repromittere seseque obligare intelligatur? Negativa sententia plerisque placet, et optimo quidem jure: siquidem sponsalia non sunt gratuita et liberalis promissio, sed contractus onerosus *facio ut facias*. Igitur natura sua implicitam conditionem habent mutuae obligationis et repromissionis, adeoque acceptatio sponsalitiae promissionis suapte natura acceptationem conditionis seu repromissionis futuri matrimonii desiderat, dum praesertim futurae nuptiae promittuntur non gratis, et per modum liberalis promissionis, sed respective et per modum contractus ultro citroque obligatorii, velut si promittens dicat « *promitto tibi si tu repromittas* » vel aliis verbis, aut apertis indiciis animum suum prodat contrahendi vera sponsalia, quibus uterque obstringatur. Unde si quis pro-

missionem hujusmodi acceptaret sine animo repromittendi et se vicissim obligandi, tunc promissio et acceptatio nihil operantur, et neuter obstrictus manet; non promittens, quia ejus promissio non fuit liberalis, nec absoluta, sed conditionata, adeoque conditione non impleta, seu altero non repromittente nulla oritur obligatio: non acceptans, quia ipsi defuit voluntas se obligandi: actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum, L. Non omnis ff. de reb. cred.

Sed aliter sentiendum est, quando promissio fiat *gratis* et *liberaliter;* tunc enim acceptatio promittentem ligat, etiamsi acceptans nec repromittat, nec obligetur. Promissio autem liberalis et gratuita est, cum in alterius arbitrium et favorem unice conferatur. Tunc siquidem acceptatio non habet vim et effectum repromissionis, sed solus promittens non vi sponsalium quae claudicare non possunt, sed vi promissionis acceptatae obstrictus manet, donec puella intra congruum vel praefinitum tempus animum suum aperuerit. Itaque si puella repromittat, sponsalia tunc erunt; si repromittere renuat, promittens a vinculo promissionis absolvetur.

« *Refert autem multum,* uti ad rem observat Sanchez lib. 1. de Sponsal. disput. 5. n. 8., *an promissio haec obliget vi sponsalium, an vi simplicis promissionis, cum priori casu oriatur impedimentum publicae honestatis, posteriori autem minime. Dices autem,* prosequitur idem Auctor cit. loco num. 15., *quando censebitur per modum contractus, et quando gratis promittere?* » Respondet autem « *promittentis intentioni standum esse; quod si de ea minime constet ex conjecturis desumptis, ex antecedentibus deprehendetur. Si enim de matrimonio inter eos contrahendo tractabatur, manifestum est promissionem non esse gratuitam; si autem de hoc nullatenus sermo erat, sed ob aliquod beneficium acceptum quasi se gratum exhibens, promisit, cen-*

setur ex gratitudine ac benevolentia promisisse, et non per modum contractus respectivi: in dubio autem censetur juxta sponsalium naturam, quae est ut sit contractus mutuus et respectivus, promittere; quare altero non repromittente, minime tenebitur. »

§ CXL.

DE EXTERNA MANIFESTATIONE PROMISSIONIS

Quinto tandem requiritur, ut promissio futuri matrimonii sit externa, videlicet ut voce, aut scripto, aut aliis externis signis proferatur, cum intentio mente retenta nihil in humanis contractibus operetur, L. Cum in plures 60. § *Locator* ff. Locati. Itaque contrahendis sponsalibus impares sunt visu, auditu et loquela destituti, qui nempe simul muti, surdi et caeci sunt: isti neque verbis, neque signis possunt jura et obligationes sponsalium edoceri, neque valent aut proprium consensum exterius significare, aut alterius consensum sufficienter percipere et acceptare. Contra autem mutus vel surdus tantum, aut etiam mutus simul et surdus valide contrahit sponsalia vel matrimonium; « *cum quod verbis non potest, signis valeat declarare* » ut inquit Pontifex Cap. Cum apud 23. hoc tit. Disputatur autem, num silentium ad oblatas sibi nuptias sufficienter exprimat consensum, locumque hic habeat regula Juris 43. in 6.° « *qui tacet consentire videtur.* » Sit ex. gr. puella, cui a viro paris conditionis offerantur nuptiae, atque etiam promittantur; ipsa vero quamvis interius consentiat, exterius tamen nec verbis, nec signis ullis animum suum aperiat, sed tantum sileat. Jam vero communior sententia est, solam taciturnitatem adminiculis aliis destitutam satis non esse ad inducendam sponsalium obligationem; silentium enim per se in contractibus

ineundis nihil efficere posse videtur, dum contrahentium animum nec probat, nec manifestat, sed quid medium est inter expressionem consensus et dissensus juxta regulam Juris 44. in 6.° « *qui tacet non fatetur, sed neque negare videtur.* » Itaque prior regula « *qui tacet consentire videtur* » ex magis recepta interpretatione locum habet in actibus favorabilibus, qui nullum onus et gravamen afferunt tacenti; nam quisque praesumitur velle quod sibi bonum est atque utile, non autem in illis quae onus adnexum habent, aut damnum afferre possunt, ut in sponsalibus aliisque contractibus onerosis, L. 8. ff. de Procurat. « *invitum accipere debemus non eum tantum qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur.* » Sunt autem duo casus in quibus tacens habetur pro consentiente et contrahente. 1. Si tacens aliquo facto indicium praebeat ex quo animus contrahendi prodatur. 2. Si filius taceat, dum ipsius nomine sponsalia a parentibus contrahuntur. Et quod primum spectat, tria potissimum sunt indicia seu signa, quibus consensus tacentis in sponsalibus explicatur. Primum est subarrhatio, hoc est immissio annuli ejusque receptio, ubi tamen ex parte immittentis annulum praecesserint verba consensum in futuras nuptias exprimentia: tunc enim altera pars, etiamsi taceat, consentire censetur facto ipso dum annulum recipit. Secundum est arrharum et donorum acceptatio, quando nempe habito inter amicos tractatu de matrimonio contrahendo, sponsus misit arrhas vel jocalia, aut annulum, aut etiam pecuniam nomine doni sponsalitii, et mulier haud ignara praecedentis tractatus acceptavit. Illis enim muneribus datis vicissim et acceptis veluti confirmatur, ratumque habetur quod ab amicis ea de re gestum fuit. Tertium est porrectio manuum, uti si viro promittenti futuras nuptias foemina porrigat manum, porrectio enim dexterae indicium est datae fidei.

Num vero sponsalia sint, dum foemina non ultro porrigit dexteram, sed a viro offerenti nuptias apprehensam non retrahit, vide Pontium de Matrim. lib. 2. cap. 11. Interim Canonistae communiter monent, quoties oporteat animum contrahentis ex signis et indiciis colligere consuetudinem loci in primis spectandam esse.

Praestat hoc loco monere aliqua de sponsalibus, quae parentes pro filiis praesentibus et tacentibus ineunt. Extat decisio Bonifacii VIII. in cap. unico de Desponsat. impub. in 6.° his verbis. « *Porro ex Sponsalibus quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite si praesentes fuerint, neque contradixerint, obligantur.* » Itaque dum filii praesentes sunt, atque intelligunt ipsorum nomine a parentibus sponderi nuptias, vel si absentes fuerint, postmodum ea de re certiores ab ipsis parentibus facti tacuerint, neque verbis aut signis ullis contradixerint, censentur parentum facta approbare, rata et grata habuisse. Porro decisio Bonifacii VIII. locum sibi vindicat tam respectu filiorum, quam filiarum sive puberes, sive impuberes, sive emancipati sint, sive non; loquitur enim generatim et absolute sine sexus aut conditionis distinctione « *pro filiis puberibus et impuberibus* ». Itemque ea potestas valide contrahendi pro filiis attribuenda est non solum patri, sed etiam matri, tum quia in cit. cap. Bonifacii VIII. de parentibus sermo est, quo vocabulo uterque parens designatur, tum quia decisio Pontificis nititur tam reverentia quae parentibus naturali jure debetur, quam paterno amore quo parentes recte filiis consulere praesumuntur; quae quidem rationes in matribus quoque militant. Nonnulli Doctores putant ea juris dispositione contineri etiam tutores, curatores et alios qui parentum loco sunt, ut videlicet tutor pro pupillo, curator pro minore praesente et non contradicente valide sponsalia contrahant.

At sententia multo probabilior contendit, illud esse praecipuum et speciale in parentibus, quod filios possint sine eorum mandato aut expressa ratihabitione ad futuras nuptias obligare, tum quia citatum caput Bonifacii VIII. de solis parentibus verba facit, tum quia tutoribus aliisque non eadem reverentia debetur ac parentibus, tum demum quia alius est amor et providentia parentum erga filios, ac tutorum et curatorum.

§ CXLI.

DE SPONSALIBUS PER EPISTOLAM AUT PROCURATOREM INITIS

Sponsalia contrahi possunt tam inter praesentes, quam inter absentes, per litteras, per internuncium, aut per procuratorem: itemque pure in diem, vel sub conditione, adjectis etiam pactis, uti perdendae arrhae, si una pars sine justa causa resilierit.

Jam vero per litteras, aut internuncium, vel procuratorem sponsalia celebrari posse statuitur in L. final. ff. hoc tit., ubi diserte Ulpianus ait: « *In Sponsalibus constituendis parvi refert per se et coram, per internuncium vel per epistolam, an per alium hoc factum est.* » Jure etiam Canonico, et praesertim cap. ult. de Procurat. in 6.° probatum est ut vicaria alterius opera consensus in nuptias edi possit. Itaque operae pretium est, ut in primis explicemus, quemadmodum per epistolam vel procuratorem sponsalia valide contrahantur. Jam vero sponsalia rite per epistolam ineuntur, dum quis literis datis futuras nuptias alteri promittit, et vicissim persona quae litteras accipit, vel rescribendo, vel coram aliis ad eam rem convocatis animum suum declarando promissionem acceptat et repromittit, idque promittenti significatur. De

caetero consensus simultaneus ad sponsalium validitatem non postulatur, sed satis est ut quemadmodum in reliquis contractibus obtinet, qui prior consentit, in voluntate perseveret, donec altera pars in idem placitum consentiat. Internuncius autem vel procurator ut rite contrahat, instructus sit oportet speciali mandato ad contrahendum, et quidem non indefinite cum qualibet persona, sed cum certa et determinata, ore vel litteris eidem procuratori designata. Constat ex L. gen. 34. ff. de ritu nupt., ubi « *generali mandato quaerendi mariti filiaefamilias non fieri nuptias rationis est: itaque personam ejus patri demonstrari qui matrimonio consentit, ut nuptiae contrahantur, necesse est* ». Huic legi consentit glossa in cap. fin. de Procurator. in 6.° Item glossa in Can. Nec illud 30. q. 5. affirmat matrimonium non posse inter absentes contrahi nisi se invicem si non facie, at saltem fama vel alia ratione noverint, cum in eam personam quae prorsus ignoratur consentire haud possimus, unde tritum sermone proverbium « *ignoti nulla cupido* ». Praeterea internuncius, aut procurator per se ipsum exequi mandatum debet, nec vices suas alteri committere potest, nisi facultas substituendi specialiter in ipso mandato contineatur, quia ob negotii gravitatem personae industria censetur electa. Denique observandum est nullius momenti sponsalia esse, si quo tempore internuncius vel procurator contrahit, mandatum revocatum sit, quamvis revocatio lateat procuratorem et alterum sponsum. Hoc enim ex cap. final. de Procurat. in 6.° speciale est in sponsalibus et matrimonio, nam in caeteris contractibus revocatio mandati actum non infirmat, nisi procurator, vel is cujus interest, de revocatione certior factus sit; cujus sane discriminis ratio est, quod in iis quidem jus possit supplere consensum, non autem in sponsalibus et matrimonio.

§ CXLII.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI SPONSALIUM ADJECTIS

Sponsalibus non secus ac ceteris negotiis conditiones possibiles ac honestae adjici posse certi juris est, veluti promitto nuptias, si tantum dotis intuleris, si pater aut alius consenserit. Quoniam vero conditiones suspendunt negotia quibus adjiciuntur, ita sponsalia sub talibus conditionibus inita non aliam obligationem pariunt, quam ut eventus conditionis expectetur. Impleta vero conditione sponsalia pura fiunt, et ad nuptias contrahendas obligare incipiunt; quae eadem obligatio oritur, si ille in cujus gratiam conditio adjecta est, eam vel expresse, vel factis ipsis remittat. Conditioni appositae renunciatum censetur, dum illa adhuc pendente sponsi jam copulam exercuerunt, Cap. Per tuas 6. de condit. apposit.

Verum si conditiones turpes, et substantiae matrimonii repugnantes sponsalibus adjiciantur, sponsalia nulla sunt: conditiones autem turpes aut impossibiles quae tamen substantiae matrimonii non repugnant, in favorem sponsalium pro non adjectis habentur, ut tradit Sanchez de Matrim. lib. 5. disp. 17., quam sententiam Doctores communiter amplectuntur. Verum de his plura dabimus, ubi de conditionibus matrimonio appositis sermo erit.

§ CXLIII.

DE ARRHIS SPONSALITIIS

Nunc breviter de Arrhis dicendum est. Arrharum nomine veniunt res, quas unus ex sponsis, vel uterque alteri tradit in contractorum sponsalium tesseram, et in

pignus matrimonii ineundi. Plane cujus generis, quantitatis, aut pretii res sint, nihil refert, quum legibus permittentibus arrhas nulla praescripta sit rei qualitas aut quantitas. Secuto matrimonio arrha restituenda illi est qui tradidit, quemadmodum pignora in contractibus reddenda sunt, statim ac res praestita, aut promissio impleta est. Item restituenda arrha, si matrimonium absque ulla contrahentium culpa, puta alterius morte, celebrari non potuerit: « *arrhis sponsalium nomine datis, si interea sponsus vel sponsa decesserit, quae data sunt, jubemus restitui* » ita L. 3. Cod. de Sponsal. et Arrh. Concinunt etiam Doctores omnes, arrham non amittere qui ex justa causa resilit a sponsalibus, veluti si religionem ingrediatur; non enim mulctandus est poena qui nihil deliquit, nec ulli injuriam facit dum utitur jure suo. Denique perspicuum est, arrhas reddi oportere, dum sponsalia mutuo consensu dissolvuntur. At vero si ob culpam unius ex contrahentibus, altero rationabiliter invito, matrimonium non sequatur, tunc violator fidei et suas arrhas perdit, et acceptas reddere tenetur. Quod si nullas ipse tradiderat, non solum acceptas restituere, sed aliud tantumdem ex proprio patrimonio, seu earum aestimationem adjicere cogitur; nullam siquidem pateretur poenam, si illud tantum, quod acceperat, restitueret. Quin imo si contrahentes de duplo, aut triplo aut quadruplo reddendo pactionem fecerint, pacta servanda sunt, sed pactum de restituendis arrhis ultra quadruplum nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat, uti loquitur citata Lex 3. Cod. de Sponsal. et Arrh.

Haec tamen aliquas subeunt limitationes, quarum prima est, consuetudines locorum aut provinciarum retinendas esse, si quae adversus jus commune invaluerint. Sane plures Canonum Interpretes testantur moribus multarum gentium receptum esse, ut arrhae secuto matri-

monio non reddantur. Altera est, minorem annis viginti quinque etiamsi citra legitimam causam a sponsalibus recesserit, tantummodo ad id quod accepit reddendum teneri, hoc est ad acceptas arrhas restituendas, suas autem si quas dederat, non amittere. Tertia est, parentes qui sponsalia nomine filiorum contracta datis vel acceptis arrhis confirmarunt, eximi a poena perdendae arrhae, vel alienae in duplum restituendae, si filii datam ab ipsis parentibus fidem praestare nolint, dummodo parentes nullam ejus infidelitatis causam dederint, sed curaverint, ut sponsalia, sicuti par erat, implerentur. Nam hujusmodi promissiones alieni facti juxta jus commune, et magis receptam Doctorum sententiam resolvuntur in obligationem faciendi, curandique, quoad ejus fieri poterit, ut promissio compleatur, L. final. ff. ad L. Rhodiam de Jactu; Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 25. et 26.

§ CXLIV.

DE POENA SPONSALIBUS ADJECTA

Arrhis valde affinis est poena conventionalis, seu pactio sponsalibus adjecta, qua contrahentes sese invicem obstringunt ad poenam, seu certam pecuniam solvendam, si promissis non steterint. In hoc tamen differunt, quod arrha actualiter traditur, et poena promittitur, quodque communiter arrha in exigua quantitate, poena autem in majori constituitur, cum quisque sit ad promittendum pronior quam ad tradendum. Jam vero si poena ita sponsalibus apponatur, ut ab eo etiam qui ex justa causa resilit solvenda sit, nemini dubium est, quin naturae et indoli matrimonii per se repugnet, cum matrimonia libera sint oportet. Sic Gregorius IX. in Cap. Gemma de Sponsal. et Matrim. « *Cum libera matrimonia esse debeant,*

et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit merito improbanda, mandamus, si ita est, eumdem B. ut ab extorsione praedictae poenae desistat, ecclesiastica censura compellas. » Ea poenae appositio jure etiam civili vetita satis aperte videtur, L. Titia ff. de V. S., et L. Libera Cod. de inutil. Stipulat. Hinc S. Thomas in 4. distinct. 27. quaest. 2. a. 3. ad 4. haec habet: « *quandoque autem apponitur conditio pecuniae per modum poenae, et tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi poena ab eo qui non vult matrimonium complere*». Et S. Antoninus 3. part. Summ. Theolog. tit. 1. cap. 18. ait. « *Licet sponsalia possint contrahi sub conditione promissae pecuniae, non tamen potest pecunia amitti per modum poenae, et si promissa fuerit, non tenet promissio, nec peti potest.* » Nihilominus Canonistae recentiores hinc inde pugnant, an idem jus obtineat, si modica poena ita fuerit sponsalibus adjecta, ut solvi ab eo debeat qui injuste et perfide recessit. Aliqui enim contendunt, hanc quoque appositionem poenae nullam esse atque irritam, tum quia per citatas leges canonicas et civiles omnis poena in sponsalibus generatim reprobatur, nullo facto discrimine an poena modica sit, an magna, tum quia poena sponsalibus adjecta semper officit libertati matrimonii; proclive enim est, ut matrimonium non amore potius, sed metu poenae convalescat, et ob eam causam infelicem exitum sortiatur. Alii contra sentiunt, adjectam in eum poenam, qui sponsalium fidem injuste et perfide violaverit, nullo jure improbari irritamque decerni, non Jure civili, quod adductae leges per novellam Constitutionem 18. Leonis Imperatoris emendatae sint vel antiquatae; non Jure canonico, quod citatum Cap. Gemma plane loquitur de sponsalibus quae ob defectum aetatis non valebant, unde immerito poena adjecta fuerat; non denique jure naturali, quatenus hujusmodi poena ad

actum per se honestum impellit, scilicet ad fidem praestandam, nec ullo pacto contrahentium libertas laeditur, nam qui justam non habet causam resiliendi a sponsalibus, jam libertate caret, atque ipse ut stet promissis, cum leges jubeant, tum etiam per censuras ecclesiasticas compelli potest.

Verumtamen ratio decidendi, quam Pontifex subjicit in Cap. Gemma, adeo generalis est, ut plane videatur prior sententia Juri Canonico magis congruere, atque adeo quaelibet poena sive magna, sive modica, sive in eum qui legitime, sive in eum qui injuste resilit constituta improbari.

§ CXLV.

DE PERSONIS AD INEUNDA SPONSALIA IDONEIS

Sponsalia rite contrahunt qui natura vel lege non prohibentur. Vetantur autem natura ipsa amentes, furiosi, aliique rationis usu carentes, itemque destituti sensibus ad percipiendum, vel consensum exprimendum, quemadmodum supra diximus; pueri septem annis minores ex sententia Jurisconsultorum, quam Pontifices secuti sunt, quia rationis usu non pollent, et ea proinde aetate contrahendis sponsalibus inepti sunt. Ad rem S. Thomas in suppl. quaest. 43. a. 2. « *Primus hominis status est cum quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. Et hunc statum obtinet homo ante primum septennium, et proinde illo tempore nulli contractui aptus est, et ita nec sponsalibus.* » Igitur aetas septennii completi ad sponsalium validitatem tum lege, tum natura definitur. At si cui usus rationis citius adveniat, et prudentia aetatem suppleat, hoc est, si quod agit, et quam suscipit obligationem, satis percipiat, tum et naturali et eccle-

siastico Jure sponsalibus ineundis aptus erit. In foro tamen externo non rata sponsalia habentur, nisi illud dilucide comprobetur, quod reipsa quidem consilium praevenerit aetatem, Glossa in Cap. Juvenis ad verb. *dubia* de Sponsal. et Matr.; et plerique Doctores consentiunt; qua in re Episcopi est judicium. Contra autem impuberes quicumque septennio majores, quod communiter intelligunt, et in futuras nuptias possunt consentire, et Romanis legibus, sacrisque Canonibus sponsalia recte contrahunt. Quoniam vero lubricum et fragile est impuberum consilium, a sponsalibus contractis licite et valide possunt resilire, sed tum solum cum ad legitimam aetatem, seu ad pubertatem pervenerint, ita tamen ut qui prior pubertatem adipiscitur, resilire statim pro libitu valeat, nec alterum, donec pubescat, expectare teneatur. At si pubes cum impubere sponsalia ineat, non aequo jure utrinque consistunt; nam pubes a fide data nunquam potest resilire, bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, sponsalia rescindere pro arbitrio poterit. Hanc autem rescissionem impuberes pubertatem adepti exequi et declarare statim debent, idest intra triduum ex quo pubertatem attigerint; in jure enim statim fieri aliquid dicitur, si intra triduum peragatur: computatur autem triduum a die quo et adeptam pubertatem, et privilegium resiliendi cognoverunt. Ni fecerint, rata firmaque sponsalia evadunt, cum ad valorem et confirmationem prioris obligationis non expressa ratihabitione neque novo consensu opus sit, Cap. De illis 7. de Desponsat. impub. Praeterea jus illud rescindendi sponsalia adimitur, si ante pubertatem adeptam, videlicet ante expletum in viro annum quartum decimum, et in foemina duodecimum carnalis copula inter eos perfecta fuerit, malitia supplente aetatem, cap. 8. eod. Probabilius est etiam non licere amplius a sponsalibus resilire, si impuberes pubertati

proximi, nimirum doli capaces, servaturos sponsalia juraverint, Cap. Ex litteris 10. de Sponsal. et Matrim., ubi Alexander III. eam rationem affert « *quod periculosum est contra suum juramentum venire.* » Sed aliquibus haec sententia non arridet, tum quia videtur Decretalis Alexandri per posteriorem Decretalem Lucii III. in Cap. Requisivit 17. eod. abrogata esse, dum Lucius decrevit mulierem, quae sponsalia juraverat, monendam esse, non cogendam, tum quia explorati juris est juramentum additum contractui sortiri easdem contractus conditiones; sponsalia autem impuberum conditionem tacitam habent, nisi facti puberes resilierint. At priorem sententiam diximus probabiliorem esse, quia Decretalis Alexandri III. satis perspicua est, ipsius autem abrogatio est valde dubia; imo Doctores numero plures et auctoritate praestantes existimant utramque Decretalem in eo tantum dissentire, quod Alexander III. edixerit nolentes servare juramentum per censuras Ecclesiasticas cogendos esse, Lucius autem senserit monendos potius esse quam cogendos, quod coacta matrimonia infelices exitus habere solent. At praeter aetatem, in qua sola est discrimen inter matrimonium et sponsalia, cum ad illud contrahendum aetas pubertatis requiratur, generatim tenendum est inhabiles ineundis sponsalibus esse, qui matrimonium inter se celebrare vetantur. Omnia itaque impedimenta matrimonii, etiam quae solum impediunt et non dirimunt, illicita sponsalia et irrita faciunt. Non enim valet promissio rei quae jure impleri non possit; contrahens vero sponsalia, si dirimenti impedimento laboret, rem impossibilem spondet, matrimonium scilicet quod constare non potest; si impedienti tantum impedimento laboret, rem illicitam spondet, cum matrimonium contrahere prohibeatur. An autem promissio matrimonii inter impeditos licita et valida sit, si non absolute fiat, sed sub aliqua

conditione, qua posita impedimentum tolleretur, hoc loco inquiri solet. In primisque certum est, si impedimentum temporale sit, non perpetuum, rite recteque contrahi sponsalia sub tacita vel expressa conditione ineundi eo tempore matrimonium quo impedimentum abierit. Qui igitur ex. gr. ad annum voto castitatis aliove temporali impedimento obstricti sunt, ii valide sponsalia contrahunt, attamen suo tempore adimplenda. Praeterea cum amotio impedimenti pendeat a voluntate contrahentis, sponsalia valida sunt sub conditione ipsius impedimenti amovendi, uti si fidelis promittat matrimonium infideli apposita conditione, si convertatur. Sic docet S. Thomas in 4. distinct. 39. q. 1. a. 1. ad 3. his verbis: « *Dicendum quod eadem est habitudo praesentis ad praesens, et futuri ad futurum; unde sicut quando matrimonium in praesenti contrahitur, requiritur unitas cultus in utroque contrahentium, ita ad sponsalia quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus.* »

In eo igitur tota vertitur difficultas, an quando impedimentum perpetuum est, et ejus generis ut a solo Pontifice per derogationem juris communis, seu per dispensationem auferri possit, sponsalia licita sint, et valeant sub conditione - *Si Pontifex dispensaverit* -. Tres invenio sententias: prima docet, eam promissionem esse omnino nullam, ac proinde contrahentium utrique licere ante, atque etiam post impetratam a Pontifice dispensationem altero invito resilire, nisi post dispensationem ipsam ratihabitio aut novus consensus accesserit. Potissimum hujus sententiae fundamentum est in L. 83. et L. 137. ff. de V. O., in quibus promissio rei quae jure impleri non potest nullius momenti habetur, etiamsi sub conditione in pactum deducatur. « *Nec ad rem pertinet,* inquit citata Lex 137., *quod jus mutari potest, et id quod nunc impossibile est, potest possibile fieri; non enim secundum futuri*

temporis jus, sed secundum praesentis aestimari debet stipulatio. » Hanc sententiam tradit Joannes, Andreas, et Panormitanus in Cap. Super eo de Condit. appos., eamque vere probabilem vocant Ledesma, et Sanchez. Secunda praecipuum auctorem habet Guttierez, eamque exponit Sanchez de Matrim. lib. 5. disp. 5. n. 11. his verbis: « *Secunda sententia docet talem contractum et promissionem obligare; at esse revocabilem, posseque alterutrum contrahentem altero invito resilire ante et post dispensationem impetratam, nisi ea impetrata ratificetur consensus, sicut sponsalia impuberum rata sunt et obligatoria, revocabiliter tamen cum possit uterque pubes factus resilire, ut diximus. Ducitur quia non est dicendum ita firmum et irrevocabilem esse hunc consensum praestitum a personis inhabilibus sub conditione, si Princeps dispensaverit, ac quando personae sunt habiles.* » De hac sententia ita censet idem auctor cit. loco n. 13. » *Secundam autem hanc sententiam minime percipio. Non enim video qualiter stare possit aliquem esse obligatum, et semper posse resilire; si enim potest resilire, ergo non est obligatus. Nec confert simile de sponsalibus impuberum: quia impuberes non semper resilire possunt, sed statim ac pubertatem nacti fuerint; at juxta hanc sententiam possunt semper contrahentes resilire, nisi obtenta dispensatione novam obligationem ineant.* » Tertia denique sententia docet, sponsalia sub conditione dispensationis Pontificiae nullius roboris et effectus esse, ubi promittentes eo ligentur impedimento, in quo Pontifex non soleat dispensare, aut nequeat, aut etiam si nulla adsit justa causa dispensationis obtinendae. At vero si contrahentibus subsit justa causa dispensationem petendi, et impedimentum ejus generis sit, in quo Pontifex facile et frequenter dispensat, hoc in casu censet sponsalia rata firmaque esse, ex iisque irrevocabilem obligationem oriri tum dispensationem Pontificis comparandi, tum ea impetrata

matrimonium contrahendi. Haec autem sententia caeteris, ni fallimur, probabilior est et ferme certa. Namque explorati juris est, ex contractu conditionato, modo conditio honesta et possibilis habeatur, veram obligationem induci, adeo ut cum semel extitit conditio, conventis standum est « *perinde ac si eo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* » L. Potior 11. ff. Qui potior. in pignor. At conditio, de qua disputamus, honesta est, versatur enim circa objectum honestum, scilicet matrimonium post obtentam dispensationem ineundum; est etiam possibilis, ubi impedimentum ecclesiastici juris sit, nec desit causa ob quam Pontifex soleat facili negotio dispensare. Praeterea hujusmodi sponsalia duplicem obligationem involvunt, alteram petendi dispensationem, alteram dispensatione obtenta contrahendi matrimonium, quod quidem utrumque honestum et possibile est. De his plura dabit Sanchez cit. loco.

§ CXLVI.

DE SPONSALIBUS FILIORUMFAMILIAS

Restat ut dicamus, utrum filiifamilias sine parentum consensu et auctoritate habiles sint licitis et validis sponsalibus ineundis. Quaestio est de solis sponsalibus, nam quod matrimonium spectat, ipsius validitas a contrahentium consensu omnino pendet, nequaquam vero a nutu eorum sub quorum dominio vel potestate constituti sunt; quod generatim Sacris Canonibus sancitum est, et definitum a Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. ubi anathemate percutit « *qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis ea semper*

detestata est ac prohibuit. » Igitur filiifamilias, insciis aut rationabiliter invitis parentibus, valide quidem matrimonia contrahunt; peccant tamen graviter quod in re tanti momenti tum ecclesiasticas leges, tum ipsum violant naturale et divinum praeceptum de parentibus honorandis. Praeterea nemo prudens nescit quot gravia mala, scandala, jurgia et inimicitiae lethales etiam et diuturnae inter parentes aut consanguineos ex hujusmodi male auspicatis connubiis oriri soleant cum maxima familiarum et reipublicae ipsius perturbatione. Jam vero si tales nuptiae tot tantisque peccatis et periculis plenae sunt, procul dubio sponsalia seu promissiones earumdem admodum illicitae et nefariae habendae sunt, cum nequeant sine peccato et injuria parentum adimpleri: « *impia est enim promissio quae scelere adimpletur* » quod habetur Caus. In malis 22. q. 4.

De his autem cum Doctoribus controversiae nihil est, sed disputatio copiosa et valde anceps, quam hoc loco instituimus, ejusmodi est, utrum filii parentibus insciis vel repugnantibus, si non licite at saltem valide sponsalia contrahant? Igitur disputatio in primis est de sponsalibus, quae insciis parentibus contrahuntur, quando scilicet filii, clam parentibus suis, sibi mutuam dant fidem ineundi matrimonii. Fieri autem potest, ut filius non peccet, inscio patre, sponsalia ineundo, si nimirum prudenter putet patrem ea rata habiturum, quemadmodum Tobias inscio patre uxorem duxit. Itaque in his casibus sentiendum est, haec furtiva sponsalia habere implicitam conditionem, si parentes consenserint, nam omnis actus eo modo interpretandus est, ut liceat, nedum valeat. Igitur erit in potestate parentum ea rata facere vel irrita, aut certe juxta Doctores omnes dissensus parentum legitimam causam praestabit ejus generis sponsalia dissolvendi. At vero si filii non insciis, sed scientibus vel

invitis jure merito parentibus sponsalia ineant, tunc hujusmodi sponsalia procul dubio illicita sunt et peccaminosa; quin et irrita nullaque prorsus esse recentiores aliqui Doctores vehementer contenderunt. Namque ex communi Canonistarum sententia, ut ipsi ajunt, quovis impedimento etiam impediente ligati, nec licite, nec valide sponsalia faciunt, quia certi juris est sponsiones turpes, seu quae impleri sine peccato non possunt, nullius esse roboris. Igitur sponsalia filiorumfamilias, dum parentes rationabiliter inviti sunt, irrita et nulla habenda erunt, quia matrimonium quod spondetur, sine peccato contrahi non potest. Ex qua sententia illud consequitur, quod sponsalia illicita continuo invalida sunt, quia dum prohibentur ne fiant, etiam facta vitiosa sunt et robore carent; contra quam accidit in matrimonio quod potest esse validum, quamvis non licitum. Cujus quidem discriminis ratio in eo posita est, quod sponsalia a nuptiis differant non solum nomine, sed etiam natura, fine et effectibus; siquidem sponsalia perficiuntur pactione de futuro matrimonio, nuptiae praesenti traditione, cohabitatione, et individua vitae societate; matrimonium est Sacramentum, sponsalia non item; illud est irrevocabile et indissolubile, sponsalia revocari et dissolvi possunt.

Verum huic opinioni non penitus assentimur. In primis « *quae contra jus fiunt, debent pro infectis haberi* » regula generalis est, quae ad actus tum revocabiles, tum etiam irrevocabiles pertinet, ejusque sensus est, eos actus qui contra legem prohibentem simul et irritantem admittuntur, nullius momenti et roboris esse perinde ac si nunquam gesti fuissent. At vero actus qui aguntur contra legem tantum prohibentem sed non etiam irritantem, nullos et invalidos esse neque regula explicat, neque apud Doctores compertum est, cum adhuc in dubio positum sit, utrum actus qui lege prohibiti sunt ob

eam causam irriti haberi debeant. Jure quidem civili, et praesertim L. 5. Cod. de Leg. haec leguntur. « *Ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est.* » Verum haec lex quae Interpretes vexat, a Jure Canonico correcta est, dum Innocentius III. Cap. 16. de Regular. diserte pronunciaverit. « *Multa prohibentur, quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.* » Igitur sponsalia invitis parentibus facta, cum a legibus prohibeantur sed non irritentur, illicita quidem, valida tamen erunt. Insuper ad probandam hujusmodi sponsalium validitatem maxime facit Tribunalium Ecclesiasticorum praxis, in quibus eadem sponsalia injussu parentum facta pro ratis habentur, neque filii ab eorum vinculo solvuntur, nisi ministerio Judicis, et causa cognita. At vero si res foret de sponsalibus indignis, quibus tota propinquitas injuria et dedecore afficeretur, certum est consensum genitorum non sufficere, ut hujusmodi sponsalia honesta et licita redderentur. Cum enim totius familiae honor et decus in discrimen adducitur, profecto ad ea impedienda nedum parentibus, verum et caeteris consanguineis jus esse nemo nescit. Sane in dubio positum est, utrum homo adeo sit suae famae dominus, ut ejus possit pro libitu jacturam facere. Sed Doctores consentiunt id minime licere, si infamia in alios vergat, puta in filios, in fratres, in familiam, in Religionem, in patriam. Ad rem Raphael Anversa de Sacr. Matrim. quaest. 7. sect. 7. « *Si inirent indignum aliquod matrimonium cum notabili dedecore et ignominia familiae, quamvis cum consensu parentum, peccarent adhuc filii contrahendo, et parentes consentiendo, quando matrimonium esset cum dedecore aliorum de familia.* » Itaque ex his quae nobis visa sunt probabiliora, compertum habetur, filiosfamilias graviter delinquere si parentibus ratio-

nabiliter invitis sponsalia ineant; sponsalia autem rata et valida esse. Qua tamen in re quoties parentes dissentiant, vel scandala, jurgia, dedecus familiae, aliave gravia mala prudenter timeantur, integrum est parentibus atque etiam consanguineis, quorum intersit, ecclesiasticum Judicem adire, ut matrimonium interdicatur. Certum etiam est, sponsalia invitis parentibus inita dissolvi posse, licet juramentum intercesserit, uti tradit Benedictus XIV. Instit. Eccles. 46.

§ CXLVII.

DE EFFECTIBUS SPONSALIUM

Duo praecipui sunt sponsalium effectus, alter generalis et omni contractui communis, videlicet obligatio praestandi quod promissum est, cum nihil tam fidei humanae congruum sit, quam ut pacta serventur et adimpleantur, cap. 1. et 2. de pactis; L. 1. ff. de pact. Alter effectus sponsalium est impedimentum publicae honestatis inter sponsi et sponsae consanguineos, de quo infra sermonem habebimus. Jure quoque veteri sponsalia, quibus commercium ipsum carnis accesserat, in matrimonium transibant, cap. 15. et 30. de Sponsal. et Matrim. quod tamen per Synodum Tridentinam sublatum est.

Primo itaque ex sponsalibus obligatio oritur ad nuptias contrahendas cum persona desponsata, eaque obligatio non ex sola virtute fidelitatis profluit, ut aliqui Doctores sentiunt, sed ex justitia commutativa, cum sponsalia ob speciale nomen sint verus contractus nominatus, aut certe contractus innominatus, *facio ut facias;* ex quovis autem contractu nascitur stricta obligatio justitiae, et grave est fidem fallere. Neque vero huic sententiae quidquam officit, quod jure civili desponsatis permissum

sit poenitere et alteri nubere; id namque Jure canonico improbatum est, quod vult promissiones nuptiarum ratas et firmas esse, et non suadet modo, sed minis etiam urget ut sponsalibus satis fiat, de quo paulo infra. Imo veteri Romanorum jure ex sponsalium stipulatione actio *ex sponsu* dabatur, et solummodo perditis Romanae Civitatis moribus repudiorum licentia irrepsit; quod Hothomannus de cestis et incestis nuptiis part. 3. et 4. aliique observant. At vero si nuptiarum promissioni juramentum addatur, tunc vinculum sponsalium fortius et sanctius fit, et qui fidem fregerit, non modo injustus, sed etiam perjurus habendus erit, neque enim homini soli injuriam facit, sed interpositam ipsius Dei auctoritatem contemnit.

Cum in sponsalibus nulla dies aut terminus promissioni implendae praestitutus est, matrimonium cum primum poterit, iniri debet ex L. In omnibus 14. ff. de R. J. « *In omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur, praesenti die debetur* »; et L. Eum qui 41. § *quoties* ff. de V. O. « *Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur.* » Saltem matrimonium ineundum est, quando alteruter contrahentium postulat promissionem impleri; quam sententiam tuentur Sanchez, aliique plures ob eam rationem, quod creditor conscius ac memor sui juris, et potens commode petere quod sibi debitum est, nec tamen petit, censetur dilationi consentire, nisi forte propter pudorem vel timorem non audeat petere, uti contingere in foeminis solet natura verecundis; tunc enim sponsa, quamvis actu non petat, interpretative tamen videtur petere, et sponsus in mora constituitur. Verum Doctorum omnium una sententia est, admonendos esse sponsos, ut citius matrimonium contrahant, dum ea res in posterum dilata libidinum et peccatorum occasio esse soleat. Si quis autem citra causam justam detrectet matrimonii celebrationem, monendus prius est, et si adhuc

renuat, per censuras compellendus, praesertim si sponsalia jurejurando confirmaverit. Id constat ex Cap. Literis de Sponsal. et Matrim. cui quidem capiti, ut supra diximus, Lucius III. Cap. Requisivit non videtur consentire, nam vult nolentes servare sponsalia monendos potius esse, quam cogendos; ex quo perspicuum est praedicto Capiti Literis nonnihil derogatum esse. At vero Lucius quidem vult contrahentes moneri potius, quam cogi, hoc est monitionibus utendum in primis esse, sed tamen compelli non vetat omnino. Verum in hoc negotio vel levissima causa habetur pro rationali, quamobrem a censuris temperandum sit, quia coactio hac in re difficiles exitus habere solet. Hinc prudentem neminem reperies acerbe nimis censuris abuti ad sponsos urgendos ut fidem praestent. At si contrahentes stupro etiam se contaminaverint, res alio jure procedit ex iis de quibus supra disputavimus in §. CXXXVIII.

§ CXLVIII.

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE OB MUTUUM CONSENSUM

Universalis ratio in omni promissione est, eam dissolvi si consentiat ille cui facta est, aut si quid accidat propter quod incipiat promissio inutilis esse, sive nociva, sive etiam impossibilis, aut certe quod si adfuisset quando promissio fiebat, jure merito impedivisset quominus promitteretur. Hinc igitur praeter mortem naturalem, quae omnia solvit, Doctores colligunt decem praecipuas causas propter quas sponsalia dissolvuntur.

Prima causa est mutuus Sponsorum consensus, quia « *omnis res per quas causas nascitur, per easdem et dissolvitur* » Cap. 1. de R. J.: « *et obligationes quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur* » § ult. In-

stitut. Quibus mod. tollant. obl. Idemque juris est, etiamsi sponsalia jurisjurandi religione firmata sint, siquidem juramentum non immutat naturam actus cui accedit, et idcirco quemadmodum simplex promissio matrimonii, ita etiam jurata promissio consensu mutuo solvi potest. Controversia in illo est, utrum jurata sponsalia consensu mutuo dissolvi possint, quando juramentum non modo in confirmationem sponsalium, sed principaliter, ut ajunt, in honorem Dei emissum est, veluti si quis intuitu et amore Dei pauperi puellae juret se eam in matrimonium ducturum. Communior sententia docet, horum quoque sponsalium dissolutionem voluntate contrahentium fieri recte posse. Illi siquidem juramento tacita conditio inest « *si is in cujus favorem praestitum est, voluerit illud servari* »; atque ita juramentum videtur in favorem puellae a Deo ipso acceptari. Enimvero si puella, quod extra controversiam positum est, promissionem potest non acceptare, quae erit causa, cur acceptatam remittere non possit ? At S. Thomas aliter sentit 2. 2. q. 89. a. 9. ad 11. ubi inquit. « *Homo potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter. Uno modo quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta si sub juramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum, et a tali promissione potest absolvere ille cui promissio facta est : intelligitur enim jam ei solvisse promissum quando facit de eo secundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta si aliquis sub juramento promittat alicui, se intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo, nisi forte sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilicet si illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale.* » Aliqui tamen Interpretes mentem S. Doctoris ex posterioribus citatis

verbis ita explicant, ut res juramento promissa remitti et condonari ab homine nequeat, quando in ejus utilitatem tota non cedat, uti si quis alteri juraret, se religionem ingressurum, vel Ecclesiam aedificaturum, quae proprie juramenta sunt sive vota. Contra autem si promissio etiam intuitu Dei facta omnino vergat in utilitatem ejus cui juratum est, poterit ab eo remitti et condonari; juri enim suo quilibet renunciare potest, et quamvis religio in Deum causa fuerit cur promissio facta sit, res non Deo tamen, sed homini promissa est. Haec tamen accipias de sponsalibus puberum, nam quod impuberum sponsalia spectat, supra diximus.

§ CXLIX.

DE DISSOLUTIONE OB LAPSUM TEMPORIS

Secunda est lapsus temporis ad finiendam sponsalium obligationem a contrahentibus constituti, nam ex regula Juris 85. in 6.° « *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.* » Igitur sponsalia ob conditionem non impletam obligare desinunt: interest tamen nosse, utrum matrimonium stato tempore celebratum non sit culpa utriusque, an alterutrius, an neutrius. Si uterque nuptias inire neglexerit, utrinque solvitur obligatio; mutuo enim consensu eisdem videntur renunciasse. Si ex parte unius tantum culpa intercessit, tum is a sponsalium obligatione solvitur, per quem « *non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit* » idest contraxerit, uti perspicue habetur in Cap. Sicut de Sponsal. et Matrim. Is autem qui in culpa fuit, a vinculo sponsalium non liberatur; nemo quippe debet ex propria iniquitate commodum reportare. Quod si per neutrum stetit, quominus nuptiae celebrarentur, sed uterque legitimo impedimento

non potuit praestare fidem, Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 53. n. 8. aliique Doctores sponsalia dissolvi docent, propterea quod expleto tempore cui obligatio alligata est, eadem obligatio desinit « *actus quippe agentium non debent operari ultra eorum intentionem.* » L. Non omnis ff. Si certum pet. At vero si tempus constitutum sit non ad finiendam, sed implendam obligationem, cum scilicet in sponsalibus tempus praestitutum est intra quod obligatio ineundi matrimonii implenda sit, non extinguenda, veluti si sponsi nuptias sibi promitterent intra annum contrahendas, expleto anno obligatio non extinguitur. Hoc enim in casu quasi duo contractus sunt, alter ineundi matrimonii, alter certo tempore ineundi; qua de re prior obligatio semper manet, etiamsi contrahentes suo tempore non impleverint; perinde atque debitor pecuniae certo tempore solvendae a facienda solutione non eximitur, etiamsi pecuniae dies venerit, nec eam solverit. Interdum etiam perficiendis sponsalibus terminum Judex constituit, Cap. Ex publico de convers. conjug., quo elapso ille per quem non stetit, aliud matrimonium inire potest, quia terminus praestitutus censetur obligationi finiendae, ne scilicet diutius cum periculo fornicationis nuptiae protrahantur.

§ CL.

DE DISSOLUTIONE OB ALTERIUS SPONSI ABSENTIAM

Tertia est diuturna alterius Sponsi absentia. Aliquando contingit, ut sponsalibus rite contractis sive vir, sive mulier alio abeat altero inscio vel invito. Jus quidem Romanum, si causa absentiae sit necessaria veluti si sponsus ob defensionem patriae jussu Principis profectus sit, aut si infirmitate correptus, aut ab hostibus captus

reverti non possit, decernit expectandum a sponsa per triennium, quadriennium, et adhuc diutius arbitrio Judicis, L. 17. ff. de Sponsal. Absens vero ex causa voluntaria, si intra provinciam commoretur, per biennium, L. Si is 2. Cod. eod.: si extra provinciam, per triennium expectandus est, L. Liberum 2. Cod. de repudiis. Verum Alexander III. Cap. De illis hoc tit. sic pronunciavit. « *De illis autem, qui praestito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, et postea eis incognitis dimittunt terram, se ad aliam terram transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum, ad alia vota se transferre.* » Quare juxta leges canonicas ad Episcopum confugiendum erit, et tempus absenti praefiniendum, intra quod, nisi redierit, alter sponsus ab omni exemptus vinculo declaretur, eique facultas fiat ut quamlibet vitae rationem amplecti, aliaque, si velit, sponsalia inire possit.

§ CLI.

DE DISSOLUTIONE OB MATRIMONIUM CUM ALIA INITUM

Quarta est, cum sponsalia solvuntur per matrimonium quod sponsus cum alia muliere, aut sponsa cum alio viro contraxerint. Hic autem tria sunt apud omnes certa et explorata: 1. eum qui matrimonium contrahit, graviter peccare, quod in re gravi fidem frangit et injuriam alteri facit, qui jus ad matrimonium ineundum ratione sponsalium adeptus erat; quin etiam eum qui fidem fefellit, teneri praestare damna, si qua pars innocens passa est. 2. Matrimonium sic contractum validum esse; fortius enim est vinculum matrimonii, quam sponsalium. « *Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis*, ait S. August. in cap. 1. de Sponsa duor.; *non debet aliam ducere*; *si*

aliam duxerit, poenitentiam debet agere de fide mentita : maneat tamen cum illa quam duxit, non enim rescindi debet tantum Sacramentum. » 3. Priora sponsalia ipso jure dissolvi, nec amplius obligare saltem respectu partis innocentis, cui fas est ad alia vota transire, tum quia frangenti fidem fides frangi potest, L. Convenerit ff. pro socio, L. Proponas Cod. de pactis; tum quia matrimonium cum alia contrahens ostendit se priori contractui renunciare. Verum in dubitationem venit, an sponsalia dissolvantur, dum alter matrimonium contrahit, alter vero innuptus manet, nec juri suo renunciat. Probabilius videtur obligationem sponsalium, ex parte ejus qui contra ipsorum fidem nuptias inivit, non penitus extingui, sed manere suspensam quousque durat matrimonium, ita ut si conjugis morte dissolvatur, prior obligatio reviviscat. Nam obligatio parti innocenti ex sponsalibus quaesita per alterius matrimonium injuste contractum penitus auferri non potuit, cum « *non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri* »; et « *factum cuique suum non adversario nocere debeat.* » Reg. 75. et 198. ff. de R. J. Praeterea prior sponsalium obligatio aut ex juris dispositione, aut ex ipsa natura rei ob secutam potiorem fortioremque obligationem extingueretur. At vero non extinguitur ex juris dispositione, quia Canones qui contra adduci solent, non id plane definiunt: neque etiam ex ipsa rei natura, quia priori vinculo, dum fortius vinculum supervenit eique impedimento est quominus impleatur, vis prioris vinculi non extinguitur, sed durante impedimento suspenditur, veluti cum quis votum religionis emisit et postea matrimonium contraxit, consummatque, non extinguitur voti obligatio, sed soluto matrimonio teneretur ingredi religionem, Argum. cap. 3. de convers. conjug.

§ CLII.

DE DISSOLUTIONE OB POSTERIORA SPONSALIA INITA

Quinta est, si quis primis sponsalibus validis et adhuc integris non quidem matrimonium, sed secunda sponsalia iniverit, ex certa et communi Doctorum sententia posteriora sponsalia irrita et nulla sunt, nec ullum ex eis publicae honestatis impedimentum oritur. Neque etiam secunda sponsalia si juramento firmata sint, officiunt prioribus; siquidem posterior promissio, cum sit illicita, praejudicium alterius, et adversus legem primae desponsationis facta nullam vim ex juramento mutuatur, quia juramentum esse nequit vinculum iniquitatis. Nec demum posteriora sponsalia valent, etiamsi secunda foemina priorum sponsalium ignara decepta sit, et violata sub spe conjugii, quoniam injuria illata posteriori foeminae non aufert jus suum priori: hanc tamen charitate et aequitate quadam juri suo renunciare debere opinantur passim Canonistae, quando ipsa leviter laederetur, contra autem deflorata grave damnum magnamque honoris jacturam pateretur. In locis autem ubi nondum Tridentinum publicatum est, secunda sponsalia vincunt, quia ob copulam, si maritali affectu habita sit, transeunt in matrimonium.

§ CLIII.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM OB PROFESSIONEM RELIGIOSAM

Sexta causa dissolvendi sponsalia est professio religiosa, tum quia ex juris dispositione spondens censetur alteri se obligare hac tacita lege « *nisi Deus me*

ad religiosum vitae statum elegerit », tum quod solemnis votorum nuncupatio matrimonium ratum dirimit; quo magis ergo per solemnem professionem sponsalia dissolventur? An vero per solum religionis ingressum sponsalia solvantur, discordes sententiae sunt. At rectius sentire videntur qui putant, remanentem in saeculo solvi quidem obligatione in se suscepta, tum quia religionem ingressus satis declarat se sponsalia renunciare, tum quia ex parte ipsius notabilis fit mutatio, et in saeculo manenti grave nimis foret totum probationis tempus non sine incontinentiae periculo expectare, et alias interim connubii occasiones negligere aut dimittere; quin etiam probrosum esset discedentem a religione in maritum, vel in uxorem recipere. Contra autem sentiunt non ex integro liberari alteram partem, ideoque e religione egredientem ad sponsalia obligari, cum ex jure positivo ea obligatio extinguatur per solam professionem, tamquam per mortem spiritualem: religio enim est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo. Nemo autem « *intelligitur mortuus saeculo per religionis ingressum, quousque professionem emiserit* » ait S. Thomas in suppl. 3. p. quaest. 61. a. 3. ad 2. Ea autem conditio « *nisi me Deus ad religiosum statum elegerit* » ad cum religiosae vitae statum pertinet qui perpetuus sit, qualis non est certe quidem ingressus in religionem, et assumptio religiosae vestis, quae postera die dimitti potest.

§ CLIV.

DE DISSOLUTIONE OB IMPEDIMENTUM DIRIMENS

Septima causa solvendi sponsalia est, si impedimentum dirimens, ex gr. affinitatis, Ordinis sacri sponsalibus initis superveniat vel detegatur. Tunc enim matrimonium eva-

dit impossibile; impossibilium vero nulla est obligatio. Consulto autem susceptio Ordinis sacri, quae sponsalia sequatur, hoc loco recensita est, quia secundum sententiam probabiliorem Ordo sacer sponsalibus superveniens, non ea dirimit ex dispositione juris, sed ratione impedimenti quo ordinatus fit perpetuo inhabilis matrimonio contrahendo. Nam ex juris dispositione sponsalibus inest tacita conditio « *nisi religiosum statum elegero* ». At nullo jure probatur sponsalibus etiam inesse hanc conditionem « *nisi Ordinem sacrum suscepero* ». Ex quo recte infertur, sponsum qui invita sponsa sacro Ordine initiatus est, dum non rite a sponsalium obligatione se expediat, seque implendae obligationi inhabilem perpetuo reddat, omnino teneri ad expensas et damna praestanda, siqua ratione et spe matrimonii sponsa sustinuit. Non autem per susceptionem Ordinum minorum sponsalia dissolvuntur prius contracta, quia minores Ordines ne impediunt quidem, quominus matrimonium licite iniri possit. At vero si quis sponsalibus initis votum simplex emittat servandae in saeculo castitatis, aut sacri Ordinis suscipiendi, tunc non utrinque sponsalia solvi plures Canonistae docent. Nam ex eorum sententia vovens tacite renunciat juri suo, aut saltem ob fidem violatam praebet alteri parti justam causam resiliendi a sponsalibus si velit. Sed ipse vovens a sponsalium obligatione non eximitur, quia non potest mutare sententiam in praejudicium alterius partis, nec videtur Deus acceptare promissionem rei quae alteri ex justitia debetur. Obstringitur tamen ipsius voti religione in sui praejudicium, hoc est si sponsa fidem datam remittat, aut mortem obierit, aut ex alia legitima causa sponsalia solvantur, vovens tenetur servare castitatem. Confirmant sententiam decreto Alexandri III. in Cap. 5. Qui clerici vel voventes, ubi foeminae quae post inita sponsalia continentiae votum emiserat, injungitur poena

de fide mentita; ex quo perspicuum est, non obstante voto obligationem sponsalium perstitisse, et votum illicitum emissum esse, namque aliter mulier *de fide mentita* non puniretur. At S. Thomas supp. q. 53. a. 1. ad 1. docet per votum simplex sponsalia dirimenda, propterea quod ubi duae concurrunt obligationes potior est praeferenda.

§ CLV.

DE DISSOLUTIONE OB FORNICATIONEM

Octava causa solvendi sponsalia etiam jurata est subsequens alterutrius fornicatio. Discrimen hic fieri solet ab aliquibus an sponsus lapsus sit in fornicationem, an sponsa, cum putent libidinem foeminae turpiorem esse quam viri. Verum haec non videtur justa causa, cur ad imparia judicentur, nec honesta mulier in eum casum se obligasse censenda est, ut cum viro de fide conjugii servanda graviter suspecto matrimonium inire teneatur. Solvuntur autem sponsalia intuitu solius innocentis, quippe reo malitia sua patrocinari non debet. Quod si propter fornicationem corporis sponsalia dissolvuntur, dubitandum non est, quin propter fornicationem spiritualem, haeresim scilicet, apostasiam, et schisma dissolvi possint.

§ CLVI.

DE DISSOLUTIONE OB MUTATIONEM ANIMI, CORPORIS, VEL FORTUNARUM

Nona causa est mutatio animi, corporis vel fortunarum, veluti si sponsus aut sponsa comitiali morbo, lepra, paralysi, aut alia gravi et incurabili infirmitate corripiantur, si notabili deformitate, veluti si utriusque

vel unius oculi jactura mulctentur, si latrociniis, ebrietatibus, rixis, et similibus vitiis se dederint, aut demum si ex parte bonorum fortunae ad interitum properaverint. Omnibus nempe pactionibus natura sua inest conditio « *rebus ita stantibus* »; multo magis id valere debet in sponsalibus quae mutuo amore sustinentur. Non solum autem mutatio notabilis eveniens et non praescita, sed omnes quoque circumstantiae antea incognitae, quae matrimonium reddant difficilius multoque molestius, quaeque prius cognitae ejus conditionis homines ab ineundis sponsalibus retraxissent, quamquam ipsa sponsalia praecesserint, causam tamen justam exhibent a sponsalibus recedendi quum primum innotuerint. In causa autem particulari quaenam mutatio superveniens aut circumstantiae detectae sponsalia dissolvant, legitimus Judex pronuntiabit.

« *Notandum tamen,* ait Van-Espen Jur. Eccles. univers. part. 2. tit. 12. cap. 2., *non sufficere ad solutionem sponsalium, quod superveniat aut detegatur talis circumstantia, quae si praescita fuisset, sponsalia non inita fuissent, quia certum est multa posse sufficere, ut contractus nondum initus iniri non deberet, nec iniri conveniret, quae nullatenus tamen sufficiunt ut contractum dissolvant, eo quod contractu nondum inito plena sit libertas non contrahendi; quae libertas non subest postquam contractus fuit perfectus. Itaque ut judicetur, an ob supervenientem aut detectam aliquam circumstantiam sponsalia censeantur esse soluta, ipsique sponsi, aut alteruter eorum ab obligatione soluti, expendendum, an tales personae secundum prudens judicium talibus verbis, et in talibus circumstantiis consensum antea datum censeantur extendisse ad casum quo talia superveniunt. Si censeantur ad ejusmodi casum extendisse, sponsalia non solvuntur; si non censeantur extendisse, dicendum est quod solvantur.* »

§ CLVII.

DE DISSOLUTIONE PER DISPENSATIONEM

Denique solvuntur sponsalia per dispensationem, quae tamen a solo Pontifice Romano conceditur. Sponsalia enim sunt jus tertio quaesitum, quod nullus praeter Supremum Principem auferre potest. Haec autem potestas explicatur a Pontifice ob causas dumtaxat justas atque graves; quin si sponsalia juramento munita fuerint, gravissimae causae quae bonum publicum respiciant, ad dispensandum postulantur.

§ CLVIII.

DE AUCTORITATE JUDICIS IN SPONSALIUM DISSOLUTIONE

Unum superest inquirendum, an scilicet ad solvenda sponsalia ob causas expositas sententia et auctoritas Judicis necessaria sit. « *Generaliter dici potest*, ait Navarrus Manual. cap. 2. n. 28., *quod in nullo casu in quo causa solvendi sponsalia est manifesta tam quoad veritatem, quam quoad justitiam praedicta Ecclesiae auctoritas non requiritur, quia talia ab ipso jure dissolvuntur.* » Ab hac regula generali Doctores, qui sentiunt cum Navarro, excipiunt casum quo prudenter timeatur, ne dissolutio privata auctoritate facta scandalis occasionem datura sit, itemque si Dioecesum consuetudo ea sit, ut dissolutio sponsalium ante causam ab Ordinario cognitam et probatam non permittatur. Contra S. Thomas in 4. senten. dist. 27. q. 1. a. 3. haec tradit. « *In duobus casibus, scilicet cum quis ad Religionem confugit, et cum alter conjugum cum altero per verba de praesenti contrahit, ipso jure*

sponsalia dirimuntur, sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiae. » Huic sententiae videntur favere Canones. In Cap. De illis 7. de Desponsat impub. cautum est « *ut impuberes qui adveniente pubertate reclamant, judicio Ecclesiae separentur, nisi ut ait Glossa ibid. fortius vinculum superveniat, puta matrimonium cum alio, vel votum solemne, quia tunc ipso jure soluta sunt* » : itemque in Cap. Duo pueri 12. eod. poenitentia cuidam imponitur, qui judicio Ecclesiae non requisito a sponsalibus recessit. Idem confirmari etiam potest argumento ducto a paritate cum matrimonio; quamvis enim in matrimonio causa recedendi seu divertendi liquida sit, recessus tamen seu divortium privata auctoritate non permittitur. Verum his non obstantibus prior sententia magis arridet: habent enim sponsalia conditionem inditam, si res in eodem statu permaneant, seu quod idem est, nisi justa et a jure probata causa non accedat. Itaque ejusmodi interveniente causa, et conditione illa deficiente sponsalium obligatio evanescit. Causam autem notoriam jure certam et expressam esse oportet; ubi enim de veritate vel sufficientia causae dubium sit, propria privata auctoritate non licet sponsalia solvere, cum uterque sponsus vi contractus sponsalitii sit in possessione juris acquisiti, ut promissio impleatur; in dubio autem nemini fas est propria et privata auctoritate alterum de possessione sui juris deturbare, sed Judicis auctoritas postulatur. Ad Canones qui contra proferuntur, respondet Sanchez lib. 1. disp. 59. n. 11. « *Canon Duo Pueri loquitur de matrimonio de praesenti, a quo alter conjux recesserat absque causa, ut clare constat ex textu. Ad Canonem De illis dico, nolle textum esse necessarium Ecclesiae judicium, sed tantum jubere, ut Ecclesiasticus Judex, si coram ipso impubes adepta pubertate reclamaverit, eum separet.* » Comparatio autem sponsalium cum matrimonio

nihil facit ad hanc rem, quia matrimonium natura sua perpetuum et indissolubile est. Quamobrem expedire non videbatur, ut in potestate contrahentium esset arctissimum illud vinculum proprio marte abrumpere; majus etiam in matrimonio periculum est abusuum et scandalorum.

§ CLIX.

DE BANNIS SEU DENUNCIATIONIBUS MATRIMONII

Sponsalia sequuntur proclamationes seu denunciationes, quae propiorem matrimonio viam parant. Denunciationum originem in Ecclesia antiquissimam esse, nemo dubitat; quin ipsarum vestigia nonnulli sibi visi sunt invenisse apud Tertullianum de pudicitia cap. 4. Concilium Lateranense IV. denunciationes matrimonio praeire omnino jussit, ejusque decretum refertur in cap. final. de Clandest. Desponsat., cujus haec verba sunt. « *Specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generatim prorogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros proponantur competenti termino praefinito, ut intra illud qui valuerint et voluerint, legitimum impedimentum opponant.* » At disertius Trid. Synodus sess. 24. de Reform. Matr. cap. 1. sancivit; « *ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* » Cum finis denunciationum sit, ut impedimenta occulta detegantur, et nvalida matrimonia multaque peccata praepediantur, dubium non est quin fideles omnes ad impedimenta detegenda, si quorum conscii sint, licet judicialiter forte probare nequeant, obstringantur. Cujus quidem officii populus gra-

viter admonendus est « *ne alioquin ex silentio et occultatione reus reddatur omnium malorum, quae ex matrimonio cum impedimento, praesertim dirimente, contracto nata sunt oriri* » ut recte inquit Van-Espen Jur. Eccl. univ. p. 2. t. 12. c. 3.

Porro ex eodem denunciationum fine satis intelligimus, cur ex decreto Tridentini fieri debeant: 1. ante matrimonium contrahendum: 2. a proprio utriusque contrahentis Parocho: 3. coram populo frequenti inter Missarum solemnia: 4. tribus continuis diebus festivis: 5. denique denunciatis nominibus personarum, inter quas matrimonium ineundum est. Denunciationibus temere neglectis valet quidem matrimonium, attamen hoc modo contrahentes poena afficiendi sunt, prolesque interim suscepta, si matrimonium reipsa nullum sit, illegitima censetur, ex parentum bona fide aut ignorantia nullum subsidium habitura, ut loquitur Caput 3. de Clandest. Desponsat. Parochus etiam libere his matrimoniis assistens ad triennium suspendi jubetur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit, cit. Cap. 3. Itemque si sponsus et sponsa diversas Paroecias incolant, neuter Parochus assistere nuptiis debet, nisi habita alterius Parochi attestatione de tribus proclamationibus in sua Paroecia rite factis, et quod nullum inde impedimentum detectum fuerit. Si quod impedimentum deferatur, Parochi est matrimonium interdicere, quamquam vel falsum, vel dubium, vel malitiosum ei videri possit; cognitio enim ad Episcopum omnino spectat cui res tota significanda est. Praeterea nullo etiam detecto impedimento si matrimonium post tertiam denunciationem diu multumque differatur, quo tempore nova impedimenta oriri possint, denunciationes iterandae sunt. Quapropter Congregatio Concilii, teste Rebello, declaravit, si peractis denunciationibus intra quatuor menses sponsi non con-

traxerint, denunciationes iterum faciendas esse, quod tamen quadrimestre Episcopi in Synodo Dioecesana aliquando decurtant. Caeterum cum expediat interdum celebrare matrimonium denunciationibus omissis, ideo Concilium Tridentinum cit. cap. 1. constituit: « *quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si trinae praecesserint denunciationes, tumque vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur, ac deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae atque judicio Sancta Synodus relinquit.* » Itaque Ordinarius ea uti facultate potest, non temere tamen et sine justa causa, cum illud negotii non ejus liberae voluntati, sed judicio et prudentiae committatur. Justae autem dispensandi causae numerantur: 1. probabilis timor de matrimonio malitiose impediendo. 2. Scandalum publicum, seu infamia, veluti si concubinarii, qui pro legitimis conjugibus habentur, contrahant, aut si casus occurrat revalidandi matrimonii, quod antea in faciem Ecclesiae contractum erat. 3. Qualitas personae, uti si Reges aliique Proceres nuptias ineant, quorum matrimonia nunquam denunciari solent, quia sunt valde nota antequam concludantur, unde periculum occultationis impedimentorum cessare videtur. 4. Urgens necessitas aut quaecumque causa boni communis, vel etiam notabilis contrahentium commoditas sive spiritualis, sive temporalis, aut etiam notabile incommodum quod aliter vitari non possit.

« *Quod si vir et mulier conjungendi sint diversarum Dioecesium,* ait Bossius de Matrim. cap. 7. §. 15, *non esse opus dispensatione utriusque Ordinarii, sed Ordinarium Praelatum alterius contrahentis posse cum utroque in de-*

nunciationibus dispensare, sicut alteruter Praelatus Ordinarius potest legitime assistere matrimonio, docent Sanchez lib. 3. disp. 7. n. 7., Guttierez, Ægidius Coninch, et Hurtadus ob eam rationem, quia hac in re contrahentes seu conjuges censentur una persona, et ratione connexionis uterque alterius Praelato censetur subjectus, sicut censetur subjectus ut coram Praelato alterius contrahat. » Et quamvis Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 31. n. 9. dicat se de hoc dubitare, quia saepe, inquit, potest contingere ut impedimentum quod in una Dioecesi non est, sit notum in alia, et ita ex dispensatione denunciationum in una Dioecesi non sequitur per connexionem et colligationem aliqua dispensatio in alia : in quo est valde diversa ratio de Matrimonio et denunciationibus, nam in matrimonio, cum sit necessario vinculum duorum, necessario etiam fit, ut qui unum conjungere potest, possit et alium; in denunciationibus autem non est ita necessaria colligatio et consequentia, ut ex se constat. Quamvis, inquam, Pontius ita dubitet, nihilominus cum praedictis Doctoribus est affirmandum; « *quia etsi non est tanta connexio, sicut in ipso matrimonii contractu, est tamen connexio, et per dispensationem unius Praelati vere satisfit decreto Tridentini, quod solum requirit ut Ordinarius dispenset, et cum Ordinarius dispensans debeat informari an aliqua subsint impedimenta, eo ipso quo cum tali diligentia dispensat cum uno, dispensatio absque periculo alicujus inconvenientis et periculi, ne ignota remaneant impedimenta, potest ad alium extendi.* » Confer ipsum Bossium et Doctores ab eo laudatos cit. loco.

CAPUT VIII.

DE NATURA MATRIMONII

§ CLX.

DE DEFINITIONE MATRIMONII

Matrimonium in utroque Jure definitur « *maris et foeminae conjunctio individuam vitae consuetudinem continens* » quam definitionem Theologi omnes amplexati sunt. « *Matrimonium*, ait Catechismus Romanus part. 2. cap. 8. n. 2.; *ex communi Theologorum sententia definitur: viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.* » Igitur matrimonium natura et origine sua contractus est, per quem masculus et foemina procreandae et educandae sobolis, ac mutui auxilii causa ad individuam vitae societatem indissolubili quodam nexu se obstringunt. Quamobrem natura et essentia matrimonii, si spectetur in sua causa efficiente sive *in suo fieri*, ut Scholastici loquuntur, sita est in ipso contractu seu consensu mutuo, quo vir et mulier ad eam vitae societatem se obligant, sibique jus transferunt ad actus matrimoniales, non autem in usu ipsius juris seu in carnali conjunctione; qua de re Julianus Pelagianus turpiter erravit, a S. Augustino correptus his verbis; « *nihil aliud esse dicis nuptias, quam corporum commixtionem.* » Nam matrimonium, ut ait S. Chrysostomus Hom. 32. in Matth. « *non facit coitus, sed voluntas* »: et S. Ambrosius lib. de Institut. Virginum cap. 6. refellens opinionem eorum

qui inter B. Virginem et S. Josephum ideo putant verum matrimonium non extitisse, quod nunquam coiverint, sic graviter pronunciat. « *Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* » Hinc utroque Jure recepta est regula « *nuptias non concubitus, sed consensus facit.* » L. 30. ff. de R. J. Can. 5. caus. XXVII. q. 2. At vero internus consensus et pactio externa, quibus matrimonium efficitur, sunt actus transeuntes et momentanei: ipsorum tamen effectus seu vinculum quod eo contractu inducitur, perpetuo manet, donec conjugum uterque vitam vixerit. Quare natura et essentia matrimonii posteriori modo spectata, sive *in facto esse*, ut ajunt, in eodem vinculo, obligatione seu nexu quo mutuo conjuges obstringuntur, collocanda est.

§ CLXI.

DE MATRIMONIO QUATENUS SACRAMENTUM

Matrimonium autem apud Christianos est etiam verum proprieque dictum novae legis Sacramentum, quemadmodum Catholica Ecclesia semper docuit. Sed praestat inter caeteras Ecclesiae definitiones in medium proferre Canonem I. Trid.ae Synodi in sess. 24. latum his verbis. « *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo institutum, neque gratiam conferre, anathema sit.* » Ex quo Canone perspicuum est, non benedictionem Sacerdotis, nec quidquam aliud esse Sacramentum quod contractui accedat eumque sanctificet, sed ipsum matrimonialem contractum vere et proprie Sacramentum esse. Namque Concilium definit matrimonium esse Sacramentum; nomine autem matrimonii nihil intelligi aliud potest, quam

verus et unus matrimonialis contractus, nisi velis inepte dicere, matrimonii nomine ipsum Sacramentum designari, ut sensus sit: si quis dixerit Sacramentum matrimonii non esse Sacramentum, anathema sit. Itaque Doctores Catholici omnes mirifice sentiunt, matrimonialem contractum ad dignitatem Sacramenti evectum esse. Nonnulli de re una dissident, an scilicet contractus naturalis tantum, an vero civilis ad dignitatem Sacramenti evectus sit; sive quod magis quaestionem explicat, an Christus Dominus ad eam dignitatem evexerit contractum quemlibet matrimonialem, qui secundum naturales et divinas leges validus sit atque legitimus, an vero contractum civilem, qui scilicet non solum naturalibus et divinis legibus, sed legibus etiam civilibus et politicis ejus loci in quo contrahitur legitimus et validus habeatur. In qua quidem controversia facile in eorum sententiam adducti sumus, qui pro contractu naturali causam agunt. Etenim Synodus Trid.ª sess. 24. in doctrina de Sacramento Matrimonii postquam docuit, matrimonii perpetuum et indissolubilem nexum a primo humani generis parente Divini Spiritus instinctu pronunciatum fuisse, cum dixit: « *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* »; sic pergit: « *gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmāret conjugesque sanctificaret, Christus ipse venerabilium Sacramentorum Institutor atque perfector sua nobis passione promeruit.* » Denique per ipsam Christi gratiam matrimonium seu matrimonialem contractum in lege Evangelica ad dignitatem Sacramenti elatum esse concludit his verbis. « *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet; merito inter novae legis Sacramenta adnumerandum SS. Patres nostri, Concilia, et universalis*

Ecclesiae traditio semper docuerunt. » Quibus ex verbis duo maxime sunt perspicua: 1. quidem naturalem illum amorem et indissolubilem nexum, quo vir et uxor in Paradiso terrestri ab ipso Deo copulati sunt, per Christi gratiam perfectum et confirmatum esse, conjugesque sanctificare. 2. Per eam Christi gratiam et sanctificationem matrimonium veteribus conjugiis praestare, et merito inter Sacramenta numerari. Illud igitur matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum est, quod in Paradiso terrestri primum extitit. Quid autem matrimonii illud fuit? Nempe contractus naturalis et nulla ratione civilis, nondum enim civiles contractus ulli erant. Multa hujusmodi argumenta proferre possemus ex ecclesiasticis monumentis quibus docemur matrimonium, ut naturae officium vel naturalem conjunctionem dignitate Sacramenti auctam esse; at nullus locus ex iisdem monumentis proferri potest, ubi matrimonium civilis contractus appelletur. Verumtamen non diffiteor a privatis Doctoribus aliquando civilem contractum vocatum esse; at nomen illud lato quodam sensu usurparunt, ut significarent matrimonium esse contractum civilem et sensibilem quem ineunt cives inter se, quique civiles effectus parit, ut administratio bonorum uxoris, jura dotium, successio filiorum in bona et dignitatem familiae et hujusmodi. Hi vero effectus Sacramento extrinseci sunt, nec in essentiam et naturam matrimonii ingrediuntur, sed ex eo profluunt, postquam rite perfectum est. Quamobrem in matrimonio, quod civile et profanum est, Sacramento posterius est, ab eoque secretum et extraneum. Ex quo fit ut potestas civilis hujusmodi effectus moderari possit, quia nihil in eis attigit, quod ad essentiam et naturam Sacramenti pertineat.

§ CLXII.

DE DISCRIMINE MATRIMONIUM INTER ET ALIOS CONTRACTUS

Qualis autem differentia sit inter contractum matrimonii aliosque contractus breviter explanandum est. Itaque naturalis contractus matrimonii a civilibus et humanis contractibus praesertim differt: 1. quod matrimonium a jure naturali et divino originem et institutionem habet, eique a Deo ipso seu jus naturae explicante, seu legem positivam ferente quaedam conditiones, quales praecipue monogamia et insolubilitas, affixae sunt, in quibus matrimonium nulli subditur potestati quae divina inferior sit; caeteri autem contractus a jure gentium vel speciali jure cujusque nationis profecti sunt. Quin primaeva viri et mulieris conjunctio, cujus Deus auctor fuit, sanctissimi illius vinculi quo Christus cum Ecclesia sua copulatus est, mysticum signum praetulit, ex quo factum est, ut a SS. Ecclesiae Patribus ea matrimonia, quae ante legem Evangelicam iniri solebant, Sacramenta lato quodam sensu appellata sint, eoque nomine ipsa infidelium matrimonia honestata fuisse legimus. Sic Innocentius III. Cap. Gaudemus de Divort. haec habet: « *Cum Sacramentum conjugii apud fideles et infideles existat.* » Illud etiam animadversione dignum est, quod in humani generis diffusione non solum apud Judaeos caeremoniis et ritibus sacris nuptiae celebratae sunt, sed etiam apud Paganos, quasi matrimonio divini aliquid inesse arbitrarentur.

2. Differt, quod consensus matrimonialis natura sua solutus, expers, et liber est ab alieno imperio, neque ulla potestate humana suppleri potest; repugnat enim fini seu mutuo amori quo animos copulari oportet in ma-

trimonio, ut sine proprio consensu ineatur; sed in caeteris contractibus quamvis spontaneus et liber postuletur, aliquando tamen publica potestas cogit cives vel invitos ad certum contractum ineundum, quin si nolint consentire aut nequeant, consensum ipsa supplet ut actus valeat.

3. Differt, quia matrimonium quod ad ejus validitatem spectat, a divina, naturali et ecclesiastica lege, non tamen a civili, et Principum arbitrio pendeat, sicut civiles contractus reliqui; de quo in Jure publ. Ecclesiast. disputavimus.

4. Denique matrimonium a caeteris contractibus differt, quantum quidem res sacra a profana; est enim invisibilis gratiae visibile signum, dum ad Sacramenti dignitatem elatum est, quo conjuges sanctificantur.

§ CLXIII.

DE MATERIA ET FORMA

Apud omnes Catholicos certum est, contractum illum qui matrimonium vocatur ab Ecclesia, esse materiam Sacramenti; est enim res sensibilis ex qua Sacramentum conficitur; quin ex Synodi Tridentinae definitione matrimonium ipsum est vere et proprie Sacramentum. Sed quia multa possunt in matrimonio distingui, videlicet: 1. mutuus nubentium consensus verbis aut signis expressus: 2. mutua corporum traditio: 3. nexus seu vinculum ex illo contractu resultans: 4. denique mutuum jus et obligatio in utroque contrahente ad debitum conjugale; idcirco in determinanda materia Sacramenti multum dissentiunt Doctores, dum alius aliam contractus partem seu proprietatem pro Sacramenti materia constituat.

Itemque de forma Doctores disputant, an in verbis vel externis signis contrahentium ponenda sit, an in verbis Sacerdotis qui contrahentes in matrimonium copulat. Verum haec disputatio ex alia quaestione pendet, quisnam Sacramenti Matrimonii Minister sit? Nam qui docent, ipsos contrahentes Sacramenti ministros esse, quorum uterque sibi, vel alter alteri illud administret, Sacerdotem autem auctorizabilem testem, ut ajunt, dumtaxat esse, ejusque benedictionem caeremoniam ecclesiasticam quae ad Sacramenti essentiam non pertinet, consequens est, ut Sacramenti formam in contrahentium verbis aut externis signis collocent, quum omnium Sacramentorum forma per Sacramentorum ministros apponatur. Contra autem ex eorum sententia qui putant, Sacerdotem non modo testem auctorizabilem esse, sed etiam Sacramenti ministrum, ita ut sine ipsius ministerio validus quidem et firmus matrimonii contractus, non tamen confici Sacramentum possit, plane consequitur, Sacramenti formam contineri his verbis: « *ego vos in matrimonium conjungo* », aut aliis aequivalentibus quae Sacerdos juxta receptum cujusque provinciae ritum adhibuerit. Itaque de Ministro Matrimonii dicendum erit.

§ CLXIV.

DE MINISTRO MATRIMONII

In hac quaestione gravissima duo sunt apud omnes explorata: 1. opinionem, quae solos contrahentes Sacramenti Ministros facit, unanimem esse veterum Scholasticorum sententiam, hanc enim propugnarunt fere omnes antiqui Theologi, Jurisque Canonici Interpretes, quae quidem in Theologicis doctrinis antiquitas summa est nota veritatis. 2. Eamdem sententiam, postquam etiam

nova opinio in medium prolata fuit, permansisse adhuc in Scholis communiorem. Quamobrem Tournely, quamquam Melchiori Cano adhaereat, ingenue tamen fassus est in Tractatu de Matrimonio: « *Si ex auctoritate et numero Scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia.* » Huic antiquiori et communiori sententiae illud gravissimum argumentum accedit, quod doctrinae et praxi Ecclesiae mire congruat. Congruit doctrinae, quia Tridentini Patres sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrimon. declararunt: « *Clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit.* » Si etenim nuptiae sine Sacerdotis praesentia celebratae vera et rata matrimonia extiterunt, cum ex recepto a Sacris Canonibus loquendi modo ea tantum matrimonia dicantur vera et rata quae non solum contractus sunt, sed vera et proprie dicta Sacramenta, fit inde ut illius Sacramenti ministri sint contrahentes et non Sacerdos; quandoquidem sine ejus praesentia et ministerio Sacramentum confici non potuisset. Congruit etiam praxi, quia matrimonia coram duobus testibus et Parocho, sed eo invito et reluctante, inita juxta contrariam sententiam essent valida quidem in ratione contractus, sed ob defectum Sacerdotalis benedictionis non essent Sacramenta. At Ecclesia aliter sentire videtur, ut multis verbis demonstrat Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 8. cap. 13. « *ne sic copulati fideles perpetuo carerent gratia, quae in Sacramento matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Ecclesia illos compellere aut saltem hortari, atque inducere ad suum contractum legitime, consuetisque adhibitis sacris ritibus iterum renovandum coram eodem Parocho, cujus verbis fiat Sacramentum, atque ob eamdem rationem coram Sacerdote aut praeciperet aut saltem instaurari curaret clandestina conjugia in locis inita ubi Tridentini decretum non est susceptum. Cum*

autem neutro casu conjugii renovationem ab Ecclesia urgeri videamus, non temere inde conjicimus utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, jam ab Ecclesia haberi pro Sacramento. » Huc etiam faciunt plures S. Congregationis Concilii declarationes, quas idem Pontifex cit. Oper. lib. 13. cap. 23., et Fagnanus in Cap. Quoniam n. 25. de Constitution. referunt, ex quibus perspectam habemus validitatem matrimonii coram legitimo Parocho et testibus celebrati, quamvis Parochus auctoritatem suam neque dicto, neque facto interposuerit. Jam vero declarationes istae matrimonium spectant, quatenus Sacramentum est: Congregatio enim de matrimonio non ut contractus pure humanus, sed ut Sacramentum est, sententiam rogabatur. Quin Petrus Ledesma apud Pontium de Matrim. lib. 1. cap. 8. affert ipsius Congregationis declarationem, in qua expressis verbis Sacramentum memoratur. Est autem declaratio: « *Non pertinere ad substantiam matrimonii Sacramenti, ut Parochus aliqua verba proferat.* » Quamobrem necesse est alterutrum affirmare, aut Sacerdotem non esse Sacramenti Matrimonii Ministrum, aut Sacramentum ab eo confici qui nihil agit, qui verba nulla profert, qui etiam repugnat et contradicit. Hoc autem posterius, quo Sacramenti Minister Sacerdos esset nihil verbis aut factis administrans, imo celebrationi Sacramenti ipsius apertissime repugnans et contradicens, adeo ab Ecclesiae doctrina rectaque ratione alienum et absonum est, ut nihil videatur esse absurdius.

Verum facere non possum, quin hic memorem declarationem ejusdem S. Congregationis Concilii *in Tricanensi* 27 Martii 1632. Rogata Congregatio, quemadmodum matrimonium valide contrahi posset, ubi Tridentinum publicatum sit, sed Parochialis Ecclesia proprio Parocho, et Cathedralis Episcopo careat, et Capitulo habente facultatem delegandi alium Sacerdotem, nullusque

alius ibi sit, qui Parochi vel Episcopi vices suppleat: « *censuit valere matrimonium absque praesentia Parochi, servata tamen in eo in quo potest forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Si vero existat quidem Parochus vel Episcopus, sed nullo constituto Vicario et uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alterutrum tutus sit accessus, validum quoque esse matrimonium contractum absque forma S. Concilii Tridentini adhibitis tamen duobus, uti dictum est, testibus.* » Jam vero declaratio spectat matrimonium secundum formam Tridentini contrahendum, nimirum quatenus Sacramentum, nec tamen in iis rerum circumstantiis praesentia et ministerium Sacerdotis ad ejus validitatem postulatur. Quid apertius, quid luculentius dici potest pro sententia quam tuemur?

Denique Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum haec habet. « *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia: Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti regulariter expressus.* » Sed Eugenius profitetur se Sacramentorum doctrinam Armenis tradendam assumere; non meminit autem Sacerdotis, sed simpliciter tradit, matrimonium effici consensu mutuo per verba de praesenti. At vero meminisse Sacerdotis, si Sacramenti Minister esset, oportebat omnino; aliter enim instructio Pontificis manca et imperfecta fuisset in re quidem substantiali, unde Armeni in errorem trahi, aut saltem in graves dubitationes potuissent. Restat igitur, ut Sacerdos, et verba ab ipso prolata ad Sacramenti Matrimonii essentiam non pertineant, nec ipse Sacramenti Minister habendus sit.

Multa quidem argumenta sunt, quae Melchior Canus ejusque asseclae contra proferunt, sed ea singillatim diluunt Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 6., et seqq., Billuart de Matr. cap. 6., Pontius cit. lib. 1. cap. 8., aliique sexcenti.

§ CLXV.

DE CONSENSU MATRIMONIALI

Vulgo traditur matrimonium consensu perfici, quo significatur caetera omnia irrita esse, si consensus utriusque conjugis defuerit. At quamquam consensus matrimonium vere efficiat, non tamen solus sufficiens est. Nam matrimonium non valide contrahitur, nisi consensus ipse coram Parocho et tribus vel duobus testibus exprimatur, ipsique contrahentes omni impedimento careant, quemadmodum infra explicabimus. Ad licitam vero celebrationem praeter haec omnia requiritur etiam, ut contrahentes impedimento impedienti non laborent, et observent quae ad dignam ejus celebrationem ex Ecclesiae statuto pertinent, seque disponant ad gratiam Sacramenti suscipiendam.

Consensus autem utriusque per verba de praesenti exprimi debet, et quamquam nutus aliaque signa externa aperte consensum exprimentia, in iis etiam qui loqui possunt, ad matrimonium contrahendum absolute sufficiant, tamen ubicumque est praescriptum Parochis, ut dum benedicunt assistuntque nuptiis, consensum verbis exprimendum a conjugibus requirant. At sive vir et mulier simul consentiant, sive unius praecedente consensu ac permanente consensus alterius subsequatur, tum demum matrimonium perficitur, quum consensus utriusque adfuerit. Quare contrahi potest non solum

inter praesentes, sed etiam inter absentes per procuratorem, dummodo 1. procurator speciali mandato ad contrahendum cum certa persona instructus sit: 2. mandatum ipsum per se impleat, servetque tam omnes ejusdem mandati limites, quam Tridentini legem de contrahendo coram Parocho et testibus: 3. denique mandatum eo tempore, quo nomine mandantis contrahit, revocatum non sit.

§ CLXVI.

DE CONSENSU SIMULATO

Cum itaque consensus contrahentium in primis nuptias faciat, ubi amborum aut unius consensus deficit, nuptiae nullae sunt. Potest autem consensus deesse, vel quia per errorem, vim, metumve, aut sine debita cognitione datus est, de quibus in exponendis impedimentis dicendum erit, vel quia contrahens ex propria malitia simulavit consentire et contrahere, vere tamen et ex animo non consensit. Hoc posteriori casu exploratum est, matrimonium non valere, quia non verba externa aut eorum sonitus, sed animus et voluntas sese obligandi, sive verus consensus internus matrimonium efficit. Nemo autem dubitat, quin is qui non consensit, gravissime peccaverit, et peccato injustitiae in contractu, et peccato sacrilegii in Sacramento, atque in utroque foro teneatur praestare consensum. Interim Ecclesia consensum hunc seu verbis, seu signis certis et claris sufficienter exploratum tamdiu verum esse praesumit, quamdiu contrarium evidenter non probetur, neque credit contrahenti, quamvis juramento confirmet se ficte consensisse: « *cum nimis indignum sit juxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eumdem*

casum proprio valeat testimonio infirmare », ut inquit Innocentius III. in Cap. Per tuas 10. de Probat.; secus enim divortiis et adulteriis via aperiretur, dum quem propriae uxoris poeniteret, facile posset fictionem consensus allegare, ut sibi fas esset ad alias nuptias convolare.

At casus magis perplexus est, si is qui cum una ficte consensit, cum altera vere et sincere consentiret. Doctores numero pauci se ab hac difficultate facile expediunt, dum asserunt, eum vere contrahere qui serio et libere externa profert signa et verba, quibus matrimonialis consensus exprimatur; quamvis habeat statutum animo non contrahendi sed decipiendi. Ostentant auctoritatem Magistri Sententiarum, qui dist. 27. sic loquitur: « *Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes: accipio te in virum, et ego te in uxorem, matrimonium facit.* » Hujus autem sententiae argumenta sunt, quod fraus et dolus nemini debeat patrocinari, quodque omnia propemodum matrimonia incerta forent, aut saltem in controversiam et discrimen adducerentur. Verum hae rationes alicujus momenti essent, si de humanis contractibus ageretur, in quibus civilis auctoritas potest consensum praecipere vel supplere, licet non desint Auctores qui generatim de omni contractu pronuncient, secluso damno, aut injuria, aut scandalo, nullam obligationem parere implendi quod ficto animo polliciti sumus, quum omnis obligatio privata ex hominum voluntate consurgat. Hac tamen quaestione in medium relicta, exploratum est dissimilem profecto esse rationem matrimonii atque aliorum contractuum, tum quia matrimonium non modo corporum, sed etiam animorum conjunctio est, tum quia consensus matrimonii nulla potestate suppleri valet. Itaque dubitandum non est, quin matrimonium simulato animo

initum nullum sit, idque confirmatur etiam ex Cap. Tuanos de Sponsal. et Matr. Quamobrem in allato casu primum matrimonium ficte initum non consistit, sed alterum omnino valet. Ecclesia tamen quae judicat secundum acta et probata, censuris etiam compelleret ad cohabitandum cum ea, quacum prius matrimonium contractum fuit. Quare fit, ut simulator, si fictionem in foro externo probare nequeat, neutro matrimonio uti potest; non primo, quia defectu consensus nullum fuit, ac potius debet quodvis sustinere incommodum ac etiam excommunicationem quam per carnale commercium peccatum operari; non secundo, quia ob Ecclesiae prohibitionem ab ejus usu et habitatione penitus removetur. Sed illud merito sibi imputet.

§ CLXVII.

DE CONDITIONIBUS MATRIMONIO APPOSITIS

Matrimonia ob Sacramenti reverentiam et plurium incommodorum pericula pure et simpliciter celebranda sunt, neque a Parochis ferendum est, ut coram se sub ulla conditione ineantur. Attamen nec Sacri Canones, nec ipsa natura matrimonii omnino impediunt, quominus ei consensui matrimoniali quaedam conditiones apponantur. Conditio autem communiter definitur qualitas dispositioni seu actui adjecta, dispositionem ipsam seu actum in dubium futurum eventum suspendens, ex. gr. contraho tecum, si navis ex India venerit. Igitur « *vera conditio in futurum concipitur; nam quae in praeteritum aut praesens tempus concipitur, figuram, non vim conditionis continet* » ut loquitur L. 6. ff. de Haered. instit. Quamobrem si matrimonium sub conditione in praesens aut praeteritum tempus concepta ineatur, veluti contraho tecum, si Pa-

ter tuus Consul fuit, aut Consul electus est, statim matrimonium ipsum aut ratum, aut nullum est; quae enim jam certa sunt, licet apud nos incerta, obligationem non morantur, videlicet vel conditio extitit, et consensus adest; vel non extitit, et consensus deest: tantummodo suspenditur matrimonii usus donec exploratum fuerit, an conditio reapse extiterit, vel non extiterit. Pariter conditiones necessariae, seu in sua causa determinatae, matrimonium non suspendunt, quia pro existentibus jam habentur, uti contraho, si sol cras oriatur, aliaeque hujus generis. Denique generales illae conditiones, quae omni contractu continentur, veluti ducam te, si vixerimus, si Deus voluerit, vel quae matrimonio intrinsecae sunt, veluti ducam te si non sis consanguinea mea, si non sis matrimonio jam copulata, vim et effectum conditionum non habent, sed matrimonium confestim valet si aliud impedimentum non extiterit.

Igitur superest ut solae conditiones de futuro contingenti contractum matrimonii et consensum ipsum conditionatum efficiant, ac in incertum conditionis exitum suspendant. At conditiones hujusmodi aut honestae et possibiles sunt, aut turpes et impossibiles. De conditionibus turpibus et impossibilibus celebris est Decretalis Gregorii IX. in Cap. Si conditiones de Condit. appos., cujus haec verba sunt. « *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu; licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjunctis haberi.* » Jam vero in hac Decretali duo a Pontifice distinguuntur genera conditionum turpium: primum earum quae

sunt contra substantiam matrimonii; alterum vero illarum quae simpliciter turpes sunt; impossibilium autem unum genus nominatur, earum scilicet quae ex natura rei, seu de facto executioni mandari non possunt. Conditiones primi generis, si matrimonio apponantur, ex aperta Pontificis declaratione matrimonium nullum et irritum omnino reddunt. Istarum autem conditionum tria tantum exempla in cit. textu recensentur; multa tamen alia reperiri possunt conditionum exempla, quae substantiae matrimonii repugnent; generatim enim conditio ejus generis habetur, quae matrimonii bona, videlicet aut prolem, aut fidem, aut Sacramentum impediat vel destruat. Ita conditiones de dominio corporum non transferendo, de matrimonii vinculo ob adulterii causam dissolvendo, ejusdem matrimonii substantiae repugnant, illudque irritum reddunt si in pactum deductae sint. Hinc Congregatio S. Officii ad Episcopum Bosnensem, a quo dubium propositum est « *an sit validum matrimonium contractum inter Catholicam et Schismaticum haereticum cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium* »: respondit « *si ita sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla; sin aliter, sunt valida.* » Quamquam enim contrahentes putarent vinculum matrimonii aliquibus causis, ex. gr. adulterio interveniente solvendum esse, si id tamen in pactum non deducant illudque inire velint, quemadmodum a Christo institutum est, matrimonium ita contractum validum firmumque manet « *praevalente nimirum generali voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente* » uti loquitur Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 22. Porro ex cit. Cap. de Condit. apposit. cacterae conditiones simpliciter turpes, nec substantiae matrimonii contrariae, uti contraho tecum, si furtum commiseris; itemque conditiones ex natura rei

seu de facto impossibiles, veluti si dicatur, contraho tecum, si coelum digito tetigeris, contractum non suspendunt nec dirimunt, sed favore matrimonii pro non adjectis habentur. Verum praedicta Juris Canonici dispositio, qua matrimonium initum sub conditione simpliciter turpi aut impossibili indefinite validum pronunciatur, perinde ac si conditio ipsa apposita non fuisset, aliquibus difficilis explicatu visa est. Fieri enim potest, ut contrahentes non consenserint, nisi sub ea conditione turpi vel impossibili: defectum autem hujusmodi consensus nec Pontifex, nec Ecclesia supplere possunt. Itaque mens illius Capitis ea esse videtur, ut conditiones simpliciter turpes aut impossibiles non adjectae serio animo generatim praesumantur: adeoque standum pro valore matrimonii, donec contrarium demonstretur, idque ob eam gravissimam causam, quod semper in dubiis favore matrimonii praesumendum est, ne forte legitimi conjuges separentur. Igitur haec juris praesumptio, quae probationem in contrarium non excludit, veritati cedere debet, si non ludendi, sed verum consensum denegandi gratia ejus generis conditiones appositas esse demonstretur.

Postremum conditionum genus, videlicet conditiones de futuro contingenti, quae possibiles et honestae sint, uti contraho tecum, si pater tuus consenserit, si navis ex Asia venerit, nomen et vim conditionis proprie retinent, atque valorem desponsationis suspendunt, donec conditio extiterit, vel non extiterit. Oportet autem ut hae conditiones in continenti, ut ajunt, sive in ipso contrahendi actu adjiciantur; siquidem adjectae postea matrimonio non illud suspendunt, nec vitiant, sed vitiantur ipsae, nihilque operantur, secus enim indivisibile foedus conjugii arbitrio contrahentium committeretur.

Sed quaestio est, an matrimonium sub possibili et honesta conditione coram Parocho et testibus initum,

eadem eveniente conditione sine novo consensu et solemnitate statim valeat. Innocentius, Panormitanus, Sanchez, aliique plures existimant ex priori consensu conditionato, modo revocatus non sit, neque aliud obstet, obligationem seu contractum matrimonialem impleta conditione purificari et perfici, ut matrimonium sine novo consensu perfectum et absolutum evadat. Ea enim est vis et potestas conditionis. At Gonzalez, aliique arbitrantur, hujusmodi matrimonia pro sponsalibus habenda esse, cum non praesentem consensum, sed potius promissionem futurarum nuptiarum contineat. Quare consensu novo post conditionis eventum opus est, et conditione pendente vel etiam expleta, et consensu nondum renovato si aliud matrimonium pure et absolute ineatur, hoc posterius omnino valet. Atqui tamen puto primam sententiam probabiliorem. Nonne omnibus matrimoniis ex dispositione ipsius Juris conditio inest, si Religionem non ingressus fuero? Sed per conditionem illam matrimonium induit naturam sponsalium? Profecto emptionis et venditionis contractus praesentem consensum postulat, et tamen ex jure naturali et civili didicimus, quod si conditiones de futuro contingenti apponantur, hae haudquaquam efficiunt, ut contractus in pactum seu in promissionem emendi vendendi resolvatur. Neque ejus generis matrimonia post conditionem impletam indigent nova solemnitate seu assistentia Parochi ac testium. Eam enim Synodus Tridentina postulat, quando primae nuptiae per verba de praesenti contrahuntur. Huic sententiae suffragantur duo decreta S. Congregationis Concilii, quorum alterum a S. Pio V. et alterum a Clemente VIII. probatum est, quae refert Fagnanus in cap. 3. de condit. appos. Caeterum deficiente conditione apposita oportet denuo matrimonium coram Parocho et testibus celebrare, si forte contrahentes vellent, non obstante conditionis defectu, priores nuptias

confirmare; namque consensus prior nihil prodest amplius, cum ob defectum conditionis omnino defecerit.

§ CLXVIII.

DE MODO, CAUSA ET DEMONSTRATIONE

Conditionibus affinia sunt modus, causa, et demonstratio. Modus est quaedam adjectio oneris, quo vult contrahens alterum contrahentem adstringere in matrimonio ineundo, ex. gr. contraho tecum, ut divitias vel publicum munus mihi compares. Causa est expressio alicujus rationis ob quam contrahitur, uti contraho tecum quia nobilis es. Denique demonstratio est designatio qualitatis, quam putamus inesse personae cum qua contrahimus, uti contraho tecum quae filia Principis es.

Jam vero demonstratio vel causa sive falsa, sive vera, sive honesta, sive turpis qualiscumque demum sit, non destruit matrimonium nec suspendit, quum utraque substantiam contractus nullo modo attingat; causa quidem se habet, ut occasio quaedam quae ad contrahendum allicit, non tamquam vera causa et conditio a qua consensus unice pendeat; demonstratio etiam nihil aliud est quam opinio de qualitatibus personae cum qua contrahitur. Si tamen in causa vel demonstratione lateat error personae vel conditionis, matrimonium nullum erit, uti si dicatur: duco te qui liber es, vel Primogenitus Regis. Nam non quidem ob falsam demonstrationem vel causam, sed propter errorem personae vel conditionis nuptiae invalidae sunt, atque adeo matrimonium ex hujusmodi errore contractum adhuc irritum esset, etiamsi demonstratio haec et causa non fuisset adjecta, quemadmodum in explanando erroris et conditionis impedimento compertum erit.

Quod autem ad modum attinet, si hic honestus et possibilis sit, matrimonium non dirimit nec suspendit, in hoc enim differt a conditione, quod conditio efficit ut actus ejusque vis in suspenso maneat donec extiterit, modus autem contractum jam perfectum supponit, eumque dumtaxat temperat oneris adjectione. Si vero modus sit impossibilis aut turpis, uti contraho tecum, ut montem aureum mihi des, ut furtum facias, matrimonium valet, et modus pro non adjecto habetur. Idque generatim contractuum omnium proprium est, ut sub modo turpi vel impossibili non vitientur, sed modus ipse pro non adjecto habeatur. Sane non vitiatur contractus, quia modus ei supervenit jam perfecto, vitiatur autem modus, quia turpium et impossibilium nulla est obligatio. Ob eamdem rationem multi Doctores censent modum etiam substantiae matrimonii repugnantem, ex. gr. contraho tecum, ut corporis quaestum facias, non obstare quin idem matrimonium valeat, sed modum ceu non adjectum habendum esse. Quae sententia arridet, nisi forte modus sub ratione conditionis positus sit: generatim enim si modus, aut causa, aut demonstratio apponatur tamquam conditio vera a qua consensus pendeat, eadem jura valere debent, quae hactenus de conditionibus exposuimus.

§ CLXIX.

DE MATRIMONIO AD MORGANATICAM

Inter matrimonia, quae sub modo ineuntur, duo celebriora et frequentiora sunt, scilicet matrimonium ad morganaticam, et matrimonium conscientiae de quibus dicendum est. Matrimonia ad morganaticam ita describit Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 13. cap. 23.

« *Ea sunt quibus vir nobilis post susceptos ex prima uxore itidem nobili liberos, ea defuncta cum continentiae leges sine uxore observare non possit, coram Parocho et testibus obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione, alteram ex humiliori ordine ducit, addita conditione ut tam mulier, quam filii ex eo matrimonio nascituri, nihil sibi juris ex eo acquirere possint praeterquam ad ea quae ad victum sunt necessaria. Hujus conditionis vi et mulier a participanda mariti dignitate excluditur, et filii ab omnibus titulis, muneribus, et paternorum avitorumque bonorum successione extranei censentur.* » Hujusmodi conditio sive pactum ad morganaticam, quatenus uxorem spectat, apud Romanos propemodum in usu fuit; apud eos enim fiebant nuptiae triplici modo, per usum, per emptionem, per confarreationem; eratque in arbitrio viri positum, quonam ex his mallet uxorem ducere. Itaque si nuptiae per confarreationem celebrarentur, tum uxor erat particeps sacrorum, bonorum, nominis et dignitatis mariti: si per usum et emptionem, non item; de quo confer Ludwig de differ. Jur. Rom. et Germ. in dignit. uxor. dissertat. 2. in not. lit. *E.* At praedicta conditio, quatenus filios arcet a nobilitate, muneribus et successione in bona paterna et avita, plane adversatur juri communi; quandoquidem in L. 7. ff. de bonis damnat. haec leguntur. « *Cum ratio naturalis, quasi lex quaedam tacita, liberis parentum haereditatem adjiciat, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod et in jure civili suorum haeredum nomen eis inditum est; ac ne judicio quidem parentis, nisi meritis de causis submoveri ab ea successione possunt.* » Itaque illud pactum contra juris communis rationem inductum probatumque est a jure feudali ob duplicem causam, tum ut incontinentiae peccatis aditus intercluderetur, tum ut filiis ex priori matrimonio susceptis, aut agnatis per divisionem bonorum cum filiis secundi inae-

qualis conjugii praejudicium non afferatur, et ita familiae nobiles in pristino splendore conserventur; idque Reipublicae interesse visum est. Prima hujus pacti mentio fit in textu 2. Feud. 29. At verba illius textus, dum ait: « *nec filii amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum v. gr. decem libras, vel quantum voluerit dare quando desponsavit* » aperte videtur in patris arbitrio positum esse, eam quam maluerit quantitatem bonorum assignare. Verum lex ita accipienda est, ut patri non tribuat jus privandi filios alimentis quae jure naturali debentur. « *Quaedam*, ait Quintilianus declamat. 315.,*etiamsi nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur.* » Debemus igitur ex jure naturae feudale jus ita interpretari, ut dicamus collatum patri arbitrium assignandi filiis portionem, quae minor sit legitima a jure positivo praefinita, modo tamen tanta sit quae tuendae vitae sufficiat; secus enim jus naturae violatur. Praeterea pactum illud irritum est, si matrimonio contracto et filiis jam natis adjiciatur: parentes enim nobilitatem et jura liberis statim ac nati sint acquisita amplius auferre non possunt. Idem sentire debemus, si filii non jam nati, sed tamen concepti sint, Argum. L. 2. ff. de Decurion. An vero intuitu saltem mulieris possit praedictum pactum utiliter iniri, non satis apud Doctores compertum est. Sunt qui putant, post etiam nuptias fieri utiliter posse, quia mulier valet juri suo quovis tempore renuntiare. At haec opinio plerisque non placet eo saltem in casu, in quo ex statuto vel consuetudine loci aliquid uxori quaeratur statim contracto matrimonio; tum siquidem illud pactum donationem quamdam virum inter et uxorem matrimonio constante vetitam complecteretur.

§ CLXX.

DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE

Matrimonium conscientiae dicimus quod coram Paroco, aut alio Sacerdote legitime deputato, et duobus testibus contrahitur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeat. Initur itaque auctoritate Ecclesiastici Superioris qui ex justa causa dispenset tum super publicis denunciationibus, tum super descriptione ejusdem matrimonii in publico et ordinario matrimoniorum libro. Ex quibus satis intelligitur, matrimonium conscientiae verum et legitimum esse, nec temere confundendum cum aliis occultis conjunctionibus, quae non sunt verae nuptiae, sed foedi et damnati concubitus. Nemo tamen inficiari poterit occultis hujusmodi conscientiae matrimoniis spiritum Ecclesiae nequaquam favere. Quantum enim a Sacramenti dignitate et ecclesiasticarum legum praescripto haec matrimonia ut plurimum abhorreant, satis superque conjici potest ex exitiosis illis effectibus quos recenset Benedictus XIV. in sua Constitut. Satis vobis edit. 17. Novemb. 1741. Quapropter idem Pontifex in cit. Constit., ut tot tantisque malis obviam iret, monet in primis Episcopos, ne sine gravi et legitima causa super publicis matrimonii denunciationibus dispensent, neve post remissas publicationes matrimonium occulte celebrari permittant ex obvia quavis et vulgari causa; sed gravem, urgentem, et urgentissimam omnino postulat. Tum eos graviter hortatur, ut diligenter inquirant de qualitate, gradu et conditione personarum quae matrimonium occulte contrahere petunt, an sint sui vel alieni juris, an in minoribus Ordinibus constituti pensiones aut beneficia obtineant, ac potissimum a contrahentibus exposcant

clara et indubia et a quavis fraude immunia status liberi documenta. Denique jubet, ut secreto matrimonio intersit alterutrius contrahentis Parochus, aut si gravi impellente causa alius Sacerdos loco ejus deputandus sit, is ab Episcopo eligatur qui probitate, doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur, atque ab eodem Parocho, aut Sacerdote deputato contrahentes commonendi sunt, ut curent procreandam prolem quamprimum baptizari, eamque ut legitimam agnoscant, bonis moribus informent, ac frui patiantur bonis ad eam ex testamento, vel ab intestato delatis aut deferendis; utque ejusdem prolis nativitatem post baptismum denuncient Episcopo cum nota loci, temporis, et Ministri collati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum a quibus orta est; secus sciant matrimonium occultum in lucem proferendum esse, ne gravis nulloque pacto ferenda jactura legitimis filiis inferatur.

Celebrato matrimonio Parochus aut deputatus Sacerdos scriptum celebrati coram se matrimonii documentum Episcopo exhibeat de ejusdem matrimonii celebratione cum nominibus contrahentium, testium, loci, et temporis. Quocirca in singulis Cancellariis Episcopalibus duo peculiares libri caute servandi sunt, in quorum altero matrimonia hujusmodi describantur, in altero nomina filiorum qui ex ipsis matrimoniis procreantur, quotiescumque in publico Parochiali libro parentum nomina reticeantur, eosque libros clausos ac sigillis obsignatos nunquam patietur Episcopus aperiri, nisi vel alia id genus matrimonia aut baptismata describenda sint, vel id exigat justitiae administranda necessitas, vel aliquod documentum exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetat copia; reque absoluta denuo claudendi sunt, et sigillis ut antea obsignandi. Porro contrahentes ipsi, testes, et Episcopus, ac

Parochus, seu alius Sacerdos qui matrimonio interfuit silentii lege obstringuntur, tum quia in secretorum commissione silentium tacite exactum et promissum censetur, tum quia ex lege ecclesiastica, seu ex cit.ª Constitut.e Benedicti XIV. obligatio custodiendi silentii indicta est; dum enim in ipsa Constit. excipitur casus quo matrimonium evulgandum sit, satis superque evincitur reliquis casibus custodiendum esse. Vult autem Pontifex matrimonium eo in casu evulgari, quo soboles procreata baptizata fuerit vel reticitis, vel falso expressis parentum nominibus, et ipsi parentes intra dies 30. a nativitate numerandos vel immediate, vel per se ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per personam fide dignam ab eisdem designatam Episcopum certiorem non fecerint, prolem ipsam quae tali loco et tempore reticitis, aut falso expressis nominibus parentum baptizata est, esse legitimam, licet ex occulti matrimonii foedere susceptam. Verum praefati casus facta a Pontifice mentio non obstat, quominus alii casus adesse possint in quibus matrimonium palam faciendum sit: « *neque enim leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur.* » Igitur si alteruter ex contrahentibus vivente altero matrimonium ineat, aut quam primum initurus sit, matrimonium conscientiae manifestare oportere certum exploratumque est. Itemque si conjuges secum habitent, aut adeo familiariter versentur, ut scandalum in vulgus ortum sit, atque ab Episcopo moniti non studeant ita caute se gerere, ut quaelibet mali consortii suspicio adimatur, videtur ad scandalum avertendum, dum privatae admonitiones non profuerunt, Episcopus posse, imo debere matrimonium ipsum evulgare. Nemo etiam dubitat, quin filii possint matrimonium prodere, quando ex. gr. haereditatis ipsis testamento delatae sub conditione, si legitimi sint, aut

aliis cujuscumque juris aut utilitatis certam jacturam facturi essent. An vero matrimonium prodendum sit, quando aliter non filii, sed extraneae personae jactura et damno afficerentur, controversia est. Hujus rei exemplum sit: vir usumfructum bonorum suorum legavit uxori sub conditione, nisi ad secundas nuptias transiverit: Mulier vero clam matrimonium conscientiae inivit, ut legatis bonis sine molestia frui posset. Quaeritur itaque, an attestationem iniri matrimonii Episcopus tradere debeat haeredibus, qui aliquid de matrimonii ipsius celebratione suspicantur, ut eo pacto adversus mulierem agere valeant quae conditionem testatoris non observavit. Hanc quaestionem agunt Cajetanus in sum. v. *poena*, Diana in Editione coordinata tom. 6. tract. 8. resol. 54. aliique.

At vero obligatio secreti custodiendi in gratiam conjugum inducta est. Durat igitur haec obligatio, quoad conjuges ipsi vivant. Itaque iis mortuis matrimonium evulgandum est, ut constet filios ex legitimis nuptiis procreatos, eisque integra esse jura omnia quae legitimis filiis conveniunt. Huc praecipue respexit Pontifex, dum adeo sollicite jussit, ut duo libri servarentur, in quibus et matrimonia conscientiae, et proles inde suscepta fideliter describerentur.

De hoc argumento admodum docte copioseque agit Franciscus Mazzei in Libro de Matrim. Conscient., quem Romae edidit 1771.

CAPUT IX.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

§ CLXXI.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS

Quidquid impedit quominus Matrimonium aut licite, aut valide contrahi possit, impedimentum matrimonii vocatur. Idcirco impedimenta matrimonii alia *impedientia*, alia *dirimentia* dicuntur, quorum prima illicitum tantum, postrema et illicitum et invalidum reddunt matrimonium. Satis ampla est haec tractatio et cognitu valde necessaria. Primum autem de impedimentis impedientibus, deinde de impedimentis dirimentibus fusiori calamo agemus.

Jam vero impedimenta impedientia olim quidem plura fuerunt, nunc autem quatuor tantum obtinent hoc versiculo comprehensa, videlicet

» *Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum*
» *Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

§ CLXXII.

DE TEMPORE SACRATO

Sacratum seu feriatum *tempus* illud est, quo juxta praesentem Ecclesiae disciplinam non quidem matrimonium, sed ejus solemnitas ab Ecclesia prohibetur. « *Ab adventu D. N. J. C. usque ad diem Epiphaniae, et a feria*

quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit » ita Trident. sess. 24. cap. 10. de Reform. Matr. Veteres diebus pluribus, hoc est a Septuagesima usque ad Pascha, a feria secunda Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, et duabus vel tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis Baptistae tum a nuptiarum celebratione, tum ab ipso conjugii usu abstinebant, cap. 4. de Feriis, et caus. 33. q. 4. Can. 1. et seqq. Nunc itaque ex praefato Tridentini decreto solis diebus in eo statutis, non quidem celebratio matrimonii per verba de praesenti, neque ejus etiam consummatio, sed tantum nuptiarum solemnitas vetita est. Nuptiarum benedictio, solemnis sponsae in sponsi domum traductio, solemniora convivia ac tripudia, aliaque hujusmodi sunt quae matrimonii solemnitatem constituunt ac vetantur. Benedictio autem nuptiarum in eo sita est, ut Parochus postquam sponsos in matrimonium legitime conjunxit, sacrum votivum pro sponso et sponsa faciat, aut si ratione occurrentis Dominici, aut alterius festi diei sacrum illud votivum fieri nequeat, Missam celebret de die Dominico seu festo, eique orationem pro sponso et sponsa, aliasque pro benedictione sponsi et sponsae preces superaddat. Itaque nuptiarum benedictio fieri nequit toto feriato tempore; non vetatur tamen Parochus Missam currentis diei, omissis praedictis orationibus et precibus, celebrare, atque etiam sponsos, si id exposcant, Eucharistica dape reficere. At invaluit consuetudo ferme communis, ut Parochus feriato tempore nuptiis non assistat, nisi primum ab Episcopo veniam impetraverit.

§ CLXXIII.

DE PROHIBITIONE ECCLESIAE

Alterum impedimentum est Ecclesiae *vetitum*, quando videlicet ob justam causam vel Romanus Pontifex, vel Episcopus interdicit ne matrimonium contrahatur. Hoc tamen est inter Pontificis et Episcopi interdictum, quod Pontifex interdicto suo non solum prohibere potest ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, verum etiam decernere, ut contra suam prohibitionem initae nuptiae nullae sint: at Episcopus sicut impedimenta dirimentia statuere nequit, ita neque decreto irritante uti potest, aut si utatur, defectu potestatis nihil efficit. Ex quibus consequitur: 1. Interdictum Pontificium sine decreto irritante illicitas nuptias reddere, non invalidas; at si decreto irritante munitum sit (quod raro admodum fieri solet) tum illicitas, tum invalidas esse nuptias quae contrahantur: 2. Interdictum Episcopi quavis clausula, etiam decreto irritante munitum, nuptias illicitas quidem, non tamen irritas facere. Quocirca apud Sanchez de Matrim. lib. 3. tit. 21. n. 12. S.ª Congregatio Concilii generatim respondit « *valere matrimonium contractum coram Paroco, cui interdictum est ab Episcopo ne interveniat.* »

§ CLXXIV.

DE SPONSALIBUS DE FUTURO

Tertio *Sponsalia de futuro* cum uno inita impediunt, quominus licite cum altero nuptiae iniri possint, nisi vel mutuo consensu vel per Judicis sententiam soluta fuerint. Nam qui prioribus integris sponsalibus alteri nuberet,

datam fidem in re gravi frangeret, quod illicitum et injustum; matrimonium tamen ratum esset. Ceterum de Sponsalibus jam diximus satis superque.

§ CLXXV.

DE VOTO SIMPLICI

Quartum denique impedimentum est *votum simplex* castitatis, vel nunquam nubendi, aut religionem ingrediendi, aut Sacrum Ordinem suscipiendi; nam jure naturali et divino votum observandum est. At hujusmodi vota non dirimunt nuptias, non enim corporis traditionem, sed solam promissionem complectuntur. « *Post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis, et ideo potest ipsum dare alteri scilicet uxori* » ait S. Thomas in 4. dist. 38. quaest. 1. a. 2. Fieri autem potest, ut aliquis consummato matrimonio Religionem profiteatur, aut Sacros Ordines suscipiat, dum alter conjux libere assentitur, et continentiae votum in saeculo emittit. Quamvis enim si alter conjugum velit in monasterium sese recipere, ibique solemniter profiteri, aut si velit sacris Ordinibus initiari, id ei permitti non debeat, nisi alter quoque conjux libere consentiat, atque habitum religiosum assumat, et professionem regularem emittat, uti in primis perspicuum est ex Decretal. Cum sis, et Conjugatus de conversion. conjugat.; attamen si alter conjugum abnuat solemnem professionem nuncupare, dummodo hic provectae aetatis sit et ab omni incontinentiae suspicione immunis, indulgetur eidem, ut in saeculo manere possit, emisso tamen simplici voto castitatis. Quaeritur itaque, an post mortem ejus qui religionem professus fuit, aut Sacros Ordines suscepit, alter valide matrimonium inire queat? Nonnulli Doctores generatim affirmarunt, ejusmodi matrimonia ir-

rita esse, quod in eo casu quo unus conjugum Religionem profitetur, votum alterius conjugis in saeculo manentis per quamdam communicationem veluti solemnizetur, atque adeo nuptias dirimat. In casu autem quo vir ad Sacros Ordines conscendit, superstes mulier non vi voti, sed ex Can. SERIATIM dist. 32. vetatur alteri nubere, et si quod ab ipsa matrimonium attentetur, eodem Canone omnino irritum pronunciatur; quin etiam aliquibus visus est in utroque casu Canon SERIATIM sibi locum vindicare; par enim ratio inesse videtur utrique speciei, reverentiae videlicet tum religiosae professioni, tum Sacris Ordinibus exhibendae. Hanc disputationem de utraque facti specie late disserit Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 32. et 40. Vide etiam Benedictum XIV. de Syn. Dioeces. lib. 13. cap. 12. n. 11. et seq.

§ CLXXVI.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS

Impedimenta dirimentia quatuordecim sunt, quae memoriae juvandae causa his versiculis continentur:

» *Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
» *Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
» *Si sis affinis, si forte coire nequibis,*
» *Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis,*
» *Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutae;*
» *Haec facienda vetant, connubia facta retractant.*

Haec singula impedimenta non eadem auctoritate constituta sunt; aliqua enim a jure naturae, alia a jure positivo, et eo quidem vel divino, vel humano acceptam originem referunt, quod suis locis indicabimus. At vero impedimenta dirimentia nuptias irritas non faciunt, nisi easdem antecedant vel comitentur; si quod enim impe-

dimentum jam rite contracto matrimonio superveniat, non illud dirimit quia matrimonium indissolubile est. De singulis juxta propositum ordinem versiculorum dicendum est. Sit igitur

§ CLXXVII.

DE ERRORE

Quadruplex in matrimonio contrahendo error adesse potest, scilicet personae, fortunae, conditionis, et qualitatis. In Can. Quod autem caus. 32. q. 1. id explicatur his verbis: « *Error personae est, quando hic putatur esse Virgilius, et ipse est Plato. Error fortunae, quando hic esse putatur dives, qui pauper est, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error tandem qualitatis, quando putatur bonus qui malus est.* » Jam vero error personae, quae matrimonii praecipuum ac substantiale objectum est, matrimonium nullum reddit; siquidem ad nuptias efficiendas mutuus contrahentium consensus eo jure postulatur. Etenim qui errant, non consentiunt in eam determinatam personam cum qua contrahunt, sed in aliam prorsus diversam quam mente concipiunt, veluti si Maevius cum Caja contrahere putans, per errorem aliam ducat, profecto in hanc posteriorem consensus omnino defuit. Ubi igitur consensus non adest, ne adesse quidem matrimonium potest, etsi errore perseverante corporum conjunctio secuta fuerit; non enim concubitus, sed consensus nuptias facit. Nihil autem interest, an hujusmodi error invincibilis sit, an vincibilis, an crassus et fatuus, an ab ipso contrahente procedat, an ab alio qui ipsum decipiat; in his enim variis casibus semper exploratum est, eum qui circa personam errat, sive erret ex propria oscitantia aut culpa,

sive alterius fraude, revera non consentire in eam personam quae sibi proponitur et praesens est. Atque haec omnia non solum in errore antecedenti, dum scilicet nuptias contrahens nullo modo eas initurus esset, si rem perspectam habuisset, verum etiam ex sententia probabiliori in errore concomitanti locum habent, dum videlicet aliquis matrimonium contrahit cum persona quae alia est ab ea quam ex errore putabat; adhuc tamen animo affectus est ut cum eadem contraheret, imo etiam libentius, quam cum ea cui se conjungi per errorem arbitratur. Error enim hujusmodi concomitans non includit actualem et positivum consensum in personam quae offertur: quod satis est ut matrimonium nullum sit ex defectu consensus. Neque ad rem nostram momenti aliquid habet, quod contrahens detecto etiam errore matrimonium libenter contraxisset; semper enim constat eo tempore, quo contraxit, consensum defuisse: siquidem non voluntas quae esset, sed voluntas quae actu est, seu consensus de praesenti nuptias facit.

Quod autem spectat errorem fortunae et qualitatis, regula generalis est, per hujusmodi errorem matrimonium non dirimi; per eum siquidem non tollitur consensus in personam quae objectum est matrimonii. Qui enim sic contrahunt, revera in eam certam et determinatam personam consentiunt, et tantum in eo falluntur quod ex. gr. pulchram aut divitem putent quae deformis aut pauper est; « *utpote si quis emerit agrum vel vineam quam putabat esse uberrimam, quamvis iste erraret in qualitate rerum rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere* » quemadmodum in saepius citato Canone animadvertitur. Et sane si error qualitatis et fortunae nuptias irritas faceret, omnia propemodum matrimonia magno prolis et Reipublicae detrimento aut irrita essent, aut dubia, dum vel omnia vel

pauca admodum ea sint, in quibus aliquis error circa qualitatem et fortunam non contingat. Quae quidem est communis Doctorum sententia, etsi error qualitatis aut fortunae ex alterius dolo causam dederit matrimonio, quia consensus in personam vere adfuit; non enim in persona ipsa, sed tantum in qualitatibus personae erratum est. Igitur uterque error tum solum nuptias dirimit, quum qualitas in qua erratur per modum conditionis apposita est, quia deficiente conditione consensus deficit, ut saepius dictum est, aut quando contrahens ei qualitati ita consensum suum alligavit, ut si haec absit, animum contrahendi non habeat, ex. gr. si cui volenti primogenitam et haeredem Regni, et non aliam ducere, obtrudatur secundogenita; tunc enim error qualitatis redundat in errorem personae ut Scholastici loquuntur. Quaerunt autem Doctores, quandonam error qualitatis aut fortunae in personam redundet? Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 18. n. 15. et seqq. binas proponit regulas easque explicat, quae ferme sunt: 1. Si per qualitatem in qua erratur, certa et individua persona prius contrahenti ignota designetur, error personae est. 2. Si qualitas in qua erratur, individuam personam non determinet, error solius qualitatis est. In eumdem sensum, sed forte clarius loquitur P. Illsung tract. 6. dist. 9. n. 68., juxta quem « *error qualitatis redundat in personam, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personae, ut si velles contrahere cum primogenita et tibi sistetur secundogenita. Si autem hanc, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam, et tua intentio non fertur in illam quatenus est primogenita, nondum fuit error in personam.* » Vel dic cum Gobat tract. 11. n. 113. « *Error qualitatis redundat in personam, quando qualitas est finis matrimonii, et matrimonium est unicum medium ad finem illum, seu qualitatem assequendam.* » Denique nonnulli Doctores putant ex peculiaribus cir-

cumstantiis rerum et personarum dijudicandum esse, an qualitas, in qua erratum est, ejusmodi sit ut in ea error personae includatur; quod quidem judicium gravissimum est, et periculosae plenum aleae, nec facile praesumendum contrahentes extrinsecis qualitatibus consensum suum alligasse.

§ CLXXVIII.

DE CONDITIONE

Hactenus de errore personae, qualitatis, et fortunae dictum est; relinquitur ut de errore conditionis dicamus. Igitur conditionis nomine status servitutis intelligitur. Quadruplex est autem servorum genus: alii sunt domestici seu famuli, qui operas suas domino locant pacta mercede; alii adscriptitii, et qui ex his nascuntur originarii, qui glebae seu certis excolendis agris perpetuo addicti sunt, sibique dumtaxat necessaria reservare possunt; alii servi poenae, qui ex Judicis sententia ad poenam, ex. gr. ad triremes, vel exilium perpetuum damnati sunt; alii demum servi stricte sumpti, et proprie *mancipia* dicti, quorum dominus plene potitur, eosque ceu res vendere, locare potest, aut in iis, quae sibi magis libuerint, operibus occupare. De servis domesticis et glebae addictis nihil dubitationis est, quin matrimonia, siqua cum eisdem ineantur, ignorata etiam servili eorumdem conditione, valida sint; quantum enim ad personam liberi sunt, et dominis serviunt quantum ad facultates seu bona, et quasdam obligationes quibus addicti sunt. Neque de servis poenae quidquam Ecclesia statuit. Itaque de solis mancipiis proprie dictis disserendum est. Romanorum jure matrimonia servorum nec honorabile nomen conjugii, nec jura matrimonii seu ejus effectus civiles conseque-

bantur, sed mera contubernia vocabantur. Quas leges olim Ecclesia sequuta est, dum conjugia servorum inscio vel invito domino pro nullis habuit, quemadmodum didicimus ex Ep. 92. S. Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem cap. 4. et 5., tum ex Ep. S. Basilii ad Amphilochium Can. 42., in qua docet conjugia inter servos sine consensu dominorum esse fornicationes, tum denique ex Can. Concilii Cabilonensis II. relato a Gratiano caus. 29. q. 2., in quo servorum conjugia tum demum probantur ubi per voluntatem dominorum inita fuerint. At jure novo Sacri Canones aliter constituerunt. Nam in Cap. Dignum de Conjug. servor. sancitum est: « *sicut in Christo Jesu neque liber, neque servus est a Sacramentis removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, etsi contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhibere.* » Et Innocentius III. Cap. Ad nostram eod. decernit: *Mandamus quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem.* » Ex quibus Canonibus colligitur: 1. valida esse conjugia quae inter servilis conditionis personas, licet invitis dominis, mutuo consensu contrahantur. Colligitur 2. matrimonium inter servos tum nullum et irritum esse, quando liber contrahit cum servo quem per errorem esse liberum putabat. Atque ex hoc errore conditionis, seu ex servitute alterius ignorata oritur impedimentum dirimens conditionis. Quare duo copulative postulantur ut conditio matrimonium dirimat; nimirum postulatur ut ex contrahentibus alter liber sit et alter servus, et deinde ut liber ignoret servitutem alterius, sed eum ingenuum et liberum plane credat. Hinc si liber

nuptias cum muliere contrahat quam scit esse ancillam, vel viceversa, tunc et licitum et validum erit matrimonium. « *Si foemina ingenua*, inquit Zacharias Papa cit. Cap. Proposuit, *servum acceperit, sciens quod servus esset, habeat eum.* »

Doctores inquirunt, quo jure error conditionis servilis matrimonium dirimat ? Scotus aliique arbitrantur, utroque jure naturali et positivo dirimi, ea de causa quia ob nimiam contractus inaequalitatem persona libera non censetur sufficienter in servam consentire. Error quidem conditionis servilis est error qualitatis, non personae; at hujusmodi error versatur circa ea quae ad substantiam matrimonii pertinent: conditio enim servilis bono Sacramenti, nimirum individuae societati et cohabitationi conjugum in primis obest. Servus quippe debet domino suo obtemperare, ibique habitare ubi dominus ipse constituerit. Ob eamdem causam conditio servilis bono fidei conjugalis adversatur, quia conjuges omnino nequeunt conjugali debito facere satis. Denique maxime repugnat bono prolis, quia hanc nec commode alere possunt, nec recte instituere ; non alere quidem quod servus omnia acquirit domino suo; non recte instituere quia proles in potestate domini est, si mater serva sit; partus quippe sequitur ventrem, si vero servus pater sit, libera mater, tum proles quidem ingenua erit, sed patris, utpote in servitute constituti, disciplina et doctrina carebit. At S. Thomas, S. Bonaventura, aliique plurimi docent, ob errorem conditionis servilis matrimonium dirimi jure tantum ecclesiastico. Namque tales personae ineundo matrimonio habiles naturaliter sunt; itemque ex parte eorumdem contrahentium non deest consensus in personam, quae duo ex jure naturae satis sunt, ut nuptiae valeant. Praeterea servitus ignorata absolute non repugnat essentiae et naturae matrimonii; quamquam enim, ut inquit

S. Thomas « *servitus contrarietur matrimonio quantum ad actum ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi, dum nimirum occupatur servitiis domini sui, et quantum ad bonum prolis, quae pejoris conditionis efficitur ex conditione parentis* », usum tamen et perceptionem omnium bonorum matrimonii non tollit omnino; prolis enim ejusque educationis a conjuge libero cura gerenda erit. Illud autem praecipuum accedit, quod si servitus, dum ingenuo contrahenti comperta est, naturali jure non dirimit nuptias, uti omnium sententia est, neque easdem nuptias dirimet dum ignorata est: servitus quippe sive ignorata, sive cognita bonis et naturae matrimonii aequo jure non repugnat.

Verum hisce Doctorum sententiis in medio relictis de Matrimoniis inter servum et liberam, aut vicissim initis secundum Canones dijudicandum est.

§ CLXXIX.

DE VOTO

Alexander III. Cap. Meminimus Qui Cler. vel vov., et Bonifacius VIII. Cap. unico de voto, et vot. redempt. in 6.° nos edocent, discrimen esse faciendum inter solemne et simplex votum castitatis, dum constituunt votum simplex castitatis nuptias non rescindere, sed tantum impedire; solemne autem et impedire, et nullum reddere matrimonium quod contrahatur. Votum simplex est nuda promissio facta Deo sive publice, sive secreto; solemne vero est promissio quae et Ecclesiae fit, et ejus auctoritate probatur et accipitur. Quare nullum est votum solemne quod vel in Sacri Ordinis susceptione, vel in solemni religiosa professione non nuncupatur. « *Praesentis duximus declarandum oraculo sanctionis.*, ait Bonifacius VIII. cit. cap., *illud solum votum debere dici solemne, quantum*

ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. »

Haeretici posteriorum temporum docuerunt, solemne votum castitatis nuptias contrahendas non impedire, neque contractas dirimere, contra quos Synodus Trident. sess. 24. can. 9. de Refor. Matr. definivit. « *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.* » Verum haec duo vota Sacri Ordinis et Religiosae professionis non aequa vi dirimunt; nam votum solemne, seu lex caelibatus, Ordini Sacro adnexum dirimit quidem matrimonium, quod post Ordinis susceptionem ineatur, sed non illud etiam quod ante Ordinis susceptionem contractum est, licet ratum dumtaxat sit, non consummatum. « *Licet votum solemnizatum*, ait Joannes XXII. Extravag. Antiquae de Voto, *per Sacri Ordinis susceptionem quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, atque ad dirimendum si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum; ad solvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per Sacros Canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum.* » Contra vero solemne religiosae professionis votum dirimit matrimonium etiam contractum, modo ratum dumtaxat sit, non consummatum, quemadmodum eadem Synodus Tridentina definivit sess. 24. can. 6. de Matrim. « *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religiosam professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* »

Inquiritur hoc loco a Doctoribus de ratione differentiae et efficaciae voti simplicis et solemnis, utrum ex jure

naturali et divino ortum habeat, an ex jure dumtaxat ecclesiastico? Sunt autem rationes plures, cur putemus id totum ex jure ecclesiastico proficisci; 1. quia utrumque votum essentialiter non differt; quare Caelestinus III. Cap. 6. Qui Clerici haec habet: « *simplex votum apud Deum non minus obligat quam solemne.* » 2. Quia Bonifacius VIII. Cap. unic. de Voto in 6.° expresse testatur, « *quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa* » 3. Quia solemne castitatis votum ex jure naturali et divino tum primis Ecclesiae saeculis, tum posteriori aetate debuit eadem virtute et efficacia praeditum esse; at viri admodum docti existimant solemne castitatis votum olim nuptias non solvisse, sed primum sub Gregorio M. eam disciplinam propositam et demum in Concilio Lateranensi II. legem generalem latam esse, ut nulla et irrita forent matrimonia quae contra votum castitatis in Religione approbata solemniter celebrarentur. 4. Demum quia Apostolica Sedes quae summo consilio agit, non semel in votis solemnibus dispensavit. Decretalem autem Cum ad monasterium de stat. Monach. quae est Innocentii III. scribentis: « *Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est adnexa regulae Monasticae, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere* »: Auctores hujus sententiae interpretantur, ut id Pontifex nequeat, quoad Monachus in statu monachali permanserit, non autem si ab eodem solutus fuerit.

§ CLXXX.

DE COGNATIONE

Triplex est cognatio, naturalis, spiritualis, et legalis. Naturalis, quae consanguinitas nuncupatur, est vinculum quoddam personarum, quarum una ab alia, vel

omnes ab eadem persona tamquam progenitore, seu communi stipite, ut ajunt, per carnalem propagationem derivantur. Personae itaque possunt ab uno progenitore descendere duplici modo, vel per generationem immediatam, quatenus una ab altera genita est, uti pater et filius; vel per generationem mediatam, quatenus una alteram non genuit, sed tamen unaquaeque ab eodem proximo stipite per generationes carnales promanat, uti frater et soror, aut duo consobrini, quorum alter alterum non genuit, sed descendunt tamen a communi stipite, scilicet ab eodem patre vel avo. Hinc duplex est linea consanguinitatis, altera recta, altera transversalis seu collateralis. Recta est earum personarum series, quarum una ab altera gignitur, quae si fiat descendendo ex. gr. a patre ad filium, nepotem etc. *linea recta descendentium*, si vero ascendendo a filio ad patrem, avum, proavum etc. *linea recta ascendentium* appellatur. Linea transversalis seu collateralis est earum personarum series, quarum una ab altera non gignitur, omnes tamen ab eodem principio seu stipite promanarunt. Quia vero collaterales ab eodem communi stipite possunt aequaliter vel inaequaliter distare; hinc in linea collaterali aequali eae sunt personae quae aequaliter distant a communi stipite, quae autem inaequaliter distant, in linea inaequali esse dicuntur. Quare linea est series seu ordo personarum, inter quas communio sanguinis intercedit, gradus autem est a communi stipite distantia. Tota vero consanguineorum collectio arbor consanguinitatis appellatur. Nihil vero in materia matrimoniali interest, an consanguinitas ex legitimo aut illegitimo concubitu orta sit, an per lineam masculinam aut foemininam communicetur.

Tres institutae sunt regulae ad dignoscendum quot gradibus consanguinei distent inter se. Prima pro linea recta ascendentium aut descendentium haec est « *tot sunt*

gradus, quot sunt personae dempto uno stipite. » Secunda pro linea collaterali aequali haec est « *quot gradibus a proximo communi stipite personae distant, tot gradibus distant inter se.* » Tertia demum pro linea collaterali inaequali est « *quot gradibus persona remotior a proximo communi stipite distat, tot gradibus distant inter se.* » Hinc « *vir qui a stipite quarto gradu, mulier quae ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam, licite possunt matrimonio copulari* » uti confirmat Gregorius IX. in Cap. Vir qui de Consang. et Affin. Jus civile tum in linea recta, tum in collaterali tantum respicit numerum personarum, de quarum consanguinitate inquiritur, et quot personae tot gradus enumerat, una ipsarum dempta; quamobrem fratrem inter et sororem, quae scilicet cum communi stipite tres sunt personae, duo gradus numerantur.

Matrimonia inter consanguineos vetita sunt ob triplicem potissimum causam: 1. Ob reverentiam quam consanguinei sibi mutuo debent ex origine ab eodem stipite et sanguinis communione. 2. Ob charitatem quae matrimoniorum multiplicatione cum extraneis latius diffunditur et corroboratur. 3. Ob concupiscentiae compressionem, cui fraenum laxari videtur si matrimonium inter eas personas contrahi posset, quae aut passim sub eisdem tectis commorantur, aut saltem habent majorem libertatem ac licentiam familiarissime utendi. Consanguinitas autem matrimonium dirimit inter quosdam gradus partim lege naturae, partim lege positiva. Jure positivo ecclesiastico consanguinitas in quolibet gradu lineae rectae ascendentium vel descendentium nuptias dirimit in infinitum. Ita Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap. 39. « *inter personas*, inquit, *quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, et usque in infinitum.* » At in linea

collaterali irritae nuptiae sunt ad quartum usque gradum inclusive. Ita Concilium Lateranense in cap. 8. de Consang. et Affinit., ubi antiquis Canonibus derogatum est, ex quibus matrimonia usque ad septimum gradum dirimebantur. Jure autem naturae matrimonium vetitum est filium inter et matrem, patrem inter et filiam, atque ex sententia magis recepta inter alios gradus proximiores lineae rectae. An etiam in remotioribus gradibus, ex. gr. ultra quartum vel quintum gradum nuptiae inter ascendentes et descendentes naturali jure irritae sint, acriter disputant quidam Doctores, lite sane inutili, dum hominum vita brevior est. Nuptias in nullo gradu ascendentium vel descendentium de jure gentium consistere haud posse testatur L. ult. ff. de rit. Nupt. his verbis: « *de jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit* »; et in L. Nuptiae ff. eod. sic legimus: « *nuptias consistere non posse inter eas personas quae in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus usque in infinitum.* » Connubia quoque in primo gradu lineae transversalis, hoc est fratrum et sororum, sive germani sint, sive uterini lege naturae prohibita esse plerique Doctores existimant: pudori namque et reverentiae naturali matrimonia hujusmodi adeo repugnant, ut nullae gentes nisi incultae et barbarae eadem permiserint. Illud certum est non constare, dispensationem ullam super hujusmodi gradu unquam tributam fuisse: illud quoque certum est, quod in secundis et reliquis gradibus lineae transversalis sola lege Ecclesiae nuptiae dirimantur.

§ CLXXXI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI

Cognatio spiritualis oritur ex generatione spirituali quae fit in Baptismo et Confirmatione ; per Baptismum enim prima homini vita spiritualis datur, quae deinde per Confirmationem perficitur ac roboratur. Quemadmodum itaque ex naturali generatione naturalis cognatio oritur quae matrimonium dirimit, ita sapienter ab Ecclesia constitutum est ut inter eos qui ad spiritualem generationem aliquid contulerunt, cognatio spiritualis oriatur quae matrimonium dirimat ac dissolvat. Haec autem cognatio nuptias dirimit jure ecclesiastico, 1. inter suscipientes et baptizatum ipsum vel confirmatum, ejusque baptizati patrem et matrem; 2. Inter Ministrum baptizantem seu confirmantem, ac baptizatum seu confirmatum, ejusque patrem et matrem. Quod si alter conjugum propriam sobolem levaret, aut extra casum necessitatis baptizaret , hanc quoque cognationem cum altero conjuge contrahit, quae saltem usum conjugii impedit quoad dispensatio obtineatur. De Impedimento Cognationis spiritualis haec habet Justinianus L. 2. Cod. de Nuptiis: « *Ea videlicet persona omnimode ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, sive alumna sit, sive non, a sacrosancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt.* » Spiritualis cognatio quae a baptizato et confirmato cum baptizante vel confirmante, et cum patrino vel matrina contrahitur *paternitas* et *filiatio spiritualis* dicitur; ea vero quae a patrino vel matrina cum patre et matre baptizati vel confirmati, itemque a ba-

ptizante vel confirmante cum patre et matre baptizati vel confirmati *compaternitas* et *commaternitas* nuncupatur. Tridentinum vero sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrimon. statuit, « *ut unus tantum vir, sive mulier juxta Sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant.* » Si vero tres aut plures a parentibus designentur, et Parochi temere admittant, S. Congregatio Concilii teste Fagnano in Cap. Ex LITERIS de Cognation. spirit. censuit, omnes ex designatis quotquot fuerint, cognationem spiritualem contrahere; siquidem ob designationem parentum, Parochi admissionem, et infantis susceptiones in designatis omnibus conditiones reperiuntur quae ad cognationem contrahendam postulantur. Tridentinum autem, quamvis vetuerit plures quam duos designari, factum tamen contra prohibitionem non irritavit, et impedimentum sustulit inter eas tantum personas, quae praeter designatos baptizatum susceperint vel tetigerint. Porro non contrahitur cognatio a procuratore qui alieno nomine infantem levat, sed a solo mandante, quod ab eadem S. Congregatione declaratum esse ait Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 39. n. 10. Demum eadem S. Congregatio in *una Licen.* 13. Julii 1664. « *post maturum examen et discussionem censuit, non confirmatum, si susceperit aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem.* » In dubium quoque vocari non potest, quin nullam spiritualem cognationem contrahat patrinus, qui non baptizatus infantem e sacro fonte suscipiat; cum enim per Baptismum in Ecclesiam ingressus non sit, ecclesiasticis legibus non obstringitur.

§ CLXXXII.

DE COGNATIONE LEGALI

Cognatio tandem legalis a civilibus legibus primum inducta et mox a Sacris Canonibus recepta, est personarum propinquitas quae ex legitima adoptione proficiscitur. An impedimentum cognationis legalis ex sola adoptione perfecta, seu arrogatione, an etiam ex adoptione imperfecta exoriatur, non plane liquet: de quo confer Benedictum XIV. de Syn. Dioeces. lib. 9. cap. 10. n. 5. Haec autem cognatio vel paternitas, vel fraternitas, vel affinitas audit: quae nomina personas spectant, inter quas nuptiae dirimuntur. Igitur paternitas legalis est cognatio in linea recta in adoptantem tamquam patrem legalem, et adoptatum tamquam filium, ejusque descendentes. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 63. n. 35., aliique plures existimant, cognationem hanc et profluens ex ea impedimentum ad primum gradum extendi, et deinde ad eos omnes qui ipso adoptionis tempore sub potestate adoptati reperiuntur constituti; adoptata enim aliqua persona censentur adoptati etiam ejus filii et descendentes in quovis gradu, qui tempore adoptionis erant in potestate ejusdem personae adoptatae, ut expresse decisum est in L. Si paterfamilias 15. ff. de Adopt. Ex qua sententia consequitur: 1. Hoc genus cognationis legalis primum gradum, hoc est adoptantem et adoptatum non excludere; consequenter tamen porrigi ad descendentes adoptati, si quos in patria potestate habeat. 2. Posse matrimonium consistere inter adoptantem et filiam filiae adoptivae, quia mulier neminem habet in sua potestate, §. foeminae Instit. de Nupt. 3. Posse matrimonium consistere inter adoptantem, et quamcumque filiam illegitimam adoptati, quia ille-

gitimus, quamdiu illegitimus manet, patriae potestati non subditur, §. final. Instit. de Nupt. Attamen Doctores aliqui putant, hanc cognationem in linea recta usque in infinitum diffundi. Aliis denique placet eam porrigere usque ad quartum gradum inclusive. De quibus vide Sanchez loc. cit. Hoc impedimentum in linea recta perpetuum est, siquidem durat etiamsi per emancipationem adoptio soluta fuerit.

Fraternitas legalis est cognatio in linea collaterali, quae nuptias dirimit inter filios adoptantis et adoptatum tamquam inter fratres et sorores. Hoc autem impedimentum fraternitatis legalis nuptias dirimit, quamdiu durat adoptio, Cap. Si qua de Cognat. legali. Nomine vero filiorum adoptantis veniunt filii legitimi, non spurii et illegitimi. Quare filius illegitimus eam ducere poterit quam pater suus per adoptionem sibi filiam quaesiverit. Si enim haec cognatio, soluta per emancipationem patria potestate, evanescit, illud sponte sequitur quod a filiis illegitimis non contrahatur, quippe qui vinculo patriae potestatis non ligantur. Videtur etiam inter filium adoptatum et filiam adoptatam ab eadem persona matrimonium consistere posse: nam adoptati, quamquam cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quamdiu adoptio durat, inter se tamen nullo cognationis vinculo ligantur, quemadmodum cum sententia magis recepta tradit Sanchez lib. 7. disp. 63. n. 28.

Denique affinitas legalis est cognatio inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis. Haec matrimonium dirimit soluta etiam adoptione: « *Adoptivus filius, si emancipetur, eam quae patris adoptivi uxor est ducere non potest, quia novercae locum habet.* » L. Adoptivus ff. de rit. nupt.

§ CLXXXIII.

DE CRIMINE

Ad praecavenda adulteria et caedes conjugum, atque in justissimam horum criminum poenam Ecclesia provido sane decreto constituit, ut inter tanti flagitii complices matrimonium dirimeretur: videlicet constituit, ut dirimens matrimonii impedimentum esset; 1. Conjugis homicidium; 2. Homicidium cum adulterio; 3. Adulterium cum promissione futuri matrimonii; 4. Adulterium et matrimonium vivente conjuge cum adultera attentatum. Haec quatuor criminum genera, quae de jure ecclesiastico matrimonium dirimunt, singillatim percurramus.

Quod ad primum attinet, caedes conjugis impedimentum dirimens matrimonii est, cum ab utraque parte in eum finem procurata fuit, ut secum nuptias inire possent. Quare ut impedimentum prodeat, tria postulantur: 1. Ut tam vir, quam mulier in mortem conjugis physice aut moraliter, consilio nempe aut mandato, concurrant. 2. Ut ex mutua eorum machinatione innocens vere obierit. 3. Ut mortis machinatio eo animo patrata sit, ut post innocentis obitum duo complices matrimonium inter se inirent. Homicidium autem cum adulterio conjunctum, quod alterum criminis genus est, ut impedimentum dirimens pariat, tria quoque requiruntur. 1. Ut alteruter etiam absque ulla alterius adulteri participatione seu conspiratione sit vera, seu physica seu moralis, causa homicidii. 2. Ut ex tali machinatione innocens interierit. 3. Ut mortis machinatio ab alterutro fiat ex animo nuptias cum altero contrahendi.

Tertium criminis genus, quod matrimonium dirimit, est adulterium cum futuri matrimonii promissione, sive

haec ante, sive post perpetratum adulterium intercedat. Oportet autem: 1. ut nuptiarum promissio et adulterium vivente conjuge fiat. 2. Ut promissio sit seria, et secundum communiorem sententiam pura et absoluta, aut saltem ante legitimi conjugis mortem purificata et ab altera parte acceptata. Leges enim poenales strictam interpretationem admittunt. 3. Ut adulterium sit utrinque formale, hoc est ut uterque adulter, dum adulterium perpetrat, sciat alterius conjugium; altero enim illud ignorante non est locus huic impedimento. Hinc ex. gr. si mulier adulterium perpetrans ignoret, virum cum quo peccat esse conjugatum, adulterium hujusmodi non erit impedimentum dirimens, ut expresse habetur Cap. 1. De eo qui dux. in matrim. Itemque si ambo conjugati sint, neuter autem alterius conjugium noverit, non oritur impedimentum, eo quod ex utraque parte uni eidemque matrimonio injuria non inferatur. 4. Ut adulterium ipsum perfectum sit consummatumque.

Quartum tandem criminis genus est, cum quis legitimo vivente conjuge matrimonium per verba de praesenti contrahere attentat cum persona, cum qua adulterium perpetravit: tunc enim etiam defuncto adulterae viro aut adulteri uxore, nubere invicem nequeunt, irritumque esset matrimonium si nuberent. Duo autem concurrere debent, ut crimen hoc nuptias dirimat; 1. ut matrimonium cum primo conjuge validum fuerit: 2. ut primum hoc matrimonium validum alteri parti innotuerit.

§ CLXXXIV.

DE CULTUS DISPARITATE

Cultus disparitas hoc loco significat eam Religionis diversitatem, quae inter fidelem baptizatum et infidelem

non baptizatum intercedit. Ex hoc itaque impedimento si Turca, vel Hebraeus, aut alius quilibet Baptismo non regeneratus mulierem Christianam duxerit, aut contra vir baptizatus mulieri non baptizatae nupserit, nullum atque irritum erit matrimonium. Potissima autem hujus impedimenti ratio est, quod elevato ad dignitatem Sacramenti Matrimonio, dedeceat ipsum a fidelibus iniri cum infidelibus, qui nullius Sacramenti capaces sunt. Huc accedunt periculum tum subversionis conjugis fidelis, tum pravae educationis filiorum, aliaque gravissima incommoda, quae Tertullianus graphice describit lib. 2. ad Uxorem cap. 2. Olim tamen inter cultu dispares matrimonia valida habebantur: tale fuit S. Monicae matrimonium cum Patritio viro ethnico, ut Augustinus ipse testatur. Hoc siquidem impedimentum non a jure naturali, vel divino profectum, sed a jure tantum ecclesiastico invectum esse constat inter omnes; quin jure ecclesiastico non scripto, sed consuetudinario seu a consuetudine hujus impedimenti originem passim repetunt Canonistae.

Matrimonia autem cum haereticis improbata quidem sunt Concilii generalis Chalcedonensis lege, aliisque contrariis Sacrorum Canonum sanctionibus, idque non solum ex periculo quod imminet et conjugi Catholico subversionis, et filiis pravae educationis, sed etiam ex vetita Catholicorum cum haereticis communione in rebus sacris; qui enim cum haeretico matrimonium contrahit, unum idemque Sacramentum cum ipso vel conficit, si contrahentes sint ministri, vel percipit si Sacerdos minister sit. Si tamen sive jus scriptum, sive non scriptum, consuetudinem videlicet spectes, matrimonia Catholicorum cum haereticis irrita et invalida non sunt, dummodo coram Parocho et testibus, ubi Tridentinum publicatum est, celebrentur, et nulla conditio substantiae matrimonii con-

traria in pactum deducatur, quod saepius haeretici cum Catholicis nuptias ineuntes facere solent, qualis est ex. gr. conditio de Matrimonii vinculo ob causam adulterii dissolvendo, de qua supra dictum est; qualis etiam videtur esse conditio in pactum deducta de liberis vel omnibus, vel aliquibus in haeretica secta educandis. Nam matrimonio ad dignitatem Sacramenti elevato; « *primum matrimonii bonum est proles, hoc est liberi qui ex justa et legitima suscipiuntur uxore. Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam et disciplina qua filii ad pietatem diriguntur, intelligendum est.* » Verba sunt Catechismi Romani part. 2. de Sacr. Matrim. n. 23. Et n. 15. cit. loc. haec tradiderat: « *Matrimonium ut naturalis conjunctio ad propagandum humanum genus ab initio institutum est; ita deinde ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri cultum et religionem procrearetur atque educaretur, Sacramenti dignitas illi attributa est.* » Et paucis verbis sed perspicuis S. Thomas in sup. quaest. 59. art. 1. docet: « *principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda.* » Jam vero si praecipuum Matrimonii, uti Sacramenti, bonum est non procreatio tantum prolis, sed et ejus in Catholica fide institutio, quis dubitare poterit, quin conditio huic educationi contraria, substantiae ipsius Matrimonii adversetur?

Verum hac missa quaestione, quamvis illicita sint matrimonia quae a parte Catholica cum haeretica contrahantur, nil tamen impedit quominus Pontifex possit gravibus causis adductus dispensationem indulgere ad matrimonium cum haeretico contrahendum, quemadmodum multis probat Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 9. cap. 93. Solemne est autem Pontificibus Summis dispensationem non tribuere, nisi adjecta conditione « *abjurata prius haeresi* »: ut refert idem Pontifex in suis literis ad Episcopos Poloniae die 18. Junii 1748. datis,

quarum initium MAGNAE NOBIS ADMIRATIONI, ubi etiam animadvertit, dispensationes, quae sine conditione de haeresi abjuranda concessae sunt « *rarissimas primum esse et quidem plerasque inter supremos Principes, et gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente factas fuisse: insuper adjectas fuisse opportunas cautelas tum ne conjux Catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, tum etiam ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur.* »

Quod vero pertinet ad formam hujus conjugii celebrandi, quamvis praesentia Parochi et testium postuletur ubi Tridentinum publicatum est, his tamen nuptiis neque Sacerdotalis benedictio impertienda, neque Missa in praesentia haeretici celebranda, nec matrimonium ipsum intra ambitum Ecclesiae contrahendum est, cum horum nihil necesse sit ad ejus validitatem intervenire. Confer Rosckovany de Matrimoniis mixtis, ubi hoc argumentum copiose solideque pertractat, adjectis etiam iis omnibus quae hactenus hac super re a Sede Apostolica prodierunt.

§ CLXXXV.

DE VI

Si quis unquam contractus libertate fruatur oportet, is profecto est, quo vir et foemina ad individuam vitae societatem nexu quodam, eoque scilicet indissolubili, copulantur. Itaque Ecclesia jure meritoque sancivit, ut matrimonia per vim contracta dirimantur. Vis autem in absolutam et conditionatam dividitur: Vis absoluta est coactio omnimoda et corporalis personae reluctanti illata,

veluti si quis per vim externam cogatur ad capitis inclinationem aut porrectionem manuum, quae signa pro manifesto consensu accipiuntur. Matrimonium per hujusmodi vim contractum omni jure nullum atque irritum esse nemo non intelligit. Vis conditionata est metus alicui incussus ut in nuptias consentiat; metus autem dicitur vis conditionalis quod absolute non cogit partes ad contrahendum, efficit tamen ut invito animo consentiant. Metus vero duplex est, gravis et levis: gravis, qui dicitur cadere in constantem virum, ille est quem vir fortis prudenter concipit de gravi malo aut sibi, aut consanguineis, seu affinibus suis inferendo. Quare metus gravis est, si tria conveniant: 1. Si grave sit malum quod timetur, ut metus mortis, gravis cruciatus, amittendae libertatis, et hujusmodi. 2. Si prudenter, hoc est probabiliter et rationabiliter timeatur. Hoc enim distat inter constantem et inconstantem, quod hic ex levi et inani, ille forti et rationabili aestimatione moveatur; ac propterea nec gravis, nec prudens est metus, quando is qui minatur, non possit aut nunquam soleat id quod minatur efficere. 3. Si metuens nec minitanti resistere, nec malum quod timet vitare possit. Siqua ex his conditionibus desit, levis metus est. Ceterum Honorius III. in Cap. Consultationi de Sponsal. et Matrim. monet: » *de illato metu cum diligentia inquirendum* ». Ex quo plerique Doctores, quos sequitur et laudat Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 3. num. 2., contendunt metum gravem aestimandum esse non absolute, attenta scilicet qualitate et natura ipsius mali, sed respective considerata qualitate ejus qui metum patitur. Quamobrem prudentis Judicis erit in peculiaribus casibus diligenter inspicere personarum sexum, conditionem, aetatem, animi robur, aliasque circumstantias, ex iisque definire, num metus gravis fuerit vel levis. Porro metus gravis alius ab intrinseco,

alius ab extrinseco incussus dicitur; prior ab ipso metuente concipitur vel ex animi ejus perturbatione, vel ex causa naturali, cujusmodi est metus mortis propter morbum vel naufragium; alter ab homine incutitur, veluti cum quis alteri mortem aliudve grave malum, nisi hoc vel illud faciat, serio comminatur. Hic tamen posterior metus aliquando juste et aliquando injuste incutitur: juste quidem, quando ab potestatem habente incutitur, ut si Judex stupratori poenam minetur nisi stupratae nubat; injuste autem, quando is qui grave malum comminatur, vel ejus inferendi potestatem non habet, vel id exigit ad quod metuens non obligatur, veluti si pater stupratori mortem comminatus esset nisi filiam duxerit; pater enim jus quidem habet coram Judice accusandi, non autem propria auctoritate occidendi.

Jam vero Matrimonium initum ex levi metu ad extorquendum consensum injuste illato validum est, tum quia ex L. 184. ff. de R. J. vani seu levis timoris justa excusatio non est, dum libertatem notabiliter non minuit et facile contemni potest, tum quia innumera matrimonia vel nulla, vel admodum dubia essent, et multis difficultatibus obnoxia si ex omni inani metu contracta dirimerentur. Ipsa religiosa professio ex levi metu emissa omnino valet ex cap. 1. et 2. de his quae vi met. caus. Item apud omnes certum est metum etiam gravissimum, qui ex causa naturali, vel ex animi affectione oritur, non irritas nuptias facere. Si quis itaque metu damnationis aeternae, vel mortis ex morbo aut naufragio instantis concubinam ducat, quam aliter non duxisset, matrimonium firmum est. Sic vota ex simili metu emissa rata sunt: tunc enim homo non cogitur ad contrahendum, vel vovendum, sed ipse id eligit voluntate sua tamquam medium ad periculum animae vel corporis evadendum.

Pariter metus etiam gravis, et ab extrinseco sed ad consensum extorquendum non incussus, nuptias non vitiat. Itaque firmum erit matrimonium, si quis in aliqua civitate obsessus metu expugnationis, incendii, aut caedis duceret filiam obsidentis; quoniam in hoc etiam eventu cum metus non eo tendat ut matrimonium ineat, contrahens sponte sua nuptias eligit, ut mala impendentia avertat. Denique metus gravis ab extrinseco ad extorquendum consensum, jure tamen illatus matrimonium non vitiat; veluti si vir a magistratu metu poenarum cogatur, ut mulierem quam violavit uxorem ducat, matrimonium subsistit. Sic eos qui fidei sponsalium non servandae causas idoneas non afferunt, Ecclesia gravissimis poenis compellit ut nuptias contrahant. Tunc enim matrimonium non vitiatur ratione injuriae, quippe contrahens injuria non afficitur, dum cogitur ad id praestandum quod nisi praestiterit, injustus et iniquus est; neque ratione coactionis ipsius consensui illatae, quia contrahens proprie non cogitur ab homine, sed a lege, et a facto proprio ac libero, dum ipse libere illud egit, ex quo obligatio contrahendi matrimonii jure ipso proficiscitur.

Restat itaque ut solus metus gravis ab extrinseco ad extorquendum consensum, et injuste incussus matrimonium dirimat, si ex tali metu contrahatur. Contracturus enim matrimonium « *plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire. Cum locum non habeat consensus, ubi metus et coactio intercedat, necesse est ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo contrahitur consensu.* » Ita in Cap. Cum locum de Sponsal. et Matrim., et in Cap. Veniens 15. eod., cum adolescens duabus foeminis, alteri per verba de futuro, subsequuta dein copula proleque suscepta, et alteri per verba de praesenti, sed ob metum a patre

puellae incussum nupserat, Pontifex respondet: « *Mandamus quatenus, si inveneris, quod primam post fidem praestitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere: alioquin secundae (nisi metu coactus qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhaerere facias ut uxori.* » Similiter in Cap. Significavit De eo qui dux. in matrim. casus est de viro qui duplex matrimonium iniverat; primum compulsus metu, alterum ultro et sponte sua, rogatusque Pontifex utrum validum esset, rescripsit: « *si constiterit, quod tanta vis eidem illata fuerit, quod non sponte in primam consenserit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem.* » Nihil autem refert, an metus gravis ab eo ipso qui matrimonium exoptat, an absque ejus culpa aut scientia ex consanguineo, vel amico, aut alio quocumque inferatur. Etenim Sacri Canones non tam in odium illius qui injuste metum incutit, quam in favorem libertatis matrimonii nullitatem istam statuerunt. Libertas autem matrimonii non minus laeditur, sive timor ab eo qui matrimonium optat, sive ab alio quocumque injiciatur. Sic in cit. Cap. Veniens irritum pronunciatur matrimonium, quod ex metu initum fuerat, licet neuter ex contrahentibus, sed pater puellae metum intulisset.

At vero non longe absumus ab ea sententia quae docet, matrimonium ex tali metu initum jure dumtaxat ecclesiastico, non jure naturali invalidum et irritum esse. Nam spectato jure naturae nihil postulatur aliud ad validitatem contractuum, quam justus titulus et consensus contrahentium. Prior habetur per mutuam traditionem juris in corpora; posterior autem non tollitur per metum, licet imminuatur. Nam coacta voluntas voluntas est: idque eo confirmatur, quod metus gravis ex causa necessaria, ex. gr. morbo, peste, naufragio incussus non irritat matrimonium, quemadmodum supra dictum est, idemque sentiunt

Canonistae omnes. At libero voluntatis consensui non minus contrarius est metus gravis qui ab extrinseco per injuriam inferatur, quam qui citra injuriam ex causis naturalibus incutitur: utroque enim casu voluntas non plane ac simpliciter vult, sed secundum quid, ut scholae loquuntur, sive ad vitandum periculum quod pertimescit. Igitur ea differentia, quod nuptiae per vim injustam extortae invalidae sint, jure ecclesiastico instituta est; siquidem inspecto jure naturali irritae utroque casu habendae essent, quia utroque casu voluntas ratione metus consentit in nuptias, profecto in eas non consensura si abfuisset. Neque illud obstat, quod in metu gravi per hominem illato injuria afferatur: contra autem a causis naturalibus omnis injuria procul absit. Nam posito consensu quantum est opus ad translationem juris in corpora, id satis est ut matrimonium naturali jure consistat. Injuria quidem aequam tribuit causam, cur in favorem ejus qui metum passus est, contractus rescindatur, si tamen ejusdem contractus natura patitur ut solvi possit. Argumenta quae contra proferuntur, exponit et confutat Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 14.

Hoc autem impedimentum quamvis ecclesiasticum sit, ab Ecclesia tamen non relaxatur, quod fieri juste prudenterque non possit. Æquum profecto non esset injuriam illatam confirmare atque approbare, et efficere ut timorem injustum inferenti fraus sua et dolus patrocinaretur. Attamen deficientem ex metu consensum liberum poterunt ex intervallo supplere vim passi per copulam sponte sua et affectu maritali subsecutam, vel novo consensu libero etiam clandestino. Nam S. Pius V. Episcopo Hieracensi rescripsit, matrimonium metu initum consummatumque, si in ejus celebratione forma Tridentini servata sit, et impedimentum occultum maneat, mutuo conjugum consensu, et spontanea habitatione convale-

scere, uti refert Fagnanus in Cap. Is qui fidem de Sponsal. et Matrim.

Hoc loco quaeri poterit, an metus reverentialis nuptias dirimat? Praemittendum est, nomine metus reverentialis non eam solum intelligi verecundiae et reverentiae speciem, qua filii prosequuntur parentes et alios quibus honor habendus est, verum etiam eo nomine intelligi existimationem et formidinem mali, quod timetur ab iis quorum legitimae potestati obnoxii sumus, nisi eorum voluntati obtemperemus. Itaque ex metu reverentiali filius ex. gr. matrimonium inire dicitur, quando oblatis a patre nuptiis non audet contradicere, in easque invito animo et quasi coactus consentit tum ob pudorem et reverentiam quae filiis naturaliter inest coram parentibus, tum etiam ob timorem quem eadem reverentia inducit, ne in patris offensionem incurrat ab eoque mulctetur. Mala autem quae ex hujusmodi filiorum resistentia manare solent, diversa sunt attenta parentum indole; alii moerorem ex filiorum resistentia conceptum tristitia dumtaxat vultus manifestant; alii in querelas erumpunt quandoque graviores, quandoque leviores; alii denique querelis adjungunt asperam agendi rationem, minas verberum, minuendae haereditatis, aliasque graves et injustas vexationes; quae omnia juxta diversas personarum circumstantias perpendenda sunt, ut probe judicetur, an metus levis fuerit an gravis. Generatim tamen dicendum est metum reverentialem sejunctum a verberibus, minisve gravibus, vel cohabitatione difficili et admodum molesta, aliove gravi periculo matrimonium non dirimere, tum quia ejus generis metus in virum prudentem constantemque non cadit, tum quia aequum est ut filii voluntati parentum obsequantur ex metu quodam reverentiali; parentes enim oculatiores esse solent ipsis filiis,

qui saepius experientiae parum, multum vero libidinis habent, et caeco impetu in nuptias proruunt.

§ CLXXXVI.

DE ORDINE

Antiqua est Ecclesiae disciplina, quae majores Clericos omnino castos esse jubet. Hujus disciplinae fundamentum situm est in sanctitate status et ministerii, atque in primis divini sacrificii, cui in Ordinibus sacris constituti dant operam: « *cum simul voluptatibus et carnalibus desideriis ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant* » ut dicitur cap. 3. de Cler. conjug. Hinc Concilium Lateranense I. can. 21. « *Presbyteris, Diaconibus et Subdiaconibus et Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, et personas ad poenitentiam debere redigi juxta Sacrorum Canonum definitionem judicamus.* » Et Lateran. II. cap. 7. et 8. « *Ut lex continentiae et Deo placens munditia in Ecclesiasticis Personis et Sacris Ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, et Monachi, atque Conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum quoque de Sanctimonialibus, si, quod absit, nubere tentaverint, observari praecipimus.* » Multa alia sunt Conciliorum et Pontificum decreta, quae Lateranensi sanctioni omnino concinunt. Itaque Ordo sacer est impedimentum dirimens matrimonii, atque adeo nuptiae ab eo attentatae qui in aliquo Sacro Ordine constitutus est, invalidae habentur, easdemque attentans tum

gravissimi sacrilegii reus est, tum in tanti criminis poenam excommunicationem majorem ipso facto incurrit latam a Clemente V. his verbis. « *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahentes excommunicationis sententiae ipso facto subjacere decernimus.* » Clement. unic. de Consang. et Affin; itemque fit irregularis ob bigamiam similitudinariam, quam per attentatas hujusmodi nuptias contrahit, et denique ab officio et beneficio deponendus est juxta sequens Decretum Innocentii II. in Concil. Romano: « *decernimus ut hi, qui in Ordine Subdiaconatus et supra, uxores duxerint, officio et beneficio ecclesiastico careant.*

At Graeci continentiae legem vel votum Sacris Ordinibus non adnectunt, sive ut loquitur Innocentius III. cap. 6. de Cler. conjug. « *Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto.* » Quamobrem Graeci uxoribus suis ante Ordinationem ductis uti non vetantur, non vero permittuntur post susceptos Ordines Sacros nuptias inire. Haec Graecorum disciplina paullatim irrepsit, dein per Canones Trullanos stabilita et ab Ecclesia latina ad schisma vitandum tolerata est.

Ceterum nullus Ordo Sacer jure naturali vel divino, sed tantum ex lege ecclesiastica et voto nuptias dirimit. Itaque Romani Pontifices ex gravissimis causis super hoc impedimento interdum dispensarunt. Si quis vero vel ante rationis usum, vel omnino coactus Sacris Ordinibus initietur, ab omni ministerio et exercitio Ordinum perpetuo interdictus a continentiae lege dispensatur, dum tamen comprobaverit se vel sui non compotem, vel prorsus coactum Sacris Ordinibus insignitum fuisse, et Ordinationem suam postmodum ratam non habuisse.

§ CLXXXVII.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS

Tridentinum sess. 24. de Matrim. Can. 2. definivit. « *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* » Nemini itaque cum jure ecclesiastico, tum divino fas est constante vinculo prioris matrimonii ad alias nuptias convolare, atque adeo irritae et invalidae sunt posteriores nuptiae si contrahantur, quod impedimentum ligaminis appellatur. Neque per supervenientem prioris conjugis obitum matrimonium illud invalide contractum convalescit, nam ex Reg. 18. Juris in 6.° « *non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.* » Hinc Canones omnino vetant secundas nuptias iniri, nisi de morte prioris conjugis certo constet, quod Lucius III. rescripsit Christianis in captivitate positis cap. 2. de secund. Nupt.: « *id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* » Et Clemens III. ad Caesaraugustensem Episcopum cap. 19. de Sponsal. et Matrim. « *in praesentia nostra quaesivisti quid agendum sit de mulieribus, quae viros causa captivitatis et peregrinationis absentes ultra septennium prestolatae fuerint, nec certificare possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, et pro juvenili aetate seu fragilitate carnis nequeunt continere petentes aliis copulari. Consultationi ergo tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiae permittes contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* » Si quis

autem falsis documentis deceptus priorem conjugem obiisse putans matrimonium bona fide contraxerit, postmodum vero comperiat adhuc vivere « *relictis adulterinis amplexibus ad priorem conjugem reverti debet* » ut loquitur Lucius III. cit. cap. 2. de secund. Nupt.

§ CLXXXVIII.

DE PUBLICAE HONESTATIS JUSTITIA

Publicae honestatis justitia est quaedam ex sponsalibus de futuro, aut ex matrimonio rato orta propinquitas, quam sponsus contrahit cum sponsae consanguineis, non autem cum affinibus utriusque. Quaedam enim honestas ac decentia postulare videtur, ut nemo ei puellae nubat, cujus consanguineam aut sibi desponsavit, aut etiam matrimonio quodammodo suam effecit. Olim publicae honestatis impedimentum ex quibusvis sponsalibus etiam invalidis oriebatur, et ad quartum usque gradum inter Sponsum et Sponsae consanguineos, ac vicissim nuptias dirimebat. Nunc autem ex sponsalibus tantum validis emergit, et primum gradum non excedit ex decreto sess. 24. cap. 3. de Reform. Matrim. quo sic statuitur: « *justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione invalida erunt, Sancta Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* » Itaque hujusmodi impedimentum non oritur 1. ex sponsalibus indeterminatis, veluti si pater adolescenti promittat unam ex filiabus suis in uxorem daturum; quod sponsalia proprie non sint, cum in personam certam non ferantur. 2. Non oritur ex sponsalibus conditionatis ante conditionis eventum, ut colligitur ex cap. unic. de Sponsal.

in 6.°, et Interpretes communiter docent, quia conditione pendente consensus suspensus manet. 3. Non oritur ex sponsalibus initis inter eos qui aliquo impedimento dirimente inhabiles sunt ad contrahendum, quia ejus generis sponsalia nulla sunt. 4. Demum ex sponsalibus per parentes contractis nomine filiorum absentium, donec ipsi filii consenserint, rataque sponsalia fecerint. Ceterum publicae honestatis impedimentum, quod semel ex sponsalibus validis ortum est, perpetuo manet, nec aufertur etiamsi sponsalia mutuo consensu dissolvantur, quemadmodum S.ª Congregatio Concilii saepius declaravit, et praecipue die 6. Julii ann. 1658. apud Fagnanum in Cap. Ad audientiam de Sponsal.

Quod vero ad matrimonium pertinet, publicae honestatis impedimentum consurgit ex matrimonio dumtaxat rato. « *Matrimonium enim consummatum, ut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit* » ut recte monet Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 9. cap. 13. num. 4. Cum vero Tridentina Synodus circa impedimentum publicae honestatis, quod oritur ex matrimonio rato, nihil innovaverit, hinc sicut olim, ita nunc quoque impedimentum hujusmodi exurgit ex quolibet matrimonio rato etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu consensus, et nuptias dirimit ad quartum usque gradum inclusive. Matrimonium autem ratum invalidum est ex defectu consensus, si initum fuerit ob errorem in personam, vel ob servilis qualitatis ignorantiam, vel ob vim metumve gravem injuste incussum; et propterea in his casibus impedimentum publicae honestatis non parit: si vero matrimonium ratum ex quocumque alio capite invalidum sit, impedimentum semper gignit, et usque ad quartum gradum nuptias dirimit. Quamquam vero matrimonia rata impuberum ob defectum consensus invalida habeantur, ex speciali tamen Juris

Canonici dispositione in Cap. Tuae de Sponsal. Impub., et cap. un. eod. in 6.° in sponsalia valida de futuro resolvuntur. Inde fit ut ex eisdem matrimoniis tamquam ex validis sponsalibus impedimentum dirimens publicae honestatis ad primum tantum gradum contrahatur. Illud est huic impedimento praecipuum et proprium, quod retro non agat, hoc est prioribus sponsalibus numquam deroget, veluti si quis post sponsalia cum Berta valide contracta, cum ejusdem matre aut sorore nova sponsalia ineat, non vetatur Bertam ducere in uxorem, cap. un. de Sponsal. in 6.°; at si post sponsalia cum Berta matrem vel sororem ejus cognoverit, affinitatem contrahit, quae executioni priorum sponsalium et matrimonio cum Berta ineundo prorsus obstat, cap. 8. et 9. De eo qui cogn. consang. Hinc affinitas dicitur retro agere, idque de aliis impedimentis tradit Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 68. num. 23. et 24.

§ CLXXXIX.

DE AFFINITATE

Affinitas est personarum propinquitas ex perfecta carnis commixtione proveniens, eoque nomine vocatur affinitas, quod per carnalem copulam una cognatio ad alterius cognationis finem accedit. Siquidem per copulam vir et foemina unum fiunt: unde efficitur ut vinculo isto consanguinei foeminae cum viro, et consanguinei viri cum foemina affinitate conjungantur. Hinc sequitur 1. Virum et foeminam qui corporum commixtione copulantur, affines inter se proprie non esse, sed principium affinitatis, et quasi stipitem a quo affinitatis gradus numerantur, sive ut Gratiani verbis utar in notis ad arborem affinitatis caus. 35. quaest. 5. « *inter virum et mulierem*

non contrahitur affinitas, sed ipsi sunt affinitatis causa. » Hinc vir poterit mulierem in matrimonium ducere, quam carnaliter antea cognoverat. 2. Neque ex sponsalibus de futuro, neque ex matrimonio rato affinitatem oriri, quod in utroque casu deest ratio affinitatis, nimirum corporum conjunctio, per quam vir et mulier una caro efficiuntur. 3. Affinitatem non oriri, nisi seminum commixtio intercedat; secus enim copula perfecta non est, nec facti sunt duo in carne una; « *quantumvis*, ait S. Thomas in 4. distinct. 41. quaest. un.ª art. 1., *aliquis claustra pudoris invadat, nisi commixtio seminum sequatur, non oritur ex hoc affinitas.* » 4. Affinitatem oriri non solum ex copula licita, sed etiam illicita, nam « *qui adhaeret meretrici, unum corpus cum illa efficitur* » ut legitur 1.ª ad Corinth. cap. 4. 5. Affinitatem oriri ex copula, quae habeatur cum muliere prorsus invita ac renitente, aut etiam dormiente, aut ebria, Cap. Discretionem De eo qui cogn. consang.; namque ad affinitatem contrahendam satis est carnalis cognitio, seminumque commixtio, non voluntas personarum postulatur.

Triplex olim extitit affinitatis genus. Primum erat illud de quo locuti sumus: alterum in eo situm erat ut affinitas pareret affinitatem: tertium denique ~~in eo situm erat, ut~~ consanguinei mulieris affines fierent consanguineis viri, et vicissim. Verum Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. secundum et tertium affinitatis genus de medio sustulit, et primum dumtaxat genus in suo robore permanere constituit. Nunc itaque cum affinitas non pariat affinitatem, neque promanet inter consanguineos uxoris et consanguineos viri, aut vice versa, sed tantum inter mulierem cognitam et consanguineos viri cognoscentis, et vicissim inter virum cognoscentem, et consanguineos mulieris cognitae contrahatur; hinc fit, ut duo unius familiae fratres duabus alterius familiae sororibus

nubere possint, pater et filius unius familiae matrem et filiam alterius familiae in uxores ducere. « *Super eo*, inquit idem Pontifex Innocentius III. Cap. QUOD SUPER de Consang. et Affin., *quod pater et filius cum matre et filia, avunculus et nepos cum duabus sororibus contrahant matrimonium, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, inter consanguineos tamen uxoris et viri, ex eorumdem scilicet viri et uxoris conjugio, nulla est prorsus affinitas contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.* » Similiter matrimonium valide contrahi potest inter vitricum et uxorem privigni, uti late probat Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 9. cap. 12., aliaque ejus generis matrimonia iniri queunt.

Pro dignoscendis gradibus affinitatis haec regula traditur: quoto gradu persona quaelibet est consanguinea viro cognoscenti, eodem gradu fit affinis mulieri cognitae; idque in linea recta vel obliqua. Hinc mater et filia mulieribus quae eidem consanguineae in primo gradu lineae rectae, eodem gradu in linea recta fiunt affines viro: soror quae mulieri est consanguinea in primo gradu lineae obliquae, eodem gradu in linea obliqua fit affinis viro, et sic de ceteris. Affinitas ex copula licita sive conjugali promanans matrimonium dirimit ad quartum usque gradum inclusive: « *prohibitio copulae conjugalis quartum gradum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* » Ita statutum est a Concilio Lateran. IV. can. 50. quo impedimentum istud latius antea patens coercitum est. Si vero affinitas ex copula illicita seu fornicaria aut adulterina exoriatur, ex decreto Synodi Tridentinae sess. 24. cap. 4. de Ref. Matrim. ad secundum tantum gradum inclusive nuptias dirimit; ibi « *Praeterea S. Synodus gravissimis de causis*

adducta impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere. » Quod quidem uberius adhuc S. Pius V. in Constit. Ad Romanum declaravit, ubi ait. « *Nos omnem ambiguitatem tollere, et animarum tranquillitati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, declaramus et auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere ac licite matrimonium contrahi possit.*

Affinitas in quolibet gradu lineae transversae solo jure ecclesiastico nuptias dirimit. Etenim in veteri lege viduam fratris vita functi in matrimonium ducere licuit; quin extat lex Deuteronomii 25. sic expressa. » *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex his mortuus fuerit absque liberis, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus.* » Quis autem in animum suum induxerit latam a Deo legem juri naturali contrariam ? Hinc Romani Pontifices super hujusmodi impedimento interdum dispensarunt. At gravior difficultas est, an affinitas in linea recta, et saltem in primo gradu ejusdem lineae jure naturali nuptias dirimat? Jam vero si affinitas ex illicita copula ortum habeat, Doctores facile consentiunt hujusmodi affinitatem lege tantum ecclesiastica validitati nuptiarum obesse, atque adeo Pontificem posse eam legem relaxare, quemadmodum Apostolica Sedes haud raro dispensat, ita tamen ut si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat. Affinitas enim quae ex fornicatione oritur, non est adeo perfecta atque illa quae ex legitimo matrimonio originem trahit; nam per matrimonium affines in linea recta praeseferunt quamdam ra-

tionem inter se parentum ac liberorum; qua quidem ratione affines ex copula fornicaria destituuntur. Quamobrem ut observat Sanchez lib. 7. disp. 65. num. 9. « *sunt nomina imposita affinibus per copulam conjugalem: nulla sunt imposita affinibus ex copula fornicaria.* » Itaque difficultas praecipua est, an affinitas ex copula licita seu matrimoniali inter affines in linea recta, et saltem in primo gradu, veluti inter socerum et norum, socrum et generum, vitricum et privignum, novercam et privignum jure naturali nuptias irritet? Hujus difficultatis nodus nondum expeditus est. At videtur magis rationi et auctoritati consentanea sententia esse, quae putat quidem hujusmodi nuptias valde indecoras, non tamen naturali lege invalidas. Nam personae hujusmodi, puta noverca et privignus rationem parentum et liberorum re ipsa non habent sine fictione quadam, dum inter eos non occurrit vera ratio principii et principiati, ut Scholastici loquuntur, et proinde non ea datur inter eos mutua auctoritatis et subjectionis relatio, isque pudor et reverentia, quae debito conjunctionis ordini opponatur, quemadmodum inter patrem et filiam, inter filium et matrem reperitur. Haec sententia confirmatur auctoritate Conciliorum. Siquidem Concilium Agatense an. 506. Can. 61. haec habet. » *Si quis frater germanam uxoris acceperit, si quis novercam duxerit, quos omnes et olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, quod ita praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta, non dissolvamus.* » Et Concilium Epaonense an. 517. Can. 61: « *incestos hos esse censemus, si quis relictam fratris quae pene prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit, si quis novercam duxerit, quod a praesenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt anterius instituta, non solvimus.* » Concinit Concilium Aurelianense III. Can. 10. Jam vero si hujusmodi conjugia lege naturali dirimerentur, tum

fideles, tum etiam infideles fidem Catholicam amplexi, quia legi naturali subsunt, ab hujusmodi uxoribus separandi omnino fuissent. Nihilo tamen minus ejus generis matrimonia adeo inhonesta sunt et indecora, ut nullum extet exemplum dispensationum super similibus nuptiis, quamvis R. Pontifices pluries rogati fuerint.

§ CXC.

DE IMPOTENTIA

Impotentiam hoc loco vocamus inhabilitatem vel ex parte viri, vel ex parte foeminae ad matrimonium consummandum, perfectamque copulam habendam. Cum autem commercium carnale naturaliter compleri possit, etiamsi generatio non sequatur, non est judicanda impotentia, ut si mulier fuerit sterilis. Est autem impotentia vel naturalis et intrinseca, vel accidentalis et extrinseca. Prior ex naturae defectu, posterior ex maleficio, vel ex hominis opera proficiscitur. Utraque vel perpetua est, vel temporalis; perpetua est si nonnisi cum mortis periculo, aut per miraculum, aut per media illicita auferri possit. Temporalis vero dicitur, si queat aut medicae artis ope, aut per exorcismos Ecclesiae, aut aliis modis licitis superari. Tandem alia est absoluta, alia respectiva: absoluta est quae in viro respectu omnium mulierum, aut in foemina respectu omnium virorum reperitur; respectiva est quae aut virum aut mulierem respectu certae personae, non vero respectu aliarum omnium inhabilem reddit ad matrimonium consummandum. Quaelibet autem impotentia, si matrimonium praecesserit, antecedens; si jam contractum subsequuta sit, subsequens appellatur.

His praemissis haec apud omnes certa sunt: 1. Impotentiam temporalem sive antecedentem, sive subsequentem non dirimere matrimonium, Cap. Fraternitati de frig. et malef. Nam impotens ad tempus potest jus in corpus transferre cum obligatione copulae, ubi impotentia cessaverit: quemadmodum rite contrahitur obligatio ad id praestandum, quamvis praestare praesenti tempore non valeas, in posterum tamen poteris, aut saltem prudenter speras te fore in posterum solvendo parem. Hinc nuptiae impuberum, quandoquidem impotentia perpetua non est, irritae sunt jure tantum ecclesiastico, ac proinde poterit Pontifex dispensare. Quin ipso jure ecclesiastico impuberum conjugia valida sunt, si praecox malitia, et corporis aptitudo aetatem suppleat, et eo casu nulla opus est Pontificis dispensatione, sed sola Episcopi declaratione eos esse conjugio idoneos. 2. Impotentiam subsequentem, licet perpetuam, non dirimere matrimonium, tum quia omnis contractus natura est, ut per supervenientem rei mutationem non dissolvatur, tum praecipue quia vinculum matrimonii indissolubile omnino est. Idque locum sibi vindicat, etiamsi impotentia consummationem matrimonii praecesserit; siquidem semel validum matrimonium ob subsequentem quovis tempore defectum neque rite contractum esse cessat, neque ideo dissolvi potest. Relinquitur tantum hoc casu, ut ratum matrimonium dissolvatur, si alteruter ex contrahentibus Religionem approbatam solemniter profiteatur, vel Summus Pontifex dispenset. 3. Certum est solam impotentiam perpetuam et antecedentem, sive naturalis sit, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, sive ante matrimonium contrahentibus nota fuerit, sive ignota, matrimonium dirimere utroque jure et naturali et ecclesiastico. Cum enim procreandae prolis causa nuptiae comparatae sint, ad essentiam matrimonii pertinet potentia perfectae

copulae habendae, sine qua haud potest ipsius matrimonii usus et finis obtineri. Ad rem S. Thomas in 4. distinct. 34. quaest. unic.ª a. 2. ad 1. « *Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, potentia tamen ad hoc est de ejus essentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulae.* » Cum igitur quaelibet res absque sua essentia naturaliter consistere nequeat, ex jure naturali irritum erit matrimonium, si ea sit ab initio viri aut mulieris imbecillitas, ut ipsum consummare non valeant. Huc etiam facit Regula Juris «*impossibilium nulla est obligatio.*» Hinc Alexander III. Cap. Quod sedem de frig. et malef. respondet Episcopo Ambianensi. « *Sicut puer qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio, sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* » Et Sixtus V. in suis literis Cum frequenter ad Episcopum Novariensem apud Regem Hispaniarum Apostolicum Nuncium datis universim declarat, quod « *secundum Canonum sanctiones et naturae rationem qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad matrimonium contrahendum reperiuntur.* » Regulariter autem in eisdem literis de Eunuchorum matrimoniis sic edixit. « *Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut conjugia per dictos et alios quoscumque Eunuchos et Spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoque modo permittant, interdices, quam eos etiam qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas.* »

Jam vero si evidentibus signis, aut legitimis documentis certo constet, impotentiam adesse, eamque et

perpetuam esse, et matrimonium praecessisse, statim vir et mulier separandi sunt. Si vero aliquod dubium exoriatur, natura et qualitas dubitationis expendenda est. Nam si dubitetur, utrum dicta impotentia matrimonium praecesserit, an subsequuta fuerit, tunc si ea naturalis sit et intrinseca, praecessisse praesumitur; quod enim a natura inest, semper adfuisse censetur. Si vero accidentalis sit et extrinseca, matrimonium subsequutam esse praesumitur. « *Cum enim*, ait Sanchez lib. 7. disp. 103. num. 5., *natura ipsa hominem illum potentem produxerit, asserenti eum aliquando impotentem fuisse, onus probandi incumbit, utpote cui adversatur praesumptio a natura ipsa descendens.* » Quae praesumptio maxime valet, quando conjux de alterius impotentia diu post contractum matrimonium conqueri incipit; « *si enim reclamare voluit, cur tamdiu tacuit? cito enim et praevio tempore scire potuit, si secum coire potuisset.* » Ita Cap. Accepisti de frig. et malef. At si constituerit de impotentia antecedente, et dubitetur utrum ea perpetua sit, an temporalis, tum locum habet celeberrima Constitutio Caelestini III. Cap. Laudabilem eod. in qua sic statuit. « *Requisivisti quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae conjugalis? Nos vero praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati matrimonii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium.* » Manente autem dubio haec a Sacris Canonibus sancita sunt. 1. Si vir a se cognitam uxorem contendat, mulier autem neget, viro affirmanti credendum est, quia vir est caput mulieris. Haec regula firmatur ab Alexandro III. Cap. Continebatur de Desponsat. impub. « *Consultationi tuae taliter respondemus, quod cum in decretis habeatur expressum, quod si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, et mulier negaverit, viri standum est veritati: praefato viro qui dicit se mulierem ipsam cognovisse fides est habenda,*

si juramento id firmaverit. » Quod si mulier virum arguat mendacii et perjurii, seque virginem probari velit, inspectio decerni potest. « *Cum partes*, inquit Gregorius VIII. in Cap. Proposuisti de Probat., *essent in tua praesentia constitutae, mulier proposuit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci; quod tam proprio juramento, quam testimonio septem mulierum probaverit, quae per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, viro per juramentum suum contrarium asserente. Videtur igitur nobis quod juramento puellae, et testimonio illarum septem mulierum fides est potius adhibenda.* » Contra vero si vir negaverit, mulier vero se cognitam esse contestetur, et aliae probationes pro viro non suppetant, videtur mulieri fides habenda esse, tum « *quia vir*, ut observat S. Raymundus lib. 14. Summae tit. de impotent. coeundi, *in ea hypothesi actor est, et si non probat quod asseverat, mulier cum sit rea, etsi nihil praestiterit, absolvi debet ab impetitione viri* »; tum quia non praesumitur foeminam velle cum viro impotente cohabitare. 2. Si uterque conjux impotentiam fateatur, etiamsi triennium experimenti completum sit, eisdem juramentum defertur, ut omnis fraus aut collusio, quoad ejus fieri possit, avertatur. Itaque uterque conjux cum septima manu parentum aut vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangeliis jurare debent, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti sint. Conjuges autem de veritate, hoc est de certa scientia jurare debent, propinqui de credulitate, se nimirum credere quod conjuges bona fide et absque dolo matrimonium consummare decreverint. 3. Soluto matrimonio ex capite impotentiae, alteri quae impotens non est, vel si impotentia respectiva sit, utrique parti conceditur transitus ad alias nuptias. Si vero post novas nuptias conjux qui perpetuo impotens putabatur, subeundis matrimonii oneribus

postmodum habilis inveniatur, matrimonium prius redintegratur juxta Cap. Laudabilem, et Cap. Fraternitatis de frig. et malef. Neque enim sententia in causa impotentiae lata transit in rem judicatam. 4. Si conjuges impotentes velint cohabitare tamquam frater et soror, id eis permittitur per cit. Cap. Laudabilem, et Cap. Consultationi eod. Unde colligitur matrimonium bona fide contractum a nemine posse, ex causa impotentiae, nisi ab ipsis conjugibus accusari. Quia vero haec fraterna societas plena periculi est, praesertim si vir et mulier florentis adhuc actatis sint, praestat agere ut ad separationem auctoritate Ecclesiae inducantur: quippe in eo casu praevalet jus naturale, quod jubet omnem peccandi occasionem declinari. Ceterum fraterna hujusmodi societas impotentium nullum jus tribuit in corpora, neque matrimonium est, quemadmodum Doctores communiter tradunt contra Paludanum, Pontium, aliosque paucos.

§ CXCI.

DE CLANDESTINITATE

« *Qui aliter*, statuit Trident.ª Synodus sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim. cland., *quam praesente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem Parochia factae numerandos.* » Itaque in iis locis ubi hoc decretum publicatum est, nuptiae irritae et nullae sunt, quae sine Parochi vel sine duorum aut

trium testium praesentia celebrentur. Nomine autem Parochi intelliguntur qui Ecclesiis Parochialibus praefecti sunt, sive eis praesint immediate, uti ipsarum Parochi; sive praesint mediate, uti Episcopi seu Ordinarii eorumque Vicarii Generales in suis Dioecesibus, Romanus Pontifex in toto terrarum Orbe, Legati a latere in suis Provinciis, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Capitulum seu Vicarius Capitularis Sede vacante, tum illi demum qui Parochi vices agunt, uti Vicarii perpetui vel temporales. Hi enim omnes et valide et licite matrimonio assistunt, et licentiam assistendi dare possunt aliis Clericis sive saecularibus, sive regularibus. Circa hanc delegationem prae oculis est habenda declaratio Congregationis Concilii, quam refert Gonzalez ad reg. 8. gloss. 47. n. 5. his verbis. « *Non sufficit tacita licentia, quae resultat ex tolerantia, requiritur vero vel commissio generalis ad administranda Sacramenta, vel si haec absit, expressa vel specialis licentia.* » Oportet autem ut delegati Sacerdotali charactere insigniti sint. Hanc enim qualitatem in delegatis ad assistendum matrimonio Tridentina Synodus diserte postulat. Eamdem vero qualitatem cum Synodus in Parocho non requirat, inde fit ut Parochus qui nondum Sacerdos est, matrimonio possit et valide et licite interesse. Valide etiam assistit matrimonio Parochus dumtaxat aestimatus, cui scilicet Parochia invalide collata est ob defectum occultum, qui communiter tamen et vulgo verus Parochus existimatur; tunc enim ob communem errorem et bonum publicum lex supplet defectum tituli, Argum. L. Barbarius ff. de Offic. Praetor. Similiter Parochus excommunicatus etiam vitandus, vel suspensus, vel a sacrorum ministerio interdictus, quoad Parochiali beneficio non privetur, valide matrimonio assistit ob eam rationem quia Parochus adhuc est.

Praeterea cum Synodus simpliciter praesentiam Parochi, non Parochorum requirat, neque exprimat an viri, an mulieris, receptum est quod alterutrius contrahentium Parochi praesentia sufficiat. Quamquam enim S. Congregatio Concilii an. 1571. lib. 1. Decret. pag. 125. interrogata: cujusnam Parochi praesentia requiratur? Sponsine, an Sponsae? responderit. « *Ad matrimonii validitatem sufficere praesentiam solius Parochi proprii Sponsae, quando matrimonium in Parochia Sponsae contrahitur; similiter sufficere praesentiam solius Parochi Sponsi, si in ipsius Sponsi Parochia contrahatur:* » ipsa tamen Congregatio postea declaravit matrimonium valere, si Sponsi Parochus in Parochia Sponsae, absque ejus Parochi licentia, matrimonio assistat, vel viceversa: atque hoc decretum Summus Pontifex approbavit, sic in posterum responderi jubens, quod testatur Fagnanus in Cap. Quod nobis de clandest: desponsat. Parochus autem qui in aliena Parochia assistit, si solemniter assistat, sponsisque nuptialem benedictionem impertiatur, illicite agit; quemdam enim quasi strepitum judiciarium et solemnitatem adhibet, quod in alterius territorio minime licet. At si privatim et sine publica nuptiali benedictione intersit, licite assistit: idque a S. Congregatione Concilii declaratum fuisse testis est Fagnanus loc. cit. Tridentinum enim nihil expressit de loco celebrandi matrimonii, solamque Parochi proprii praesentiam postulat, in quo nullus est actus jurisdictionis contentiosae.

Ille autem censetur proprius esse Sponsae aut Sponsi Parochus, in cujus Paroecia Sponsus aut Sponsa domicilium aut quasi domicilium habet. Parochus enim originis ad assistendum matrimonio proprius non est, dum Sponsus aut Sponsa alio domicilium transtulerunt. Quod si quis duo domicilia in diversis Parochiis contraxerit; « *in duobus autem locis potest aliquis habere domicilium*,

si utrobique ita instruxerit, ut non minus apud alteros se collocasse videatur » ut loquitur L. Assumptio ff. ad Municipalem; quamvis consultius sit ut matrimonium coram illo Parocho ineatur, in cujus Parochia tunc contrahens degit quum nubit; matrimonium tamen valet, si coram alterutro contrahatur; « *qui habent duplicem Parochiam*, ait Sylvius in sup. S. Thomae quaest. 45. art. 5., *regulariter videtur debere contrahere coram illo, in cujus Parochia manet tempore matrimonii contrahendi; quamvis si coram altero contraheret, videatur fore validum, quia etiam ille censetur proprius eorum Parochus*». Quae sententia communiter recepta est, » *Post haec necessarium fore censemus*, verba sunt Benedicti XIV. in Constit. Paucis ab hinc 19. Martii 1758, *nonnihil adjungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius ~~anni~~ mensis ille qui matrimonium contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur.* » Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in Cap. Significavit de Paroch; ubi eorumdem contextu perpenso haec habet sub num. 39. « *Vir et mulier Trajectenses timentes impedimentum a Parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquisgranam contulissent, et ibi aliquamdiu morati matrimonium contraxissent, S. Congregatio consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* » Igitur ut valeat matrimonium, coram Parocho contrahendum est ejus loci in quo alteruter ex contrahentibus domicilium habet, aut quasi domicilium adeptus est. Quasi domicilium autem acquiritur facto et animo, hoc est adventu in aliquem locum, et intentione per aliquod tempus ibidem permanendi, et praeterea efflagitatur praevia unius saltem men-

sis in eodem loco habitatio, ut contrahentes jam cogniti et perspecti sint. Hinc si quis in fraudem legis, aut Parochi, aut si ad aliquas declinandas difficultates ex loco propriae habitationis transeat ad alium locum unius matrimonii celebrandi causa, et confestim matrimonio celebrato ad pristini domicilii locum revertatur, tum illicite, tum invalide contrahit, quae fuit sententia S. Congregationis Concilii in *quadam Abulen.* sub die 1. Decemb. 1640. At vero praedictum matrimonium, licet fraus in eo intercesserit, validum est, si antequam iniretur, domicilium aut quasi domicilium contrahens adeptus esset in eodem loco in quo contraxit; siquidem contrahens potest domicilium in aliquo loco habere, et quasi domicilium adipisci in alio loco, eique tunc integrum erit matrimonium inire coram Parocho loci, ubi quasi domicilium adeptus est. Confer Benedictum XIV. in cit. Constit. Pariter ob defectum domicilii vel quasi domicilii, qui rei familiaris aut rusticationis causa rus pergit, ibique ad tempus commoratur, invalide coram Parocho rurali nuptias contrahit. Hinc S. Congregatio Concilii in *una Urbinaten.* 1. Decemb. 1640. « *inhaerendo declarationibus alias factis respondit, Parochum ruralem non esse proprium et verum Parochum, quando rus itur causa recreationis aut pro rusticanis negotiis: ideoque matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse.* »

Contra vero Praetores, Judices, Medici, facultatum Professores, Discipuli licet exteri sint, rite matrimonium contrahunt coram Parocho loci in quo versantur, quod saepius respondit S. Congregatio Concilii apud Benedictum XIV. Institut. Eccl. 33.

Quod vero ad famulos pertinet, eadem Congregatio ab Episcopo Eugubino sententiam rogata; « *An matrimoniis famulorum assistere debeat Parochus domicilii paterni, seu potius alter in cujus Parochia puellae famulatum prae-*

stant », sub die 24. Maji 1788. respondit: « *Episcopus per suum decretum jubeat, ut matrimoniis puellarum quae famulatum Eugubii praestant, assistat Parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem puellae, quatenus illud habeant in eadem Civitate; si non habeant, assistat Parochus domicilii in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant.* » De iis vero qui carceribus detinentur, distinctione opus est. Hominum nonnulli perpetuo, vel ad certum tempus carcere damnati sunt in poenam criminis; nonnulli vero detinentur in carcere ob custodiam quoad sententia a Judice proferatur. Priorum proprius Parochus ad effectum assistendi matrimonio censetur is esse, in cujus Paroecia situs est carcer: « *relegatus enim in eo loco in quo relegatus est, interim necessarium habet domicilium* » ut habetur L. Filii ff. ad Munic.; posteriorum autem proprius Parochus est, qui curam animarum habet in eo loco, in quo qui carcere detinetur, domicilium habet. Matrimonia Alumnorum qui in Seminariis et Collegiis instituuntur, itemque puellarum quae in septis Monialium educantur, coram Parocho domicilii si illud habeant, ineunda sunt; sin minus coram eo Parocho, in cujus Paroecia Seminarium, Collegium, aut Monasterium situm est. Puellae autem expositae in spuriorum hospitio degentes ex Declaratione Congregat. Concilii diei 11. Aprilis 1651. conjugium inire debent coram Parocho, cujus Paroeciae hospitium subest. Denique de vagorum Parocho dicendum est.

Vagi sunt qui suo relicto domicilio sedem in exteris terris inquirunt; quod didicimus ex L. Ejus §. *Celsus* ff. ad Municip., ubi haec habentur. « *Puto autem et hoc procedere posse, si quis domicilio relicto navigat, vel iter faciens quaerat, quo se conferat, atque ubi consistat; nam hunc puto sine domicilio esse.* » A vagis autem differunt peregrini qui ea voluntate iter faciunt, ut ad pristinum do-

micilium exacta peregrinatione revertantur. Proprius vagorum Parochus est in cujus parochia versantur, cum inire matrimonium volunt ; idque etiam obtinet, licet eorum dumtaxat alter numero vagorum adscribatur. Parochi tamen ex praecepto Concilii Tridentini sess. 24. cap. 7. de Refor. Matr. caveant « *ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* » Si tamen de facto assisterent absque tali licentia, quamvis peccarent, matrimonium tamen valeret, quia tam sunt Parochi talium, quam Episcopus eorum Ordinarius, ut observant Sylvius, Ledesma, Sanchez, aliique plures.

Praeter Parochum duo aut tres testes matrimonio interesse debent, ut valide ineatur. Verum cum nullam in eis peculiarem qualitatem postulet S. Synodus, hinc nuptiis contrahendis possunt esse testes quicumque usu rationis pollent, et secundum jus naturae habiles et apti sunt ad ferendum testimonium sive impuberes, sive consanguinei, sive domestici, sive religiosi, sive foeminae, sive infideles, sive excommunicati, sive haeretici, aliique demum etiam jure positivo ad testimonium dicendum inhabiles, modo non per vices, sed uno simul eodemque tempore celebrationi nuptiarum intersint. Validum quoque matrimonium est, etiamsi Parochus et testes non sponte, sed fortuito aut dolo inducti, aut coacti et inviti, imo etiam contradicentes aut dissidentes adfuerint: finis enim Tridentini Decreti, quo ipsorum praesentia ad testimonium de contracto matrimonio dumtaxat perhibendum requiritur, satis obtinetur, utcumque ipsi adsint, modo quid ageretur intellexerint. Quamobrem illud tantum postulatur, ut praesentia Parochi et testium non sit mere physica et materialis, sed etiam moralis, ut scilicet contrahentes videant, et vel eorum verba audiant vel ea

non percipientes, signa saltem videant, quibus mutuus utriusque contrahentis sensus significetur. Qui enim poterunt de contracto matrimonio testimonium Ecclesiae reddere, nisi quid ageretur intellexerint? « *Coram Titio aliquid facere jussus non videtur praesente eo fecisse, nisi id intelligat. Itaque si furiosus aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram fecisse* »· ut habemus in L. Coram ff. de V. S. Quamobrem S. Congregatio Concilii ad 4. dubium eidem propositum ab Episcopo Giennensi: « *Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum quae agebantur, vidit, neque audivit; utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius tamquam sine Sacerdote nullius sit ponderis et momenti?* » respondit: « *non valere, si Sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere.* » Postrema haec S. Congregationis verba cum paullo subobscura sint, affabre explicantur a Benedicto XIV. lib. 13. de Synod. Dioeces. cap. 23 his ferme verbis: Verus illorum verborum sensus est, matrimonium validum fore quod celebratum fuerit coram Parocho qui nec vidit, nec intellexit, si ipse sibi in causa fuit ut non videret, nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit ne audire vel aspicere cogeretur. Neque enim ulla haberi debet ratio affectatae ignorantiae illius qui cum videre et audire commode posset, ipse sibi voluntarium posuit impedimentum ne videret audiretque, neque aequum est, ut ab arbitrio factoque Parochi pendeat libertatem matrimonii impedire. Adnitendum quidem Parocho pro viribus est, ut hujusmodi matrimonia fieri prohibeat, multoque magis eidem cavendum est, ne eorum celebrationi voluntariam praesentiam exhibeat. Ex his tamen hoc tantummodo sequitur, ut ipse data opera non debeat iis interesse, ut occasionem praestandae eisdem assistentiae, quantum fas, evitare teneatur. Ut etiam forte circumventus aliove obtentu accersitus fuerit, contrahen-

tes serio monere debeat, matrimonia hujusmodi sine gravi culpa celebrari non posse, sibi autem dictam esse legem, ut eosdem contrahentes, si id quod deliberarunt, reipsa perfecerint, ad Superiorem deferat a quo gravi poena plectendi erunt, praeterea se et animo et voluntate a praestanda eorum nuptiis praesentia longe abhorrere, cum hujusmodi contrahendi ratio a Sacris Canonibus reprobetur. At necesse non est aures obturare, velare faciem, aliaque hujus generis facere quae ad id solum valent, ut animos contrahentium aliquando scrupuli torqueant qui scilicet quamvis ut plurimum nesciant illicita ab invalidis distinguere, adhuc tamen non solum matrimonium, uti destinaverant, contrahere, sed etiam consummare non praetermittunt; utrumque enim perficere in animo habent, quoties circumvento aut deprehenso Parocho, coram eo proferunt verba ad mutuum consensum significandum idonea. Hactenus Benedictus XIV. loco cit.

De locis autem, ubi Concilium Tridentinum non est publicatum, S. Congregatio Concilii apud Zipeum lib. 4. de Sponsal. ita censuit: 1. « *Ubi decretum ejusdem Concilii non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observantia formae a Concilio praescriptae.* 2. *Publicationem praesumi, ubi decretum fuit aliquo tempore in Parochia tamquam decretum Concilii observatum.* 3. *Haereticos quoque, ubi decretum est publicatum, teneri talem formam observare, at propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel Magistratu loci contracta, irrita atque nulla esse.* 4. *Ubi constat Concilium esse publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tamquam decretum Concilii observatum, sed Parochialis Ecclesia, utpote vacans, proprio Parocho careat, et Cathedralis itidem Episcopo atque Capitulo habentibus a Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium va-*

lere absque praesentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. 5. Si extent quidem Parochus et Episcopus, et uterque nullo constituto Vicario, metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen ut dictum est, duobus testibus. »

§ CXCII.

DE RAPTU

Raptus est violenta foeminae abductio matrimonii ineundi causa. Leges Imperiales quae referuntur in Codice Theodosiano lib. 9. tit. 24. de Rapt. Virg. et Vid., et Lex unic. Cod. Justin. eod. tit. adeo crimen Raptus detestatae sunt, ut matrimonium inter raptorem et raptam nullo unquam tempore nec subsequenti ipsius raptae spontaneo consensu, nec parentum ratihabitione amplius consistere posse decreverint. At Ecclesiae legibus matrimonium inter raptorem et raptam nullum habebatur, quamdiu consensus raptae deerat; si enim puella etiam in potestate raptoris non amplius invita sed volens lubensque consensisset, matrimonium efficiebatur; quod plures Synodi particulares edixerunt, et Innocentius III. decrevit cap. 7. de Raptor. his verbis: « *rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, et quod antea displicuit, tandem incipiat complacere.* » At vero Tridentina Synodus sess. 24. cap. 7. de Reform. Matr. decrevit: « *inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium: quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum*

habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. » Quamobrem vulgo fertur, novum raptus impedimentum a Synodo Tridentina inductum esse, non solum quod recesserit a placitis civilium legum, dum inter raptorem et raptam nuptias dirimit non perpetuo quidem, sed quoad haec in illius potestate manserit, verum etiam quod recedit a jure Decretalium in cit. Cap. de Raptor., quatenus consensus raptae ad contrahendas nuptias ineptum fore constituit, nisi a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta consensum ipsum praestiterit. Unde compertum est, raptum ex jure Decretalium non aliam ob causam validitati nuptiarum obstitisse, nisi ob vim illatam et defectum liberi consensus, quod impedimentum est juris naturalis. Ex decreto autem Tridentini raptus irritat nuptias jure etiam ecclesiastico, quum scilicet manente rapta in potestate raptoris matrimonium nullum et irritum est, quamvis puella rapta non animo repugnante, sed ultro libenterque consenserit.

Aliqui Canonistae distinguunt duplicem raptus speciem: alterum appellant raptum violentum, alterum fraudolentum. Raptus violentus is est quem supra definivimus, quo scilicet persona invita ac renitens per vim abducitur animo matrimonium cum ipsa contrahendi. Quare ob raptum violentum haec duo postulantur, violentia et abductio. In primis itaque requiritur, ut mulier per vim seu physicam, cujusmodi est violenta manuum injectio; sive moralem, uti graves minae, gravisque metus, sive ab ipso raptore sive a mandatario illatam abducatur: si enim solae adhibeantur importunae preces, nisi tales sint, ut violentiae aequiparentur, non erit raptus violentus. Itemque si mulier consentiat raptui, quamvis violentiam patiantur parentes, raptus non erit violentus: in hoc enim raptu violentia existimatur respectu solius personae quae rapitur. Cum denique vim inferre non censeatur

qui aliquod jus in raptam consequutus est, hinc Doctores colligunt violentum raptum non haberi, si post contracta sponsalia vel invita rapiatur, nisi justam ab initis sponsalibus recedendi causam habeat. « *Sponsus*, inquit S. Thomas 2. 2. quaest. 154. a. 7. ad 4., *ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa, et ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur a crimine raptus.* » Secundo requiritur, ut mulier de loco ad locum moraliter diversum reipsa abducatur, eoque raptu ad nuptias ineundas adigatur; neque enim raptor est, aut dici potest qui puellam in aliqua domo repertam ibi opprimat, aut ab uno cubiculo ad aliud abducat libidinis explendae causa.

Raptus fraudolentus is est, quo ob eumdem finem matrimonii ineundi puella aut filiusfamilias precibus, suasionibus, pollicitationibus, aliisque blandis artibus seducitur, ut lubenti animo raptorem ipsum sequatur, parentibus insciis vel invitis: ex quo fit, ut etiam raptus seductionis appelletur. Qua de re ad raptum fraudolentiae vel seductionis tria desiderantur. 1. Abductio personae seductae ad nuptias contrahendas perpetrata, aut ejusdem personae spontanea fuga cum seductore praemeditata. 2. Minor aetas ipsius personae seductae; nam viginti quinque annis majores non jam seductionis capaces, quantum ad matrimonium spectat, existimantur. 3. Injuria parentum, quod nempe iis insciis vel repugnantibus abducatur: nomine autem parentum veniunt omnes, quorum legitimae potestati persona seducta obnoxia est. His positis nemo dubitat, quin raptus ex cit. Can. Tridentini impedimentum sit inter raptorem et raptam matrimonium dirimens, sed hujusmodi impedimentum perseverat, quoad in potestate raptoris rapta maneat. Idque merito sancitum est, ut nuptiarum libertati plenius consuleretur. Praesumitur enim, quod persona rapta, quamdiu in potestate

raptoris est, metu potius quam voluntate consentiat. Controversia est de raptu seductionis, utrum Tridentini decreto contineatur. Plerique Theologi, et Canonistae Gallicani affirmant: 1. Quia seductio veram habet rationem raptus: « *violentia*, inquit S. Thomas 2. 2. quaest. 154. a. 7., *quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri, quandoque vero infertur patri, non ipsi virgini: puta cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur, qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus.* » Jam vero Synodus Tridentina inter impedimenta dirimentia raptum generatim refert, quin inter violentiae et seductionis raptum distinguat. Non itaque inter utrumque distinctio ponenda est. 2. Quia non minus seductionis, quam violentiae raptus libertati nocet, quin ipsa violentia seductio deterior est. Etenim saepe numero facilius resistitur apertae violentiae quae animum alienat, nedum conciliat, quam fraudolentis persuasionibus quibus filiifamilias scite falluntur, atque, ut ait Albertus Magnus, « *persuasio fallax magis offuscat animum volentis quam metus.* » Verum haec non adeo momentosa sunt, ut in eam sententiam adducamur. Lex enim Tridentinae Synodi nuptiarum libertatem respicit, quae incolumis et salva manet, cum rapta voluerit et consenserit. Praeterea nihil vitii in raptu seductionis est, quam injuria et dissensus parentum. Ex hoc autem illud quidem consequitur, quod seductores et seducti a gravi peccato non sint excusandi; matrimonia tamen sic contracta non erunt irrita, cum ab ipso Tridentino edictum sit validitatem matrimonii a consensu parentum non pendere. Huc facit Cap. Cum causam de Raptor.; in quo Lucius III. sic statuit: « *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris consensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclament a quibus dicitur eam rapuisse.* » Et S. Thomas in 4. dist. 18. quaest. unic. a. 3. « *Puella*, inquit, *non*

est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat. » Ex quo S. Doctoris loco Canonistae communiter inferunt, raptum violentum esse, ac proinde dirimens matrimonii impedimentum, si mulier invita prorsus et renitens, consentientibus tamen parentibus, abducatur. Illud enim secundum jus naturale et ecclesiasticum pro certo habendum est, quod in matrimonio plus potest voluntas ejus qui contrahit, quam parentum.

De raptu violento tria reliqua sunt quae in medium proferamus. Primum illud est, quod Tridentina Synodus in impedimento raptus constituendo, cum non mulieris raptae aetatem et qualitates, sed matrimonii dumtaxat libertatem spectaverit, planum inde fit impedimento hujusmodi locum esse, sive mulier sit virgo, sive corrupta, sive vidua, sive etiam meretrix; generalia enim verba legis, ubi eadem praesertim ratio militat, generaliter intelligenda sunt. Alterum est, hoc impedimentum non oriri si mulier virum rapiat, quia decretum Tridentini cum odiosum et poenale sit, stricte accipiendum est. Decretum autem de raptore, non de raptrice verba facit; et quamvis utroque jure expressio masculini sexus foemininum etiam includat, saltem in correlativis ubi par ratio utrinque militat; decretum tamen non de raptoribus in genere, sed de raptoribus qui foeminas recipiunt, diserte loquitur. Deinde vero sicuti jura de illis quae raro contingunt, non constituuntur, ita nec de raptricibus virorum, quae oppido perrarae sunt, quidquam a Concilio constitutum fuisse putandum est. Verum haec sententia multis non arridet, quod S. Synodus, ut inquiunt, impedimentum raptus ea mente constituit, ut libertatem matrimonii tueretur. Haec autem libertas perinde laeditur, si foemina rapiat virum, ac si vir foeminam rapiat. Quemadmodum si mulier viro gravem et injustum metum injiceret, licet raro admodum contingere possit, impedimentum me-

tus oriretur. Confer Pichler in lib. 4. Decret. tit. 1. n. 120. 121. Tertio denique in cit. Tridentini decreto adversus raptorem constitutae sunt poenae quae sequuntur. « *Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse et omnes consilium, auxilium, et favorem illi praebentes sint ipso jure excommunicati, et perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

§ CXCIII.

DE IMPEDIMENTORUM RELAXATIONE

In exponendis impedimentis singulorum originem scrutati sumus. Ea itaque vel a jure naturali et divino, vel a jure humano profecta sunt. Prioris generis impedimenta a nulla potestate humana relaxari possunt; jus enim naturale et divinum humanae potestati non subest. Secundi vero generis impedimenta relaxari possunt ab uno Romano Pontifice « *qui secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare.* » Cap. Proposuit de concess. Praebend. « *Quamquam enim*, ut recte animadvertit Drouven lib. 9. de Re Sacram. cap. 4. q. 7., *hoc nullibi legatur antiquis Canonibus constitutum, usus tamen invaluit et generali disciplina receptus, ut pro hujusmodi gratiis obtinendis solus Pontifex Maximus adiri communiter deberet ac posset, et merito quidem tam propter debitam Sedi Apostolicae reverentiam, cui potissimum Canonum observatio et dispensatio divinitus est commissa, tum quia cum impedimenta matrimonium dirimentia vel a Conciliis*

generalibus, vel a Summis Pontificibus fuerint instituta, in quorum decreta potestatem non habent Episcopi, consequens fuit, ut solis Summis Pontificibus deberet relaxatio regulariter reservari. » Hanc potestatem communi fere calculo Doctores denegant Episcopis, et Congregationes Concilii ac Supremae Inquisitionis propositionem asserentem Episcopis jus ordinarium dispensandi super impedimento publico dirimente, etiamsi celebrandi matrimonii gravis necessitas urgeat, tamquam falsam atque temerariam non semel proscripserunt. Relinquitur itaque, ut Episcopi ex solo Indulto Apostolico, quod Romanus Pontifex ex justa causa petentibus nunc magis, nunc minus amplum pro temporum et locorum varietate impertiri solet, aut ex indubia et inveterata consuetudine facultatem super uno aut pluribus impedimentis dispensandi consequatur. Indultum autem Apostolicum tantum tribuit potestatis quantum exprimit, et exspirat lapsu temporis praefiniti. Ex consuetudine vero Episcopi dispensant super impedimentis impedientibus, tribus exceptis, videlicet 1. Impedimento orto ex sponsalibus validis quae altera parte invita remitti sine ipsius injuria non possunt. 2. Impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuae, aut ingrediendae Religionis; haec enim vota nisi conditionata fuerint, Romano Pontifici reservata sunt. 3. Denique impedimento quod ex haeresi alterutrius contrahentis ortum habeat. Num autem ex consuetudine nancisci Episcopus possit jus dispensandi super aliquo impedimento publico, quod matrimonio valide contrahendo obsistat, abunde disputavimus in Jure pub. Ecclesiastico §. 54. At vero si agatur de matrimonio jam publice contracto, certum est ex consensu omnium Doctorum Episcopos dispensare posse super impedimento dirimente, propter quod matrimonium idem invalide contractum sit, his tamen circumstantiis simul concurrentibus: Ut 1. Ma-

trimonium in faciem Ecclesiae omnibus adhibitis solemnitatibus et bona fide celebratum sit et consummatum. 2. Impedimentum sit occultum. 3. Conjugum separatio sine scandalo fieri nequeat. 4. Ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas adiri facile nequeat Sedes Apostolica, et dispensatio ab ea obtineri. Non desunt tamen Auctores, qui eamdem facultatem pro matrimonio etiam contrahendo Episcopis asserunt, quando videlicet impedimentum est occultum, et urgent circumstantiae rerum, ut neque Summus Pontifex adiri, neque matrimonii contractus, ad quem omnia parata sunt, sine scandalo et infamia differri possit. In eo enim urgentissimae necessitatis eventu, dum alius ad praecavenda tot mala non suppetat modus, potestatem dispensandi ex praesumpta Romani Pontificis voluntate Episcopis tribuunt plerique Doctores; quin haec opinio hodie fere communis est. Nulla enim ratione credi potest in iis circumstantiis privative reservatam Pontifici potestatem, quam a Christo Domino in commune animarum bonum accepit, quum id non solum adversaretur reservationis fini, qui est, ut scandala peccandique pericula a fidelibus evitentur, tum etiam maternae providaeque Ecclesiae gubernationi, quae ex Apostolo potestatem suam non in destructionem, sed in aedificationem animarum accepit.

Dispensationes matrimoniales sine legitimis causis non impertiuntur. Si matrimonium jam contractum ob impedimentum latens nullum sit, causa pro obtinenda dispensatione esse potest ignorantia, bona fides, aut metus, ne detrimentum aliquod, aut dissidium, aut scandalum excitetur, si non obtenta dispensatione matrimonium dissolvatur. Haec autem posterior causa deesse solet fere nunquam; vix enim ulla dissolvi possunt matrimonia jam contracta et consummata, quin gravissima mala subse-

quantur, quae per dispensationem impedirentur. Causae vero pro relaxandis impedimentis maxime publicis pro matrimonio contrahendo sunt: 1. Ob bonum pacis, hoc est ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium parentes et consanguineos vel affines exortae jam sint, quaeque celebratione matrimonii omnino componerentur. Haec causa vulgo appellatur propter inimicitias; eique affinis est altera causa ob confirmationem pacis dicta, quando nempe inter contrahentium parentes, consanguineos, et affines inimicitiae graves viguerint, et quamvis pax inter ipsos inita sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem quam maxime conduceret. Huc etiam refertur causa extinctionis litis super rebus gravis momenti, dum videlicet certum est per hujusmodi nuptias lites omnes diremptum iri. 2. Ob praerogativam dignitatis Regum et magnorum Principum, quae causa non acceptionem personarum, sed publicum bonum spectat. 3. Ob excellentiam meritorum, dum aliquis contra fidei Catholicae hostes dimicando de Ecclesia benemeritus est. 4. Ob conservationem illustris familiae in eodem sanguine; itemque ob conservationem bonorum in familia, quae causae ad bonum publicum pertinere censentur, dum ex conservatione hujusmodi familiarum Respublica abundat viris nobilibus et locupletibus qui commodius eidem inserviant. 5. Ob angustiam loci, quum mulier in loco ubi degit, propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel non affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat. 6. Ob incompetentiam dotis, quando mulier attenta status sui conditione dotem habet minus competentem; quamobrem innupta maneret, aut certe virum paris conditionis non inveniret, nisi nubat tali consanguineo vel affini suo, qui eam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducturus est; quae quidem causa magis urget, si mulier penitus indotata

existat, et consanguineus vel affinis ad eam sic indotatam non modo in uxorem ducendam, verum etiam ad competenter ex integro dotandam paratus est. 7. Ob aetatem mulieris, quae 24. aetatis annum agit, aut etiam praetergressa est, nec virum sibi adjungere adhuc potuit: haec causa cessat in vidua. 8. Ob infamiam, quum scilicet vir et mulier consanguinei vel affines tanta consuetudine invicem usi sunt, ut orta sit suspicio publica, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint; quapropter nisi matrimonium inter eos contrahatur, mulier graviter diffamata et innupta remaneret. 9. Ob copulam, dum nempe vir et mulier consanguinitate vel affinitate conjuncti, non quidem peccato data opera, ut crimine admisso Apostolicam Sedem ad misericordiam et gratiam erga se faciliorem redderent, sed solum vesana libidine victi carnaliter copulati sunt: unde si matrimonium non contrahatur, mulier tum diffamata et innupta maneret, tum etiam gravia scandala possent verosimiliter exoriri. 10. Ob periculum vitae, dum scilicet uxoris parentes, aut fratres, aliive propinqui mortem minantur viro, nisi mulierem ipsam cum qua rem habuit, uxorem duxerit. 11. Ob periculum perversionis, quod locum habet cum iis qui in regionibus haereticorum degunt: hae duae postremae causae omnium gravissimae habentur. 12. Denique personis nobilibus, aut valde honestis tribuuntur dispensationes *ex certis rationabilibus causis*, nulla singillatim expressa; quamobrem dispensationes sine causa dicuntur, non quod nulla causa subsit, sed quod nulla in specie exprimatur. Executor autem eas causas nec scrutari, ac ne inquirere quidem debet; reliqua tamen utrum veritate nitantur, diligenter investigabit.

Praeter potestatem in dispensante et justam causam dispensandi, postulatur etiam ad dispensationis validitatem consensus ipsius dispensantis. Deficit autem hujusmodi

consensus si quid necessario exprimendum reticeatur, aut si quid a veritate alienum exprimatur: exploratum est enim dispensantem nolle gratiam facere dispensationis deficiente veritate. In primis itaque cavendum est, ne causae pro dispensatione obtinenda adductae aut subreptionis, aut obreptionis vitio laborent. Similiter canonicum impedimentum in specie exponendum est, et si plura impedimenta concurrant, singula distincte explicanda sunt, veluti si Oratores consanguinei sint et affines simul, tum quia concursus plurium impedimentorum multo difficiliorem reddunt dispensationem, tum quia cuique dispensationi tacita conditio inest « nisi aliud impedimentum obstet ». Praeterea si dispensatio super consanguinitatis impedimento petatur, haec insuper aperienda sunt: 1. An impedimentum occultum sit vel publicum. 2. In quo gradu sit consanguinitas. 3. An ex uno, an ex pluribus stipitibus proveniat. 4. Utrum in linea recta vel transversa. 5. Utrum aequalis sit, vel inaequalis lineae transversae gradus. 6. Si gradus inaequalis sit, uterque exprimi debet, proximior videlicet et remotior. Si tamen contrahentes inaequaliter conjuncti sint, et expressus fuerit tantum gradus remotior, reticito proximiore, dispensatio valida est, dummodo proximior gradus non sit primus gradus; idque ex Constitutione S. Pii V. incip. Sanctissimus edita die 20. Augusti 1566. Eadem omnia exprimenda sunt, si super affinitatis impedimento dispensatio petatur; et illud insuper explicandum est, utrum affinitas ex licita, an ex illicita copula exoriatur. Hic autem quaeri solet, an copula incestuosa necessario exprimenda sit. Pontius lib. 8. de Matrim. cap. 17. § 6. existimat dispensationem ad contrahendum cum affini vel consanguinea matrimonium, non facta carnalis copulae mentione, non esse subreptitiam, et proinde validam; « *quia copula illa carnalis*, ut ipse inquit, *si fuisset ex-*

pressa faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendam dispensationem. Quando autem tacetur veritas, quae si fuisset expressa, faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendum rescriptum, non censetur subreptitium juxta doctrinam Glossae in Cap. SUPER LITERIS *de re scripta v.* LITERAS : *quae Glossa est communiter approbata. Atque hoc quod de copula diximus, sine dubio verissimum fuit ante Concilium Tridentinum, ut docet Navarrus in Manuali latino cap. 2. n. 86., et in Cap.* SI QUANDO *de Rescript. in 4. exceptione.* » Cum autem Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim. decreverit, ut qui intra gradus prohibitos matrimonium non tantum contrahere, sed etiam consummare ausi fuerint, separentur, et spe dispensationis consequendae careant; hinc multi Doctores colligunt copulam exprimendam esse, cum incestuosi ex praedicto Decreto indigni esse videantur, qui dispensationem obtineant. Itaque Pontius cit. loco sic prosequitur. « *Neque obstat textus dicti Concilii Trid. cap. 5. sess. 24. de Reform. Matrim.; nam expresse loquitur, quando inter prohibitos intervenit copula carnalis cum animo de facto consummandi matrimonium antea inter illos scienter contractum. Nam quemadmodum matrimonium ipsum scienter contractum reddit difficilem dispensationem, sic a fortiori reddere debet difficiliorem, si fuerit copula carnali consummatum. Id quod etiam ante Concilium Tridentinum dicendum erat ex bene fundata Juris Pontificii doctrina. Unde colligitur, quod Concilium Tridentinum nihil innovare voluit, quando copula carnalis intervenit sine matrimonio.* » Eamdem sententiam acriter tuetur Vincentius de Justis in suo Tract. de dispens. Matrim. lib. 1. cap. 4., ubi multis cumulatis rationibus et auctoritatibus concludit: « *non esse necessariam dictae copulae expressionem in dispensatione obtinenda, si Oratores aliam causam habeant, quae moveat Pontificem ad dispensationem concedendam.* » Verum haec

non obstant, quominus contrariam sententiam amplectamur. Nam praxis Romanae Curiae ea est, ut incestuosa copula in precibus supplicationum exprimatur; secus enim petitio et dispensatio subreptitia et invalida existimatur. Hinc Pyrrus Conradus hisce in rebus multum et praeclare versatus lib. 8. Dispensat. Apostolic. cap. 1. asserit, hanc certam sententiam et stabilem in Romana Curia esse, eamque confirmat sequenti declaratione Congregationis Concilii. « *Congregatio Cardinalium Concilii censuit dispensationem subreptitiam esse, si inter consanguineos et affines, aut spirituali cognatione conjunctos carnalis copula praecessisset, cujus mentionem in supplicationibus non fecissent.* » Quin dispensatio subreptitia habetur, si copula non praecesserit, sed literas dispensationis subsequuta sit, antequam ipsas literas Ordinarius exequutus fuerit et dispensationes impertiverit, quia ut ait Sylvius Resolut. variar. verb. *dispensatio:* « *Ut Bulla mandari possit executioni, oportet casum qui in ea proponitur manere invariatum, quoad usque ipsa sit executioni mandata.* » Copulam vero supervenientem per dispensationem ab Ordinario factam non impedire matrimonii validitatem declaravit eadem Congregatio Concilii apud Garziam de Benef. part. 8. cap. 3., ubi plura ad rem congerit. Similiter si Pontifex non in forma commissaria, sed in forma gratiosa literas dispensationis dederit, hoc est absolute et immediate per se ipsum dispensando, copula superveniens matrimonio valide ineundo non obsistit. Oportet autem in exprimenda copula, ut illud etiam exprimatur, an sola libidine habita sit, an sub spe facilius obtinendae dispensationis: sic enim dispensatio aut nullo pacto, aut difficilius conceditur, ne facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi. At vero si qui super aliquo impedimento publico dispensationem consequuti sint, nulla facta mentione carnalis copulae quae occulta ma-

neat, validitati matrimonii contracti vel contrahendi prospicitur per occultam dispensationem a S. Poenitentiaria obtinendam. Porro executor dispensationis matrimonialis contra jus et fines mandati ageret interrogando dispensatos, an carnalem copulam habuerint; etenim inquisitio criminis fieri nequit, nisi infamia praecesserit ex Cap. Inquisitionis 21. de Accusat. et Inquisit., neque ad executorem seu Judicem delegatum spectat cognitio rei, de qua in Rescripto nulla mentio habetur, Cap. Cum olim, et Cap. Venerabili de Offic. et potest. Jud. deleg.

Pro dispensatione super reliquis Impedimentis matrimonii haec sunt praecipue exponenda. In cognatione spirituali praeter expressionem copulae, si habita sit, exponendum est, an sit paternitas et filiatio spiritualis, an compaternitas et commaternitas; siquidem aut nunquam, aut raro admodum dispensatur, si cognatio sit inter levantem et levatum. In criminis impedimento explanandum est, an proveniat ex solo adulterio et fide data, an machinatio aliqua ex parte utriusque, vel alterutrius intercesserit, an effectum sortita sit, an denique vivente adhuc legitimo Conjuge cum adultero vel adultera matrimonium attentatum sit. In impedimento publicae honestatis explicandum est, an haec ex Sponsalibus de futuro, an ex Matrimonio rato ortum habeat; namque in primo casu gradum explicare non oportet, quum publica honestas primum gradum non excedat; at in altero casu gradus probe explanari debet, itemque linea; quo enim gradus propinquior est, eo difficilior dispensatio.

Haec autem omnia praecipue spectant matrimonium contrahendum; ubi vero agatur de revalidando matrimonio jam contracto, quod propter impedimentum aliquod nullum sit, praeter expositionem impedimenti in sua specie, gradu, linea et origine, declarandum adhuc est: 1. An matrimonium ipsum bona unius, vel utriusque

fide: 2. An spe dispensationis facilius obtinendae: 3. An publice praemissis vel omissis denunciationibus contractum fuerit: 4. Denique an fuerit consummatum. De his plura dabunt Practici, et in primis Pyrrus Conradus in Praxi Dispensat. Apostolic.

CAPUT X.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

§ CXCIV.

DE UNITATE MATRIMONII

Jam superest ut de Matrimonii proprietatibus atque effectibus dicamus. S. Augustinus tria bona Matrimonii ex Scriptura observat, fidem, prolem, et Sacramentum. Fides unitatem Matrimonii; proles procreationem filiorum eorumque educationem et religiosam institutionem; Sacramentum indissolubilitatem ipsius Matrimonii designat: quae res praecipuae sunt Matrimonii proprietates. Quae sint parentum et filiorum officia, quive rectus Matrimonii usus, Theologis disserendi provinciam libenter damus. Nos de unitate Matrimonii ejusque indissolubilitate breviter dicemus.

Matrimonium ita a Deo institutum est, ut duorum tantum, non plurium conjunctione constaret; quod Christus tum alibi, tum apud Matth. 19. apertis verbis declaravit: « *quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit*

virum suum et alteri nupserit, moechatur. » Namque si adulter vir est qui dimissa uxore sua aliam ducit, et mulier adultera est quae dimisso viro suo alteri nubit, cur non adulter erit, qui proprium conjugem retinens alteri copulatur? Christus vero in Evangelica lege polygamiam simultaneam prorsus abolevit, et matrimonium ad primaevam institutionem revocavit, secundum quam duo erant in carne una. Hinc merito Tridentinum sess. 24. Can. 2. ita definivit: « *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* » Sane pluralitas uxorum licuit numquam absque divina dispensatione, « *per quam sicut Jacob a mendacio, Israelitae a furto, et Sanson ab homicidio, sic et Patriarchae et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur* » ut inquit Innocentius III. in Cap. Gaudemus de Divortiis. Ea autem dispensatio divina praesertim Patriarchae Noe post diluvium indulta, ut majori, qua fieri posset, celeritate humanum genus multiplicaretur, utpote probabiliter sentit Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 4., jam ante Christi adventum cessavit; « *si tamen*, uti subdit, *non cessasset, certum est a Christo fuisse omnino sublatam, ita ut jam non solum Christianis, sed et aliis gentibus omnibus polygamia prohibita sit.* » Atque ob eam rem fieri intelligimus, sicut docet Catechismus Romanus de Matrim. p. 2. cap. 18. num. 19., « *ut si infidelis quispiam gentis suae more et consuetudine plures uxores duxisset, ad veram Religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia ceteras omnes relinquere, et priorem tantum justae et legitimae uxoris loco habere. At vero si prior ex hujusmodi mulieribus neque converti velit, neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat, matrimonium cum ea in infidelitate initum divina lex solvit.* » Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: « *si infidelis discedit, discedat; non enim ser-*

vituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, » ut inquit Innocentius III. Cap. Quanto de Divortiis. Quamobrem infidelis post conversionem et baptismum poterit ex pluribus mulieribus, quas habuerat, eam in uxorem retinere quae fidem amplectatur, renovato tamen debita forma consensu, quia prior ille consensus quem ipsi sibi in infidelitate praestiterant, nullus et irritus fuit ob nuptias jam constantes cum ea muliere, quam sibi primum desponsaverat. Verum si ignoretur, ubinam prior conjux infidelis degat, aut si modus non suppetat eumdem legitime interpellandi, Pontifices Summi in iis rerum circumstantiis consueverunt ab interpellatione facienda eximere infidelem ad fidem conversum, eique liberas nuptias permittere cum alio fideli contrahendas. In quo tamen Pontifices vinculum matrimonii in infidelitate contracti dissolvere in animo non habuerunt, sicuti egregie animadvertit Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 48. num. 22. « *Dispensavit certe (S. Pius V.) ac supplevit monitionem de jure praescriptam: similem etiam dispensationem concessit Gregorius XIII.* » Nec vero ex ea dispensatione colligitur dissolvisse Pontificem matrimonium consummatum infidelium; sed quum Pontifex possit jus divinum interpretari, et ex divino privilegio dissolvatur matrimonium in favorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli, declarat Pontifex eum casum verificari, quando tanto tempore fidelis non requiritur ab infideli, atque adeo jam tum posse uti divina concessione et ad secundas transire nuptias. Confer Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 21; et in primis ejus Constitutionem Apostolici ministerii editam 17. Kalendas Octobris 1747.

« *Juri divino*, ait idem Pontifex cit. loco, *jus naturale succedit in iis matrimoniis irritis faciendis quae prima uxore vivente ineuntur* »; jus inquam naturale, non primarium illud quidem omnis mutationis aut dispensationis prorsus

incapax, sed secundarium, ut vocant, quod circumstantiis rerum et personarum mutatis mutari et ipsum potest per dispensationem, ad quam impertiendam unus Deus satis habet auctoritatis. Itaque polygamia si primario fini matrimonii, procreationi nempe filiorum non plane repugnat, nonnihil tamen obest, quia experientia compertum est cum libidine et intemperantia saepe sterilitatem conjunctam esse. At certe polygamia contraria est filiorum educationi, et mutuo inter conjuges amori ac tranquillae cohabitationi, ad quos etiam fines nuptiae institutae sunt. Quae etenim animorum conjunctio inter plures uxores et virum unum esse potest, dum plurium in eodem jure communicatio invidiam et zelotypiam pariat; invidia vero lites et jurgia perpetua, eoque magis si vir, quod facile contingere solet, plus unam quam reliquas diligat et charam habeat? Praeterea quaenam recta filiorum institutio haberi poterit, dum singulae matres de suis tantum filiis sollicitae erunt, eoque caeteris praeferendos curabunt, atque hinc invidiam patris in filios, odia et dissensiones concitabunt, quod triste novercarum exemplum satis comprobat? Denique polygamia institutioni Sacramenti et significationi repugnat, quod ita a Christo institutum est, ut esset unius cum una indissolubilis conjunctio ejusdem Salvatoris conjunctionem cum Ecclesia ejus Sponsa significans. Verum si polygamia ex parte viri primarium matrimonii finem penitus non evertit, ex parte tamen foeminae tum primario, tum secundario fini adversa est; impedit enim prolis generationem, quia una mulier pluribus nupta maritis non foecundatur, ut patet in meretricibus; redditur incerta proles, atque adeo multis in educatione periculis obnoxia est; ruit pacifica vitae consuetudo inter conjuges, tranquillitas et ordo in re familiari: quae scilicet pax et rectus ordo fingi poterit in familia, in qua sunt plures viri, hoc est plura capita?

Hinc in veteri Testamento legimus multos viros Sanctos pluribus mulieribus simul copulatos, sed nullam mulierem Sanctam plures maritos eodem tempore habuisse.

§ CXCV.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII

Quamvis Moyses Hebraeis permiserit per libellum repudii dimittere uxores suas, et alias sibi matrimonio copulare, Christus tamen Matrimonium ad primaevam institutionem suam, nempe ad indissolubilitatem revocavit, non lege nova condita, sed vetere dumtaxat indulgentia sublata. « *Quoniam Moyses*, Matth. 19., *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui ipsam duxerit, moechatur. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* » Quare Innocentius III. Cap. Gaudemus de Divor. eam legem edixit, ut qui in infidelitate legitimam uxorem repudiaverit « *quum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente poterit aliam, etiam ad Christi fidem conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel eum pertrahat ad peccatum.* » Hinc fit ut antequam matrimonium illud dissolvatur, pars infidelis interpellanda sit, an Christianam Religionem amplecti, aut cohabitare saltem velit sine contumelia Creatoris; de quibus supra dictum est. Hoc privilegium infideli converso et baptizato divinitus datum in favorem christianae Religionis ac fidei singulare et unicum est.

§ CXCVI.

DE DISSOLUTIONE MATRIMONII RATI

Rata fidelium Matrimonia per religiosam professionem, aut per legitimam Romani Pontificis dispensationem dissolvuntur. De religiosa professione res definita est a Concilio Tridentino sess. 24. de Matrim. Can. 6. « *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* » Unde autem vis illa religiosae professioni accesserit, non una est Doctorum sententia. Alii a naturali jure derivant, vi cujus licere putant a statu minus perfecto ad perfectiorem transire; alii a jure positivo divino per traditionem ad nos delato; alii demum ex jure ecclesiastico, quatenus per hoc jus cuivis Christianorum matrimonio haec tacita conditio inest « *nisi ante matrimonii consummationem malim religiosum statum amplecti.* » Quamquam vero per religiosam professionem in Ordine approbato solemniter emissam matrimonium ratum et nondum consummatum dirimatur, illud tamen per Sacrorum Ordinum susceptionem non dissolvitur, Cap. Antiquae De voto et vot. redempt. inter Extravag. Joannis. XXII. Quod autem dispensationem Pontificis spectat, per eam quoque matrimonium ratum dissolvi posse, constans plurium saeculorum praxis, quam sane oportet apud Catholicos omnes summi momenti esse, satis superque testatur. At firmissimum est consummati fidelium matrimonii vinculum, ita ut neque per solemnem professionem, neque per dispensationem Pontificiam, aut haeresim, aut apostasiam, aut adulterium, aut molestam cohabitationem, aut absentiam, aut ullam aliam ob causam, sed per alterius dumtaxat conjugis mortem dissolvi

possit. Hinc Concilium Tridentinum sess. 24. de Matrim. Can. 5 definivit. « *Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* « Et Can. 7. » *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quae dimisso adultero alteri nupserit, anathema sit.* »

§ CXCVII.

DE SEPARATIONE TORI ET COHABITATIONIS

Quamquam autem Matrimonium ratum et consummatum, quod spectat ad vinculum non dirimatur, multae tamen sunt causae quibus conjuges toro et habitatione separantur sive in perpetuum, sive ad tempus. Perpetuae separationis causa est alterutrius conjugis voluntarium adulterium: ex aliis vero causis conjuges separantur ad tempus, videlicet durante eadem separationis causa. Itaque ob alterutrius adulterium pars innocens, altera parte etiam invita et reconciliationem petente, jure potest in perpetuum separari, imo potest sine ejus consensu vitam monasticam profiteri, vel Sacris Ordinibus initiari; adulterio enim admisso conjux cadit jure in alterius corpus quaesito. At quaeritur, num conjux innocens adulterum dimittere teneatur? Qua in re quamquam per divortii faciendi jus ex causa adulterii tam viro, quam foeminae competat, quod tamen obligationem spectat, Doctores communiter inter virum et uxorem discrimen faciunt. Si enim mulier adultera fuit,

putant maritum divertere omnino debere. Nam Prov. cap. 18. ita legimus: « *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.* » Quam sententiam spectans S. Augustinus, lib. 1. cap. 19. Retractat. illud retractat quod lib. 1. de Serm. Domini scripserat, scilicet permissum, non jussum esse divortium. Pariter in Cap. Si quis de Adulteriis haec habentur: « *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione vixerit cum illa, reus erit et ejus peccati particeps.* » Nam eo in casu maritus est patronus turpitudinis indirecte saltem, quod omittat, quantum in ipso est, mulierem delinquentem corrigere, atque etiam particeps erit injustitiae, si filii adulterini cum legitimis haereditaria bona partiantur. At vero si maritus ipse adulter fuerit, non eamdem in uxore obligationem agnoscunt dimittendi virum: 1. Quia mulier quae virum non dimittit, non censetur peccato viri consentire, proinde ac mulier non tanta in virum, quanta vir in mulierem, polleat auctoritate. 2. Quia non eadem incommoda et damna legitimis filiis imminent, neque enim incertus erit pater, nec falsus haeres supponetur. 3. Quia rarum est maritum adulterum ex divortio ad meliorem frugem redire, quin potius, ut advertit Sotus « *ea abstinentia non cedit in remedium viro, ut saepius esse ei consueverit majus praejudicium.* » Itaque mulier poterit aut dissimulare, aut sustinere quod non valet corrigere. Ceterum et ipsa tenetur agere quidquid putaverit ad viri emendationem conducere: quamobrem si ex divortio probabilis sit spes emendationis obtinendae a viro divertere tenetur. At facto divortio, si adulterum flagitii vere poeniteat, pars innocens potest, imo ex caritate tenetur quandoque eidem reconciliari. Verum separatio ob causam adulterii locum non habet: 1. Si adulterium ab utroque conjuge patratum sit, quia paria cri-

mina mutua compensatione tolluntur, cap. 4. de Divortiis, et cap. 6. et 7. de Adulter.; imo si postquam mulier jam a viro ob adulterium separata est, vir in idem flagitium labatur, matrimonium redintegrandum est, cap. 5. de Divortiis. 2. Si pars innocens culpabilem causam adulterii dederit, cap. 6. de eo qui cognov. 3. Si adulter ob vim illatam aut probabilem ignorantiam aliquo pacto excusari possit, veluti si mulier vi oppressa fuerit, si vir deceptus aliam mulierem pro uxore sua habuerit, si conjux alterum vita functum existimans novas nuptias iniverit. 4. Denique si pars innocens acceptam ab adultero injuriam sive expresse, sive tacite remiserit.

Haec de Divortio perpetuo ex causa adulterii satis dicta sint: nunc exponendae sunt causae, quae temporale inter conjuges divortium inducere valent. Quatuor autem recensentur: 1. Est haeresis, et multo magis apostasia a fide, quia ex cohabitatione cum haeretico vel apostata valde timendum est, ne conjux Catholicus ejusque proles pervertatur. Quin omne periculum animae, cum nempe conjux alterum conjugem ad grave aliquod peccatum provocat atque impellit, justam praebet causam divertendi. Quum enim naturali et divino jure non modo permissum, sed etiam mandatum sit, ut periculum animae et spiritualem ruinam evitemus, integrum profecto erit ob eam causam a toro et habitatione recedere. 2. Est periculum tum corporis, tum famae, tum honoris; non enim conjux conjugi maritali societate adeo devinctus est, ut nequeat gravem suae vitae et honoris jacturam declinare. Hinc conjux sanus poterit ab eo separari, qui lepra aut alio contagioso morbo laboret. Sic etiam uxor divertere poterit a marito, si hic latrocinia exerceat, ne tamquam criminum particeps habeatur. 3. Est saevitia aut furor conjugis, si ex. gr. maritus uxorem suam capitali, ut ajunt, odio prosequatur, ejusque vitae ferro,

veneno, aut aliis modis paret insidias, vel eam indigne et inhumaniter habeat. Cum enim mulier non vile mariti mancipium sit, sed tori consors, rerumque humanarum et divinarum socia, cumque jus defensionis contra vim alterius injustam unicuique concessum sit, divortium effugium esse erumnosae ejusmodi vitae dubitare nemo potest. 4. Denique est molesta cohabitatio propter jurgia rixasque frequentes, quae indomita unius conjugis improbitate soleant excitari: siquidem ex molesta hujusmodi cohabitatione alter conjux de salute animae et incolumitate corporis periclitatur.

Separatio autem conjugum auctoritate Judicis competentis decernenda est. Hinc privata auctoritate divertere non licet, nisi periculum sit in mora, et conjux suo arbitratu divertens ad cohabitandum compelli poterit. Ob adulterium tamen fas est conjugi innocenti, sine Judicis auctoritate, sese ab alterius toro separare.

§ CXCVIII.

DE EFFECTIBUS MATRIMONII

Matrimonii valide contracti effectus plures sunt, vel ex ipsa conjugii natura, vel ex Sacramenti religione, vel ex jure humano dimanantes. Quatuor praecipui sunt qui utrumque conjugem spectant, hoc est vinculum indissolubile duorum in carne una, jus mutuum in corpora ad actus procreandae prolis aptos, obligatio tum ad custodiendam tori fidem, tum ad individuam vitae consuetudinem et mutuum adjutorium, et demum gratia Sacramentalis qua mutuus eorum amor perficitur et adjuvatur, fides matrimonii sustinetur, et matrimonii ac familiae onera evadunt leviora. Praeterea sunt aliqui effectus, sive jura non communia, sed cujusque conjugis propria, et

quidem ratione viri duplex potestas nempe maritalis, vi cujus maritus est caput uxoris, quantum ad gubernationem et domesticam administrationem pertinet, et patria quam in liberos ex justis nuptiis susceptos adipiscitur. Mulier vero fit particeps status et dignitatis mariti, jusque consequitur ad alimenta. Effectus matrimonii sunt etiam natales legitimi: itaque liberi nascuntur legitimi non solum ex matrimonio valido, sed etiam ex matrimonio ob latens impedimentum invalido, modo bona fides conjugum intervenerit. Bona autem fides in foro externo praesumitur, quando matrimonium publice in faciem Ecclesiae contractum est, quin unius conjugis bona fides sufficit, ut proles legitima censeatur. Itaque si conjugatus, vivente uxore sua, aliam duxerit non consciam impedimenti, proles pro legitima denunciatur. Lite etiam pendente de valore matrimonii, modo alteruter conjugum in bona fide perseveret, liberi ea pendente nati adhuc legitimi habendi sunt; nam mala fides legalis, quae per litis contestationem inducitur, in praejudicium prolis nihil efficit. Eumdem effectum legitimae prolis reddendae leges quoque tribuerunt matrimonio nativitatem prolis subsequenti, si tamen inter parentes quo tempore eamdem generarunt, aut aliquo saltem tempore intermedio usque ad ipsius prolis nativitatem, legitimum matrimonium esse potuerit. Denique duo reliqui sunt nuptiarum effectus respectu filiorum, jus nempe alimenta et subsidia honestae et christianae educationis a parentibus exigendi, et subjectio potestati patriae, de cujus effectibus plura dabunt Juris Civilis Interpretes.

LIBER TERTIUS

DE JUDICIIS

Postremus Canonicarum Institutionum Liber est de Judiciis Ecclesiasticis sive civilibus, sive criminalibus: Judicia namque omnia aut judicandarum litium, aut criminum puniendorum causa reperta sunt. At vero in causis cognoscendis definiendisque, et in criminibus coercendis omne studium atque opera in eo ponenda est, ut administratio justitiae, quae Ecclesiasticae et Civilis Societatis firmissimum praesidium est, religiose accurateque exerceatur. Hinc Ecclesiasticae et Civiles Leges, et ipsum naturae jus quasdam praescriptiones sanxerunt, quae ita in singulis judiciorum partibus servandae omnino sunt, ut quidquid contra judicatum fuerit, tum injustum, tum irritum censeatur. Has igitur praescriptiones quas in Jure Canonico promptas compertasque habemus, in usum utilitatemque eorum, qui Judices futuri sunt, in medium proferemus.

Putamus vero rem gratam Adolescentibus facturos, si de Judiciis agentes aliquid etiam addamus de praecipuis delictis et poenis Ecclesiasticis, quae tria secundus et quintus Decretalium Libri complectuntur; sunt enim et natura, et utilitate, et tractatione inter se maxime conjuncta. Itaque primum de Judiciis, postea de Delictis, denique de Poenis disseremus.

CAPUT I.

DE JUDICIIS GENERATIM

§ CXCIX.

DE NATURA JUDICII

Judicium definiri solet « *legitima causae inter Actorem et Reum controversae per judicem facta discussio et definitio.* » Judicium itaque tribus personis constat, videlicet Actore, Reo, et Judice. Actor est, qui juris experiundi causa aliquem in judicium vocat: Reus est, qui in judicium vocatur; Judex autem est, qui utrique parti jus dicit. At vero Judices alii ordinarii sunt, alii delegati; extatque in Decretalibus duplex titulus, alter de officio Judicis delegati, alter de officio Judicis ordinarii, de quibus singillatim dicendum est.

§ CC.

DE JUDICE ORDINARIO

« *De Jure Canonico*, ait Van-Espen Juris Univers. p. 3. tit. 5., *Judices ordinarii dicuntur, qui jurisdictionem non ex speciali aliqua delegatione seu commissione, sed vi suae dignitatis sive officii accipiunt. Unde Judex Ordinarius a Canonistis definiri solet qui jurisdictionem habet, quam jure suo seu jure ecclesiasticae suae Praelaturae vel Magistratus quo fungitur, exercet.* » Igitur Judices Ordi-

narii sunt Episcopi, et Praelati inferiores vere et proprie *nullius* dicti, qui ratione officii et dignitatis in suam Dioecesim jurisdictionem habent et Ordinariorum nomine venire solent, inter quos eminet Romanus Pontifex « *utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio* » sicuti ad Episcopos Dardaniae scripsit Gelasius Papa Ep.ª 13. Judicibus Ordinariis accensentur Vicarii Generales Episcoporum vel quatenus jure officii per legem seu Canonem probati exercent jurisdictionem, vel quatenus ordinariam Episcoporum jurisdictionem administrant ipsammet Episcopi personam sustinentes. Ob eamdem rationem Apostolicae Sedis Legati, quod vices ipsius Pontificis gerunt, inter Judices ordinarios recensentur. Jurisdictio ordinaria quum dignitati vel officio adhaereat, ideo fit ut cum ipsa dignitate vel officio simul obtineatur, nec amittatur nisi dignitas vel officium renuncietur, aut ex justa causa et legitimis modis adimatur. Hujus autem jurisdictionis triplex praecipua dos est: 1. quod videlicet jure et nomine proprio exerceatur: 2. quod alteri personae, quae huic muneri idonea sit, delegari potest: 3. quod in totum suum territorium et in omnes ejusdem territorii personas explicatur: « *ita quod qui se dicit exemptum, habeat hoc probare* » ut loquitur Glossa in cap. 7. de Offic. Ordinar. in 6.° « *Ex quo concluditur*, ait Van-Espen cit. loc., *quod nullus praeter Episcopum possit in Dioecesi uti jurisdictione, nisi eam legitimo titulo competere docuerit; dein hinc concludunt Canonistae, quod jurisdictio inferioribus concessa semper intelligatur dumtaxat concessa cumulative, non autem privative cum exclusione Episcopi, nisi clare et plene probetur.* »

§ CCI.

DE JUDICE DELEGATO

Judex Delegatus ab Ordinario distinguitur, eo quod jurisdictionem neque propriam habet, neque suo nomine exercet, sed ejus, qui delegavit, munere et vice fungitur. Sunt tamen delegati vel generales vel particulares, quatenus vel unam tantum, aut plures, sed speciales et determinatas causas, vel ad universalitatem causarum, ex. gr. ad totum causarum matrimonialium genus delegati sunt. Utraque delegatio, si fit intuitu personae, personalis audit; si dignitatis intuitu, realis nuncupatur. Personalis autem esse censetur, si nomen delegati exprimatur, aut si in formula delegationis dicatur: « *Te personaliter delegamus etc. confidentes de tua circumspectione et industria etc.* » Realis censetur, si sub expressis nominibus locorum aut dignitatis, et non personarum deferatur, uti *Episcopo Imolensi;* aut si nomen quidem personae exprimatur, illud tamen nomini et dignitati loci postponatur, uti *Episcopo Imolensi N. N.* Potestas Judicis delegati generatim a natura causae delegatae, et a Rescripto delegationis aestimanda est; unde delegatus ante omnia mandatum delegationis exhibere debet, ejusque fines omnino observare: hoc ipso tamen non vetatur de connexis cognoscere, aliaque peragere sine quibus delegatio ad exitum perduci nequit. At vero Judices delegati munus suum alteri subdelegare non possunt, nisi aut ad universitatem causarum delegati sint, quibus rite praesumitur concessa potestas alterum ad unam aut alteram causam subdelegandi, aut nisi a Summo Pontifice constituti sint, qui sibi delegatam jurisdictionem sive in totum, sive in partem alteri subdelegare possunt: habentur

enim veluti Ordinarii, quin in causa delegata Ordinariis majores censentur. Verum Delegatus ad universitatem causarum, tum etiam Summi Pontificis Delegatus rite subdelegant, nisi eis injunctum sit, ut personaliter negotium exequantur, aut nisi personae industria electa fuerit, cap. ult. de Offic. Deleg.

Judices a Summo Pontifice delegati ultra duas diaetas (diaeta autem seu iter unius dici, ex L. 3. ff. de V. S., viginti milliaria continet) extra Dioeceses litigantium constitui non possunt. Cum enim Innocentius III. experientia didicisset, quod « *nonnulli gratia Sedis Apostolicae abutentes literas ejus ad remotos Judices impetrare niterentur, ut reus fatigatus laboribus et expensis liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur, in Concilio Lateranensi statuit, ne quis ultra duas diaetas extra suam Dioecesim per literas Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratae* » ut habetur in Cap. Nonnulli 28. de Rescript. Deinceps Bonifacius VIII. in Cap. Statutum de Rescript. in 6.° evocationem extra propriam Dioecesim ad unam diaetam contraxit, et huic quidem restrictioni tum in prima, tum in secunda, et ulteriori instantia locus est. Praeterea ne Delegationes Apostolicae vilescerent, idem Pontifex sancivit, ut nullis nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, aut Canonicis Cathedralibus delegationes causarum a Sede Apostolica ejusque Legatis committerentur, easdemque causas non alibi audiri mandavit quam in Civitatibus aut Locis insignibus, ubi possit commode peritorum copia haberi. Denique Tridentina Synodus ut personae praeditae qualitatibus per Bonifacium expressis facile perspicerentur, sess 25. cap. 10. constituit, ut in Synodo Provinciali aut Dioecesana quatuor saltem personae eis qualitatibus instructae eligerentur, et earum nomina post designationem factam ad Sedem Apostolicam trans-

mitterentur. Atque hi sunt judices sic dicti Synodales, quod videlicet in Synodis designantur. Si plures a Pontifice delegentur nulla adjecta clausula qua mandatum explicetur, conjunctim dati censentur, et unus sine altero procedere nequit, nisi unus alteri causam subdelegaverit, cap. 6. et 16. de Offic. Jud. Ordin: sed si plures in solidum delegati sint, videlicet cum clausula ut omnes, aut duo, aut unus sine altero procedat, tunc datur locus praeventioni, quatenus omnes, aut duo, vel unus sine altero ad beneplacitum partis impetrantis possunt judicare. Si denique delegatio facta sit adjecta clausula conditionali « *quod nempe si non omnes interesse velint, aut possint, reliqui in negotio procedant* »; rescripsit Pontifex « *alios rite procedere, postquam constiterit alios adesse non posse aut nolle* » cap. 21. eod. At praeter hujusmodi delegationes dantur etiam generales delegationes Pontificiae, vel Conciliorum Generalium, cujusmodi sunt quae in multis casibus ex Decretis Tridentinae Synodi *Episcopis tamquam Apostolicae Sedis delegatis* commissae sunt. In his casibus appellationes ad Summum Pontificem deferuntur, et Vicarii Generales vi generalis mandati non procedunt, et demum vacante Sede haec delegata jurisdictio ad Capitulum non devolvitur.

Delegati officium varia ratione exspirat; namque finitur 1. morte delegantis re adhuc integra, hoc est ante litis contestationem vel citationem; nam ex communi sententia Doctorum in cap. 19. et 20. de Offic. Jud. Deleg. non solum contestatione, sed etiam citatione delegatorum jurisdictio perpetua evadit. 2. Morte delegati, nisi delegatio sit realis, seu intuitu dignitatis, non personae facta: tunc enim transit ad Successorem, quum dignitas non moriatur. 3. Revocatione mandati, sive res integra sive non integra sit, cap. 24. de Rescript. et L. 58. ff. de Judiciis, ubi Jurisconsultus ait « *judicium solvitur vetante*

eo qui judicare jusserat. » 4. Lapsu temporis ad causam finiendam praestituti, nisi communi partium consensu prorogetur. 5. Denique prolatione sententiae, vel executione; nam si Judex ab Ordinariis, puta ab Episcopo, delegatus sit, sententiae prolatione delegatio desinit, cum Ordinarius debeat sententiam exequi, Cap. Si quis de Foro compet.; at si Judex delegatus a Pontifice datus sit, ejus potestas non per sententiae prolationem, sed per executionem finitur.

§ CCII.

DE QUALITATE ET OFFICIO JUDICIS

Restat ut paucis complectamur, quaenam personae in Judicem constitui possint, quidve Judex praestare debeat, ut munere suo rite recteque fungatur. Jam vero Judices esse nequeunt qui vel natura, vel lege prohibentur. Igitur agendo officio Judicis impares natura sunt surdi, muti, furiosi, mentecapti, impuberes, atque etiam viginti annis minores; quamvis ex partium consensu eligi Judex possit, qui decimum octavum annum jam compleverit, cap. 41. de offic. et pot. Jud. deleg. His adde illiteratos; jus enim ad Canonum et legum normam dicendum est. Jure autem a Judicis officio arcentur infames omnes, uti sunt haeretici, schismatici, excommunicati, perjuri, et demum omnes qui ob crimen aliquod publica infamia notati sunt. Servi quoque ratione conditionis, et foeminae ratione sexus munus Judicis exercere vetantur; si tamen Reginas excipias, quae ob eminentem dignitatem in Regnis suis, ubi consuetudo invaluit, potestatem judiciariam exercent: quin et Abbatissae aliquae sive ex consuetudine, sive ex privilegio tum in suas Sanctimoniales, tum etiam in Clericos jurisdictionem ex-

plicant, eosque ab officio et beneficio suspendere possunt, cap. 12. de Major. et Obed.; quae quidem non est proprie dicta suspensio, sed praeceptum seu prohibitio ne celebrent, et muneris sui actus exerceant: unde in cit. cap. 12. de Maj. et Ob. Pontifex non rescribit debere servari censuram ab Abbatissa latam, sed praeceptum ejus atque mandatum.

Judex autem legum minister et custos est, non arbiter; « *cum enim fuerint leges institutae et firmatae, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas* » ut loquitur Augustinus in lib. de vera Relig. cap. 31. Et in cap. 1. de Constitutionibus sic habetur: « *nemo in judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed Canonum auctoritate ducatur.* » Itaque Judex, ubi lex perspicua est, etsi aliquando asperior videatur, secundum ipsam pronunciare debet: Ubi vero casus in lege expressus non est, et interpretatio locum habet, aequitas rigori praeferenda est; quo sensu accipitur Lex 90. ff. de R. J. « *in omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est:* » et L. 8. Cod. de Judiciis » *placuit in omnibus rebus praecipuam esse justitiae aequitatisque, quam stricti juris rationem.* » Quod si utrinque causa aeque probabilibus argumentis et rationibus innitatur, in causa civili favendum est reo vel possessori, quandoquidem tritae sunt regulae juris: actore non probante reus absolvitur, et in dubiis melior est conditio possidentis; nec licet Judici gratioso esse, et personam acceptare, unde merito Alexander VII. damnavit hanc propositionem: « *quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.* » At vero si Judici constet alteram partem potioribus argumentis fulciri, ejus favore sententiam proferat necesse est, quod in judiciis ea causa vincere debet, quae aequitati et juri conformior est; quamobrem laudatus Pontifex hanc etiam

propositionem damnavit: » *probabiliter judico judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* » Verum in causis criminalibus semper est favendum reo, etiamsi adversus eum validiora momenta sint: quippe in criminalibus ad poenam infligendam non probabiles, aut probabiliores, sed praecipuae et certae probationes postulantur, quia praestat reum absolvere, quam innocentem condemnare. Praeterea Judici cavendum est, ne ex juris imperitia vel parum accurate perpensa aut indicta causa, neve ex amore, odio, vel amicitia ad judicandum procedat, atque a muneribus etiam sponte oblatis abstinere omnino debet « *quae*, ut legimus Exod. 23. v. 8., *etiam excaecant prudentes, et subvertunt verba justorum.* »

§ CCIII.

DE ARBITRIS

Loco Judicum per Arbitros lites finiri consueverunt. De his itaque nonnulla addenda sunt. Arbitrorum nomine veniunt Judices extraordinarii ad cognoscendas et decidendas lites litigantium voluntate electi. Duo sunt Arbitrorum genera: vel enim sine ullo judiciario ordine ex aequo et bono lites et negotia tractant, suoque consilio et auctoritate litigantes componere student, et vulgo arbitratores et amicabiles compositores dicuntur, corumque sententia arbitramentum appellatur; vel causam cognoscunt juris ordine servato, nempe praemissa citatione, examine testium et instrumentorum, aliisque saltem substantialibus solemnitatibus judiciorum adhibitis, et arbitri proprie dicti nominantur. Ex his autem alii sunt arbitri, quos ipsi litigantes eligunt jubente nemine, et alii sunt qui a partibus eliguntur, lege vel statuto jubente, unde priores *voluntarii* audiunt, posteriores *necessarii*. Arbi-

tri voluntarii nullam habent jurisdictionem publicam, sed eligentium arbitrio et conventione munus judicandi accipiunt, et ipsorum sententia arbitrium seu laudum nuncupatur. Arbitri necessarii non solo partium consensu, sed ab ipsa lege vel statuto jurisdictionem accipiunt, quamobrem veri Judices sunt, eorumque sententia transit in rem judicatam, ab eaque appellatur. Sic Jure Canonico ex cap. 39. de offic. et potest. Deleg. Arbitri constituendi sunt, cum datus Judex suspectus est: itemque ex cap. 14. de Rescript. eligendi sunt Arbitri, cum Judices super revocatione literarum Apostolicarum inter se non consentiunt; et Jure municipali quarumdam regionum lites inter certo cognationis gradu conjunctos ab Arbitris judicandae sunt.

Arbitri voluntarii, de quibus potissimum sermo est, quocumque modo a partibus electi nullam proprie dictam jurisdictionem habent, quia privatorum voluntas veros Judices constituere haud valet. Quapropter omnis eorum potestas ex compromisso pendet, deque iis tantum arbitrium ferre possunt, quae in compromisso expressa fuerunt, nisi forte aliqua causa emergat adeo causae principali connexa, ut nisi una decidatur, de altera recte cognosci nequeat. P orro litigantes possunt causam Arbitri judicio subjicere vel nudo pacto, aut etiam adjecta poena, qua arbitrio parere obstringantur. Veteri Jure Romano, si compromissum nudo pacto sine stipulatione, vel poenae adjectione initum esset, nec actio, nec exceptio dabatur: si autem stipulatio et poena adjecta esset, actio ex stipulatu ad poenam dabatur; si demum stipulatio, non autem poena adjecta esset, actio *in incertum* dabatur, videlicet ad id quod intererat. At Jure Canonico quodvis compromissum etiam nudo pacto initum actionem et exceptionem parit, quum Jure Decretalium ex pactis nudis actio proficiscatur. Verumtamen si compromisso in Arbi-

tros facto poena adjecta sit, pars vel arbitrio stare, vel poenam solvere cogitur, non enim ad utrumque tenetur, nisi poena adjecta sit cum clausula « firmo remanente compromisso ».

Potiores autem effectus prolati Arbitrii duo sunt: prior est, quod finis imponitur causae, unde litigantes arbitrio stare coguntur, nec auxilium appellationis tribuitur. Verum si arbitrium valde enormem laesionem et manifestam iniquitatem contineat, usu fori receptum est, ut sententia Arbitri ad arbitrium boni viri a Judice ordinario redigatur : censentur enim partes in arbitratorem non consensisse, nisi quod sperarent eum recte arbitraturum. Alter effectus est, quod arbitrio pendente jurisdictio Ordinarii Judicis suspendatur, ita ut eadem causa nequeat amplius ad ejus tribunal deferri altera parte invita.

Generatim autem quilibet in arbitros compromittere possunt qui contrahere possunt, et liberam suarum rerum administrationem habent, easque alienandi facultatem. Quapropter vetantur compromittere pupilli et minores sine Tutoris aut Curatoris auctoritate; item Procuratores, nisi speciale mandatum habeant ; pariter furiosi et prodigi, atque etiam Praelati, aut alii Beneficiati quum rerum Ecclesiae non sint domini, sed eas tantum administrent. Praeterea in iis solum causis, quae privati arbitrii sunt, non generatim in causis omnibus arbitros assumere licet. Quamobrem nullum est compromissum in causis restitutionis in integrum : « *nam delegati a Judicibus Ordinariis, qui non administrationem, sed simplicem jurisdictionem seu facultatem judicandi tantum habent, sicut et Arbitri de causa restitutionis cognoscere non possunt, nisi coram eis incidenter mota fuerit* » ut habetur in cap. 9. de Restitut. in integr. Pariter ex eodem cap. « *in matrimoniali quoque, vel liberali* (idest in qua de libertate

hominis agitur) *vel criminali causa arbiter assumi non potest, cum tales causae majores Judices exigant.* » Verum causae Sponsalium de futuro Judices Arbitros recipiunt, quia mutuo consensu dissolvi queunt, cap. 2. de Sponsal. Neque compromissum valet in causa beneficiali, ne sine institutione Canonica Beneficia Ecclesiastica obtineantur, aut retineantur; nec arbitrium admittunt res judicatae; interest enim Reipublicae, ne lites jam definitae iterum excitentur. Denique non valet compromissum in causis, ubi de jure alieno agatur, veluti in causis exemptionum, in quibus jus Pontificis eximentis per arbitrorum sententiam laedi potest. Possunt autem in arbitros eligi, qui jure non prohibentur, nec refert sit ne pater an filiusfamilias, laicus an Clericus, privatus homo an Magistratus; itemque tum unus, tum plures constitui possunt. Jure autem Civili prohibentur servus, minor viginti annis, surdus, mutus, furiosus, et mentecaptus, mulier nisi jure vel consuetudine ordinariam jurisdictionem habeat, Judex ordinarius ejusdem causae, et quilibet in causa propria. Jure autem Canonico Arbiter esse potest etiam Ordinarius Judex causae, et generatim omnes qui Judices dari possunt, et tantum prohibentur laici in causis ecclesiasticis et spiritualibus, excommunicati vitandi, et Regulares; non enim Monachus judicii forensis debet esse susceptor, Can. 20. et 35. caus. 16. quaest. 1.

Cessat autem officium Arbitrorum pluribus modis: Et 1. quidem per sententiae prolationem: lata enim sententia Arbitri officio suo functi sunt, nec eam amplius mutare possunt. 2. Morte Arbitrorum, etiam unius, nisi cautum sit, ut uno ex arbitris vita functo reliqui procedere possint. 3. Morte alterutrius compromittentium, siquidem compromissum censetur pactum personale, nisi haeredum mentio facta sit, cap. 10. de Arbitr. 4. Elapso

tempore, si dies compromisso adjecta sit. 5. Denique mutuo consensu, aut si lis transactione aliaque ratione sublata sit.

§ CCIV.

DE JUDICE CONSERVATORE

Inter Judices tum a jure datos, tum a partibus electos praestat Judices Conservatores numerare. Nam Ordines Regularium, aliquot Universitates vel Collegia, ac nonnulla Canonicorum Capitula privilegio Apostolico donata sunt Judices suorum privilegiorum Conservatores eligendi. Eos autem ex coetu Judicum Synodalium eligi jussit Gregorius XV. in sua Constitutione Sanctissimus edita die 20. Sept. 1621, eorumque electionem et nomina intra sex menses Episcopali Curiae significari; quod si Judices Synodales in Dioecesi nulli sint, poterunt in Conservatores eligi qui magis placeant, dummodo dignitate ecclesiastica et qualitatibus fulgeant, quas postulat Bonifacius VIII. in Cap. Statutum de Rescript. in 6.° Horum autem Conservatorum, qui extra Synodales Judices assumuntur, jurisdictio et officium precarium ferme est, illico enim cessat ubi primum Judices Synodales electi fuerint, atque ex his Judicibus iterum Conservatores creandi sunt. Innocentius IV. in Cap. 1. de Offic. et potest. Judic. in 6.° statuit, Conservatorum officium in eo situm esse, quod possint eos quibus dati sunt « *defendere a manifestis injuriis et violentiis, nec ad alia quae judicialem indaginem exigunt, suam posse extendere potestatem.* » Verum de potestate Judicum Conservatorum redibit sermo in proximo §. de Foro competenti. Porro ipsorum jurisdictio finibus cujusque Dioecesis circumscripta est, ut Conservator extra Dioecesim eam, pro qua datus est, aggredi

nihil valeat, nec unus idemque possit in duabus Dioecesibus ad ejusmodi munus deputari.

§ CCV.

DE ACTORE

Tâm Actor quam Reus legitimam personam standi in judicio habere debent; secus enim judicium nullum est. At vero generatim omnes legitime stant in judicio qui expresso jure non prohibentur: ipsa quippe aequitas dictat quemvis posse jus suum prosequi actionem proponendo, aut se ipsum defendere propositam actionem repellendo. In primis autem non solum prohibentur furiosi et mentecapti, sed etiam prodigi quibus bonorum administratio legitime interdicta est: Servi etiam, nisi causa aut statum libertatis, aut publicam utilitatem concernat: Pariter pupilli et minores sine auctoritate aut assistentia Tutoris et Curatoris, filiique-familias in potestate patris existentes. Verum de his consule Jus civile. Jure autem Canonico arcentur ab agendo excommunicati, praeterquam in causa excommunicationis suae et appellationis in eadem. Et quidem in aliis causis excommunicati non tolerati ab ipso Judice repellendi sunt; tolerati autem ope saltem exceptionis removentur. Minores decimum quartum aetatis annum egressi in causis ecclesiasticis, ex. gr. beneficialibus, matrimonialibus, admittuntur. Religiosus etiam in causis propriis, veluti super juribus beneficii ecclesiastici quod obtinet, nec non etiam contra Praelatum, ex. gr. ne ejiciatur, ne alimentis privetur, agere potest. Praelati item recte actionem movent sine consensu Capituli, nisi tamen causa ad Capituli administrationem simul spectaret, aut nisi valde ardua esset, aut

jus singulare non obstaret; quamobrem circa Praelatos Regulares propria Ordinum statuta observanda sunt.

§ CCVI.

DE REO

Rei generatim omnes esse possunt etiam excommunicati, ne videantur ex propria malitia commodum reportare, quamvis in jus vocati per alium respondere queant, Cap. 7. de Judiciis. Minores item sicut agere in causis spiritualibus, ita et conventi se defendere possunt. Mulieres autem in causis civilibus ad judicium compellendae non sunt ut se personaliter sistant, Cap. 2. de Judic. in 6.°, si tamen malint, personaliter agere poterunt et respondere. Sed in causis criminalibus propter sexus verecundiam et fragilitatem vetantur agere, seu accusare, nisi suam vel suorum injuriam prosequantur, aut publica utilitas id postulet, aut causa ejus generis sit ut corporalem praesentiam exigere videatur. Verum si atrocioris alicujus criminis reae sint, repugnantes etiam et invitae in judicium trahi possunt.

At enim actores et rei possunt aut per semetipsos, aut per procuratores judicium exercere. Procuratores autem aut in judicio pro aliis postulant, et Advocati dicuntur, aut negotia Clientis in judicio vel extra judicium administrant, et Procuratores appellantur. Quamobrem Advocatus et Procurator in eo differunt, quod prior in judicio postulat, seu clientis patrocinium suscipit, causam secundum jura legitime defendendo; Procurator autem negotia litis in utilitatem Domini tractat, fitque post litis contestationem Dominus ipsius litis ita ut deinceps tamquam Dominus citetur et judicetur. Pauca de utroque dicenda sunt.

§ CCVII.

DE ADVOCATO ET PROCURATORE

Advocati munus est merita causae rite perpendere et proponere; quapropter tribus dotibus praestare debet. Prima est juris peritia; nam officium aliquod suscipientem oportet praeditum esse doctrina, quae ad ipsum rite obeundum postulatur. « *Hinc apud Romanos,* ait Van-Espen Jur. Eccl. univ. part. 3. tit. 6., *nullus in Advocatorum matriculam recipiebatur, nisi de peritia juris a Professoribus Juris testimonium haberet.* » L. 1. § 11. Cod. de Advoc. divers. Judic. « *Jurisperitos etiam eorum Doctores jubemus juratos sub gestorum testificatione depromere esse eum, qui posthac subrogari voluerit, peritia juris instructum.* » Et L. 5. Cod. eod. tit. statuitur. « *Nec de cetero quemquam antequam per statuta tempora legum eruditioni noscatur inhaesisse, supradicto consortio Advocatorum sociari.* » Altera est probitas, ut nimirum absque dolo, tricis, ambagibus, falsis probationibus, inutilibus dilationibus aliisque malis artibus causam defendat, atque a conviciis aliisque injuriis prorsus abstineat. In primis vero debet causarum merita perpendere ut si qua improba sit, aut mendacibus allegationibus composita, aut penitus desperata, aut etiam improbabilis, ejusdem patrocinium non suscipiat. Denique contentus sit oportet honorario vel lege, vel consuetudine taxato, neque licet pacisci de quota litis, neque de palmario, seu de extraordinario aliquo honorario in eventum palmae seu victoriae persolvendo; tum quia ejus generis pacta censentur Advocatum allicere ad fraudes, dolos, aliave illicita media adhibenda ut victoriam consequatur, tum quia non levis suspicio de concussione subest, ne Cliens metu perden-

dae litis pactionem eam accipiat. Tertia dos est diligentia; siquidem Advocatus ratione stipendii quod percipit, ex justitia tenetur ad studium et diligentiam pro qualitate causae adhibendam, ut litem obtineat. Quapropter in delinquendi necessitatem sese conjiciunt qui plures causas suscipiunt, quam expedire recte valeant. Ceterum Advocatus qui ob ignorantiam, malitiam, negligentiam, aliamve culpam propriam causa cecidit, vel impensas ultra modum prodegit, graviter peccat, et tenetur rependere damna quibus Clientem affecit.

Quae de Advocatis dicta sunt, generatim ad Procuratores quoque pertinent. At vero Advocatus et Procurator constitui non possunt haeretici, excommunicati, infames, mulieres, potentiores qui adversarium opprimere valent, Monachi, et Canonici Regulares, nisi ex mandato sui Superioris, et causa Monasterii agatur, et demum Clerici omnes coram Judice laico et in negotiis saecularibus, nisi in causis aut propriis, aut miserabilium personarum, aut Ecclesiae cui ratione officii vel beneficii addicti sunt. Minores annis vigintiquinque, ex Cap. 5. de Procurator. in 6.°, Procuratores esse vetantur. Sed quaerunt Interpretes, an ea aetate minor ab Advocati officio itidem repellatur: communior sententia affirmat aetatem septemdecim annorum sufficere, cujus discriminis ratio est, quod Advocati sit causae tantum patrocinari; Procurator autem fit dominus litis, et actione mandati obligatur.

Procuratores, de quibus alia peculiariter dicenda sunt, non solo consensu, sed mandato scriptis tradito constituendi sunt. Oportet autem, ut nomen constituentis, procuratoris constituti, causa, judex, dies et annus exprimantur. De mandato ipso ejusque forma tum altera pars litigans, tum Judex inquirere possunt ac debent, ne magno litium labore agatur nihil: « *nam falsi pro-*

curatoris exceptio non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici, utpote qua probata judicium nullum, et nullius momenti controversiae reputantur. » Cap. 4. de Procurat. Constituitur autem Procurator vel ad certas causas, vel generatim ad omnes, unde specialis est, vel generalis : adhibetur etiam in causis omnibus tam saecularibus, quam ecclesiasticis, itemque in criminalibus, ubi civiliter, hoc est ad poenam pecuniariam aut similem agatur. Generatim Procuratores ea omnia et sola jure agunt quae in literis mandati continentur. « *Qui ad agendum et defendendum, et generaliter ad omnia (etiamsi mandatum exigant speciale) constituitur procurator, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis, vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent adjecta clausula generali, tunc ad non expressos etiam admittetur.* » Cap. 4. et 5. de Procurat. in 6.° Quibus ex capitibus planum est, Procuratorem constitutum cum ea clausula, quod generaliter possit omnia, etiamsi speciale mandatum exigant, vi generalis hujusmodi clausulae experiri et agere potest, quae generaliter ad causam pertinent. At vero in iis quae speciali mandato digna sunt, ea generalis commissio non sufficit, sed requiritur specifica expressio saltem alicujus actus speciale mandatum requirentis, nam si unus, vel alter actus speciale mandatum postulans in mandato expressus fuerit, tunc Procurator vi clausulae generalis consequitur specialem potestatem ad alios etiam actus similes, vel minores, non autem majores et graviores, ex. gr. habens mandatum transigendi cum clausula, quod omnia possit etiam mandatum speciale exigentia, poterit in arbitrum compromittere, quia compromissum est species transactionis, sed debitum remittere non poterit, quia remissio gratuita de-

biti actus est transactione major et gravior, Clement. II. de Procurator. Casus autem, sive actus speciale mandatum requirentes generatim sunt, qui magis ardui habentur, aut certe domino praejudicium afferre possunt, veluti petitio restitutionis in integrum, juramentum decisivum adversae parti deferendum, compromissum in arbitros, transactio, remissio debiti, et alia id genus, quae recenset Glossa in cap. 4. de Procurator. in 6.° Verum Procurator constitutus *cum libera* ut ajunt, cui nempe bonorum vel causae libera administratio concessa est, in vim ejus clausulae juramentum deferre, transigere vel pacisci potest, cap. 4. eod. in 6.° Hanc tamen distinctionem Procuratoris cum libera et sine libera otiosam esse et inanem putat Heinnecius in Digesta ad tit. de Procurat. At certe hujusmodi Procurator donare non poterit; hoc enim est potius perdere, quam administrare, L. 8. ff. de Pactis.

Procuratorem constituere possunt non solum personae singulares, quae per se ipsas in judicio agere possunt, contrahere, deque suis rebus libere uti et disponere, verum etiam integrae Communitates, vel Societates hominum communia jura et communes causas habentium, veluti Universitates et Collegia. Procurator autem ab aliqua Universitate constitutus Syndicus appellatur. Verumtamen Procuratorem inter et Syndicum multa discrimina sunt: 1. Quod Procurator omnino libere, Syndicus autem necessario constituatur. 2. Quod Procurator per solam nominationem seu mandatum domini, Syndicus vero per electionem et suffragia majora Universitatis vel Collegii. 3. Quod Syndici officium vulgo publicum habeatur, Procuratoris autem saltem vi juris communis privatum est. 4. Demum quod Syndici officium nec morte constituentium exspiret quia Communitas nunquam moritur, nec finita instantia cesset, quod generaliter ad omnes lites,

adeoque ad appellationem quoque constitutus sit, at officium Procuratoris exspirat morte mandantis, si res adhuc integra sit: hoc est lite nondum contestata, et sententia in eum lata appellare potest ac debet, licet appellationem prosequi in vim prioris mandati non teneatur, cap. 14. hoc tit. In reliquis autem Procurator et Syndicus sunt munere pares; nam potestas utriusque mandato Constituentis, sive decreto Universitatis praefinitur, et uterque servatis finibus ejusdem mandati vel decreti Constituenti prodest, aut nocet; sibi enim imputare debent qui negligentem Procuratorem constituerunt. Finitur etiam ipsorum potestas, si diem extremum clauserint, quia mandatum ad haeredes non transit; itemque si mandatum a Constituente revocetur, et nulla quidem ante litis contestationem opus est causa, ut mandatum solvatur, sed post contestationem oportet rationabilem causam intercedere, qualis esset adversa Procuratoris vel Syndici valetudo, diuturna peregrinatio, morosa causae tractatio, superveniens cum adversario affinitas, aliave ejus generis: interest enim Procuratoris qui rem inchoavit, ne temere officio suo removeatur; quamobrem revocatio mandati eidem denuncianda est, et nisi consenserit, causa revocationis a Judice cognoscenda. « *Verum quamquam, nisi ut praemittitur, sine causa revocari non possit, dominus tamen suae causae una cum eodem Procuratore, maxime si de collusione timeat, minime prohibetur adesse* ». Cap. 2. de Procurator. in 6.° Ut autem mandanti integrum est ex rationabili causa mandatum revocare, ita Procurator officio suo nuncium mittere potest, dummodo renunciatio tempestive fiat, hoc est sine damno mandantis, aut saltem morbus vel alia justa causa intercesserit.

At vero Dominus et Procurator actionem mandati habent, si alter ab altero laesus fuit; et dominus quidem directam actionem habet ad prosequendum id quod sua

interest litem non fuisse diligenter administratam ; Procurator autem contrariam habet repetendi quidquid ob litem fecerit sumptuum, aut sibi debeatur ratione mandati quod impleverit, et utraque actio transit ad haeredes.

§ CCVIII.

DE FORO COMPETENTI

Forum seu Judex competens dicitur, qui tam ratione rei, quam ratione personae potestatem habet judicandi, secus enim sententia ipsius, imo totum judicium ob defectum jurisdictionis vel in genus causae, vel in reum conventum omni vi et effectu carebit. Igitur ad cognoscendum competentem Judicem inspici debet: 1. qualitas causae quae in controversiam adducitur: 2. qualitas personae quae in jus vocatur.

Quod ad primum attinet, compertum est ex iis quae in Jure publico Ecclesiastico diximus, causas omnes ecclesiasticas ad Tribunal Ecclesiae pertinere. Sed ecclesiasticae causae ratione rei partiuntur in majores et communes. Causae majores a Glossatore Decretalium ad Cap. Quod translationem De Offic. legat. duo deviginti enumerantur secundum quatuor barbaros versus, quos Glossatores et veteres Juris Canonici Tractatores suis Commentariis inseruerunt. Generatim autem causarum majorum nomine non tantum dubiae fidei et disciplinae causae, sed universim causae omnes et negotia, quae gravioris momenti sunt, intelliguntur. Earum autem definitio ad unum Romanum Pontificem pertinet, quod Innocentius I. in Epistola ad Victricium Rothomagensem diserte ait. « *Majores causae ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, referantur.* » Justinus Febronius in libro de Statu Ecclesiae cap. 4. § 1. in hunc

locum ita animadvertit. « *Verba illa* vetus consuetudo *apud probioris notae Scriptores, signanter Labbaeum et Justellum non reperiuntur.* » At reperiuntur apud alios probatissimae notae Scriptores, et quamvis ea verba in Epistola Innocentii I. omnino deessent, non tamen desunt alia indubia documenta, quibus ea vetus consuetudo comprobatur. Verum de hoc argumento in eodem Jure publico Ecclesiastico dictum est.

Praeter majores causas reliquae omnes Ecclesiasticae in prima instantia coram proprio Ordinario agendae sunt. At causae matrimoniales Episcopi tantum judicio a Synodo Tridentina sess. 24. cap. 20. de Reform. commissae fuerunt Praelatis inferioribus exclusis. Qua de re observanda est etiam Constitutio Benedicti XIV. Dei miseratione 23. tom. 1. ejus Bullar., ubi accurate lateque praescribit et explicat ordinem judicii, quo oportet hujusmodi causas cognoscere et judicare. Pariter ex Concilii Tridentini sanctione in sess. 25. cap. 19. de Regularibus cautum est, ut Regularis validitatem suae professionis oppugnaturus debeat sua jura proponere coram Superiore suo, et Ordinario, ut proinde in hujusmodi quaestionibus per Superiorem Regularem et Ordinarium, tamquam Conjudices, causa cognoscenda et definienda sit. Atque etiam idem Pontifex Benedictus XIV. in alia Constit. Si datam 47. tom. 2. ejus Bull. complexus est ea omnia quae ad agendam causam de nullitate professionis observanda sunt.

Ex hactenus dictis satis colligitur, quis competens Judex habendus sit inspecta natura causae; nunc videndum est, quis Judex competens sit inspecto statu personae quae in jus vocatur. In primis autem praemittendum est, quod tradit Bellarminus de Concil. auctoritat. lib. 2. cap. 17. et 18. « *Summus Pontifex non potest committere neque Concilio, neque ulli homini supra se judicium*

coactivum, sed tantum discretivum. » Hanc sententiam Sylvius Controvers. lib. 4. art. 6. conclus. 3. ita explicat. « *Papa potest quibusdam in rebus se, seu causam suam alteri subjicere, ut potestati saeculari in rebus temporalibus, et in spiritualibus Sacerdoti in foro conscientiae; quia si contingat Pontificem habere controversiam, nec ipse velit eam per se terminare, aequum videtur, ut ejus decisionem possit alteri committere. Casu tamen, quo ita se, seu verius causam et controversiam suam de rebus temporalibus alicui committat, ipse semper manet Superior, neque potest simpliciter cogi, quia potestas ordinaria (talem vero habet Pontifex) major est extraordinaria et delegata, cujusmodi solum est ea quam habet is cui Pontifex temporalem causam subjicit. Nihilominus isto casu posito, si Pontifex commissionem, quam fecit, non revocet, debet acceptare justam sententiam a sic deputato prolatam, etsi non necessitate coactionis, sed virtutis justitiae commutativae; alioquin peccaturus contra illam respectu partis adversae, imo et respectu Commissarii, si promiserat stare ejus sententiae.* » An vero in causis Ecclesiasticis, ex. gr. in eventu dubiae electionis aut haeresis Summus Pontifex judicio Ecclesiae subsit, quoniam haec res ad Jus publicum Ecclesiasticum pertinet, praeter ea quae in ejusdem Juris Institutionibus dicta sunt, confer Sylvium ipsum in 2.ª 2.ae S. Thomae quaest. 39. art. 1., et praecipue Petrum Ballerinium de potestat. Eccles., et Summ. Pontific., et Concil. general. toto cap. 9.

Post Summum Pontificem de Cardinalibus S. R. E. dicendum est. Jam vero ex Constitut. Pauli IV. Cum saepius edita an. 1556. lites Cardinalium ad Pontificem ipsum avocatae sunt omni appellatione remota. Item causae Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum Sedi Apostolicae reservantur, quoniam hujusmodi personae nemini in Ecclesiastica hierarchia extra Romanum Pontificem subjectae sunt. Hac de re extat celeberrimus Can. 9. Con-

cilii Chalcedonensis, quo ita constitutum est. « *Si quis contra ipsius Provinciae Metropolitanum Episcopum Episcopus sive Clericus habeat controversiam, pergat ad ipsius Dioecesis Primatem, aut certe ad Constantinopolitanae Regiae Civitatis Sedem, ut eorum ibi negotium terminetur.* » De quo Canone Ludovicus Bail in Summa Conciliorum animadvertit: 1. Ubi dicitur « *pergant ad ipsius Dioecesis Primatem* » Romanum Pontificem intelligi; nam vox graeci textus non proprie Primatem, sed Principem significat; solus autem Pontifex Christianae Dioeceseos Princeps est. 2. Ubi dicitur « *aut certe ad Constantinopolitanae Civitatis Sedem* » non mandantis, sed permittentis Concilii verba esse, ita ut Clericis vel Episcopis prope Constantinopolim degentibus permissum fuerit controversias suas coram Antistite Constantinopolitano proponere. Ita hunc Canonem Nicolaus I. in Ep.ª ad Michaelem Imperatorem interpretatur. 3. Ex vi hujus Canonis eos tantum a Sede Constantinopolitana judicari potuisse, qui se a suo Metropolitano laesos esse arbitrabantur: at Romanum Pontificem eos quoque judicare posse, qui ab ipsis Patriarchis vel ab Episcoporum Conciliis etiam maximis et frequentatissimis laesi sunt; quod Caeciliani, Athanasii, Chrysostomi, Pauli, Flaviani, Theodoreti, aliorumque plurium exempla demonstrant. Vide Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 22.

Quod vero Episcopos spectat, ipsorum causae ex jure communi aut ad Synodum Provincialem, aut ad Metropolitanum deferebantur. At Concilium Tridentinum causas ipsorum criminales, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab uno Romano Pontifice cognosci et finiri voluit: leviores autem causas Synodo Provinciali judicandas reliquit. Cum autem eadem Synodus de causis civilibus Episcoporum nihil penitus constituerit, satis intelligitur easdem veterum Judicum cognitioni relictas esse,

tum quia exceptio causarum criminalium firmat regulam in contrarium, tum quia putandum non est jurisdictionem Archiepiscoporum hac in re a Concilio revocatam fuisse, nullis aliis assignatis Judicibus, apud quos eaedem causae in posterum agerentur. Hanc sententiam amplexata est Congregatio Concilii; nam in Opere quod inscribitur - *Novae declarationes Congregationis S. R. E. C. ad decreta Concilii Tridentini ex Bibliot. Card. Roberti Bellarmini. Lugduni 1634.* - ad cap. 5. sess. 24. de Reform. haec numero tertia ejusdem Congregationis declaratio profertur: « *Item Metropolitanus potest cognoscere causas civiles Episcoporum.* » Pariter in Opere quod inscribitur - *Concilium Tridentinum ex ultima recognitione Joannis Gallemart. Lucduni 1631.* - ad notam « *nisi Metropolitanis* » in idem caput haec leguntur: « *potest Metropolitanus cognoscere causas civiles Episcoporum ex sententia Congregationis.* » Neque huic sententiae obstat Epistola quaedam Congregationis Episcoporum et Regularium ad Archiepiscopum Regiensem datam die 31. Maji 1588., quemadmodum late probat Cardinalis Petra in Commentar. ad Constitutionem 2.^am^ Leonis X.

Praesentis instituti est de foro Regularium aliorumque exemptorum aliquid in medium proferre. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de Reform. decrevit causas criminales et mixtas ad locorum Ordinarios, et non ad Conservatores pertinere: civiles vero a Conservatoribus cognosci posse, cum hi quorum privilegia tuentur, rei sunt, non actores. Itaque S. Congregationi Concilii die 28. Julii 1657. propositum est dubium. « *An Regulares habentes Conservatorem, si rei sint in causis civilibus requirentibus judicialem discussionem et indaginem, conveniri queant coram eodem Conservatore ?* » S. Congregatio respondit *negative*. Et in *Januen. jurisdictionis* die 20. Februarii 1723. proposito dubio; « *An Conservator Ven. Col-*

legii Patrum Soc. Jesu Civitatis Januae tam in casibus, quam extra casibus manifestae violentiae, vel injuriae possit procedere, sive Patres Soc. Jesu sint actores, sive rei ? » S. Congregatio respondit « *affirmative in casibus tamen manifestae violentiae et injuriae, et quando Patres sunt rei.* » In casibus vero criminalibus Regulares notorie et cum scandalo extra claustra delinquentes juxta Constitutionem Clementis VIII. die 8. Martii 1596. editam, itemque delinquentes in personam Episcopi, ejusque jurisdictionem impedientes juxta decretum S. Congregationis Concilii a Gregorio XIII. probatum, de quo Fagnanus in Cap. Grave de Offic. Ordinar. n. 76. verba facit, ab Episcopo puniri possunt. Sunt etiam alii casus, in quibus integrum est Episcopo delegatam auctoritatem in Regulares exercere ad eos in officio continendos, et irrepentes abusus cohibendos, quam multis prosequitur Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 9. cap. 15.

Exemplo Regularium Clerici quoque studuerunt sese aut Ecclesias aliquot ab Ordinariorum jurisdictione eximere. De his tria adnotasse sufficiat: 1. Uni Pontifici, et praeterea nemini fas esse personas aut Ecclesias ab Ordinarii Judicis potestate eximere. 2. Clericos exemptos in exemptionis articulis forum Apostolicae Sedis sortiri, aut illius Judicis forum, cui ex privilegio Apostolico addicti sunt. 3. Cum Episcopus fundatam intentionem habeat potestatis exercendae in cunctas Ecclesias Clericosque suae Dioecesis, hinc neminem jure posse ipsius forum declinare, nisi aut perspicuum suae exemptionis privilegium ostendat, aut longaevam hujus exemptionis praescriptionem legitime planeque probaverit, ex qua Apostolicum privilegium praesumi valeat. De Capitulis autem ab Episcopali jurisdictione exemptis confer saepe laudatum Benedictum XIV. de Synod. Dioeces. lib. 3. cap. 9.

Hactenus dictum est de personis, quae speciali titulo dignitatis aut privilegii proprium forum habent, ad quod vocandae sunt. Relinquitur ut dicamus de reliquis Ecclesiasticis personis, quae scilicet nullo speciali exemptionis titulo aut privilegio distinguuntur. Jam vero Clerici omnes non solum majoribus, sed minoribus etiam Ordinibus, imo prima solum Tonsura initiati in causis tum civilibus, tum criminalibus ab uno proprii Ordinarii foro judicari possunt. Atque huic fori privilegio Clerici renuntiare nequeunt, neque etiam in se prorogare potestatem Judicis laici, Cap. 12. de Foro compet., imo nec jurisdictionem Episcopi alieni, nisi proprius consenserit, Cap. 18. eod. tit. Episcopus autem seu Ordinarius proprius dicitur: 1. Episcopus *domicilii*, vel *quasi domicilii*, seu ejus loci in quo Clericus moratur cum animo vel perpetuo vel diutius ibidem permanendi. 2. Episcopus *contractus*, sive ejus loci ubi contractus vel quasi contractus initus est; dummodo reus ibidem reperiatur, aut bona possideat, quamvis ipse reus fuerit absens; nam Cap. 1. de Foro compet. in 6.° expresse statuitur actorem ex Judicis decreto mittendum esse in bonorum possessionem, si reus citatus in foro contractus non compareat. 3. Episcopus *rei sitae*, seu loci ubi res controversa sive mobilis, sive immobilis permanenter sita est, qui itidem contra rem etiam transeuntem arrestum et sequestrationem decernere poterit. 4. Demum Episcopus *loci*, ubi delictum inchoatum vel consummatum est. Ceterum forum domicilii praecipuum est, ita ut Judex domicilii contra reliquos competentes Judices jure praeventionis uti possit. Sunt tamen aliqui casus, in quibus Clerici beneficio fori privantur. Et primo quidem ex decreto Concilii Tridentini sess. 23. cap. 6. de Reform. Clerici minorum Ordinum « *fori privilegio non gaudent, nisi Beneficium ecclesiasticum habeant, aut clericalem*

habitum et tonsuram deferentes alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviant; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versentur. » Cum autem Concilium particulis disjunctivis *aut*, et *vel* utatur, in alternativis autem alteram adimplere sufficiat, hinc gaudent privilegio fori, tum qui habitum et tonsuram deferunt et Ecclesiae inserviunt, tum qui beneficium obtinent, etiamsi tonsuram et habitum non deferant, nec Ecclesiae inserviant. Pariter ex ipsius Tridentini cit. loco Clerici conjugati privilegio fori non fruuntur, nisi copulative tres conditiones observent. 1. Ut cum unica et virgine matrimonium contrahant; « *bigamos enim omni privilegio clericali declaramus esse nudatos* » ait Gregorius X. in Concilio Lugdunensi. 2. Ut Tonsuram et vestes clericales deferant: ut alicui Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiae serviant vel ministrent. Demum Clerici etiam majorum Ordinum solemniter degradati omni privilegio fori et canonis ita privantur, ut a saeculari potestate judicari, damnari et puniri possint. Praeterea communiter a Doctoribus numerantur aliquae civiles causae, in quibus Clerici omnes coram Judice laico vocari possunt. 1. Causae feudales Ecclesiae et Monasteriorum, quae feuda secularia tenent, in Curia Domini directi agitari et judicari debent. Sane rescripsit Alexander III. Cap. 6. et seqq. de Foro compet.; « *feudalem quaestionem, etiamsi collitigantes Clerici sint, coram Domino feudi sive Clerico, sive Laico finiendam esse* ». 2. Si bona immobilia Ecclesiis vel Clericis donata sint cum reservatione jurisdictionis, ea scilicet lege et conditione, ut foro civili obnoxia maneant: hoc enim casu Clericus privilegio suo non renuntiat, propterea quod nihil tribuit foro laico, cum res donata nondum ab eodem foro sublata fuerit

et foro ecclesiastico addicta. 3. Causae evictionis, si nimirum proposita sit actio contra laicum ad rem evincendam, quam emit a Clerico; tum siquidem Clericus, si laudatus ab emptore fuerit, eidem adesse atque etiam coram Judice laico comparere debet. 4. Ob officium saeculare, si nempe Clericus tamquam tutor, curator, aut procurator alicujus laici in jus vocetur. 5. Ob litem coeptam; quamobrem lis jam inchoata cum defuncto laico, cujus Clericus haeres est, in eodem foro in quo initium habuit, finem accipere debet. 6. Demum ob reconventionem, cum scilicet Clericus actoris personam agens aliquem ad forum laicale traxerit, ipse Clericus in eodem foro reconveniri recte poterit non solum per modum exceptionis, quae potius rationem habet necessariae defensionis, verum etiam per modum verae actionis, uti si Clericus mutuum a Laico coram Judice saeculari expetat, laicus etiam suum aes, si illi crediderit, in eodem foro reposcat. Excipiendae sunt tamen causae omnes criminales, spirituales, et reliquae ecclesiasticae, in quibus Judex laicus etiam partibus annuentibus competens esse nequit. Ad haec judicio reconventionis victus sit Clericus sententia Judicis laici, ubi ea transeat in rem judicatam, executio in Clericum ejusque bona ad proprium Episcopum seu Ordinarium omnino pertinet. Quod vero spectat criminales causas omnes nunquam civili Judici fas est Clericum judicare, aut carceribus mancipare vel detinere. Tantum custodiae causa a Judice laico detineri poterit suo Judici ecclesiastico quamprimum tradendus, si Clericus vel in flagranti crimine fuerit deprehensus, vel fugam paret, vel nefarium aliquod scelus machinetur. De his omnibus civilibus aut criminalibus causis, in quibus privilegium fori non prodest, confer Schmalzgrueber de For. compet., et Doctores ibidem laudatos.

§ CCIX.

DE ORDINE JUDICIALI

Judiciales disceptationes ordinatim procedere debent, quandoquidem ex inordinata causarum notione potius confusio nascitur quam veritas eruatur. Ordo iste, quo judicia habenda sunt, judicium etiam dicitur, et passim processus appellatur. Est autem processus dispositio idonea actorum omnium judicialium secundum eam methodum et formam quam leges constituerunt. Igitur ordo in judiciis perfecte servandus est, et si pervertatur, omnes actus irriti et nulli sunt. « *Prolatam a praeside sententiam contra solitum ordinem, auctoritatem rei judicatae non obtinere certum est* » ait Imperator L. 4. Cod. de Senten. et Interlocut., et Innocentius III. cap. 22. de Rescript. haec habet: « *processum contra nostri formam Rescripti ac Juris ordinem attentatum irritum decernimus et inane.* » At vero ratione ordinis judiciarii judicia nominantur, vel ordinaria seu solemnia, in quibus omnes judiciales actus observantur tum ad intrinsecam judicii naturam, tum ad externam solemnitatem pertinentes; vel extraordinaria seu summaria, in quibus multiplices solemnitates judiciorum omittuntur, tantummodo servatis quae juris naturalis sunt et prorsus necessaria ad veritatis investigationem, veluti vocatio rei, petitio actoris, probationes, defensiones, et sententia. Certa sunt genera causarum in quibus de jure summarie proceditur, veluti causae electionum, postulationum, mercedum, alimentorum, missionis in possessionem, aliaeque similes, et generatim omnes quae moram pati non videntur. Verum ex Clement. 2. de V. S. subsistit processus, si in causa, quae summarie expedienda fuerat, solemnis ordo

servatus sit, si tamen partes non contradixerint. His positis summa judiciorum divisio est, ut alia sint civilia, et alia criminalia. Tres sunt judiciorum partes, prima a libello seu citatione ad litis contestationem progreditur; in criminalibus autem ab accusatione vel inquisitione ad criminis negationem: secunda a contestatione litis seu negatione criminis ad sententiam definitivam: tertia denique a sententia definitiva usque ad ejus executionem. Nos itaque ordinem judiciorum tum in civilibus causis tum in criminalibus observandum singillatim exponemus. Sit autem primum de civili processu instruendo.

§ CCX.

DE LIBELLO ET CITATIONE

Processus civilis a Libello et Citatione inchoatur. Est autem Libellus ipsa Actoris petitio, qua videlicet quid, et quo jure, et contra quem petat, distincte Judici exponit, ejusque officium implorat. Itaque libellus Judicis, Actoris et Rei nomina, rem petitam, et jus petendi complectatur oportet. Jus autem seu causa petendi est duplex, proxima et remota; in actione reali proxima est dominium, si agitur de vindicatione rei remota est titulus quo dominium comparatum fuit. In actione personali causa proxima est obligatio, remota est contractus, vel delictum ex quo obligatio profecta est. Jam vero si actio realis sit, saltem causa actionis proxima, nempe dominium exprimendum est; si vero actio personalis instituatur, necesse est ut causa remota exprimatur, ex. gr. peto centum scutata, quae mihi debentur contractu mutui, depositi, locati, venditionis. Cujus discriminis ratio in eo consistit, quod etsi res ex una causa, videlicet obligatione nobis debeatur, attamen cum ex pluribus et di-

versis nominibus obligatio oriri possit, idcirco si in actione personali sola causa proxima allegaretur, libellus nimis generalis esset, nec reus de causa plane instrueretur, ut deliberare posset, utrum sibi judicio contendendum aut cedendum sit. Emendari libellus potest quocumque tempore aliquid addendo vel detrahendo, quod ad substantiam non pertineat; attamen post litem contestatam mutari non potest, priori actione repudiata, aliam instruendo: per litis enim contestationem libellus transit in quasi contractum inter partes; aut si mutetur, reus indemnis servandus est prioris judicii persolutis expensis, novoque libello oblato, novisque etiam induciis datis; namque per novam actionem judicium substantialiter immutatur.

Libellum sequitur citatio, qua reus mandato et auctoritate Judicis in judicium vocatur. Est autem citatio verbalis, aut realis: verbalis dicitur, quando reus verbis aut literis in judicium vocatur: realis fit per manus injectionem, quam capturam vocant, dum nempe reus per apparitores vel satellites apprehenditur et in judicium deducitur, et non tam citatio quam remedium quo utendum est, dum aliter citatio verbalis effectu careret; unde locum habet in solis criminalibus causis, vel adversus suspectos de fuga, aut contra contumaces. Rursus citatio simplex est vel peremptoria. Per simplicem citationem reus in judicium vocatur intra certum dierum terminum, quo tamen elapso citatus non fit contumax, nisi tribus distinctis vicibus et dierum intervallis vocatus fuerit, nec comparuerit. Peremptoria est, quae pro tribus simplicibus et dilatoriis citationibus emittitur, et necessitatem comparendi ita imponit, ut si ad constitutum diem citatus non comparuerit, contumax habeatur. Quamobrem in hac citatione Judices uti solent adverbio *peremptorie*, aut alio simili, et aliquando comminantur etiam

absente diversa parte cognituros se et pronunciaturos. L. 71. ff. de Judiciis. Denique citatio specialis est vel generalis, quatenus vel certa persona, vel generatim omnes in jus vocantur, quicumque sua interesse putaverint. Ut autem citatio sit legitima, continere debet: 1. Nomen et cognomen Judicis, apud quem reus in jus vocatur, tum quia in jus vocatio mandato Judicis decerni debet, tum etiam ut reus sciat, num coram Judice competente in judicium vocetur, atque adeo si Judex delegatus fuerit, copia seu literae delegationis in prima saltem citatione summatim inferendae sunt, Cap. 3. de Offic. et potest. Jud. deleg. 2. Exprimendum est tum nomen et cognomen Actoris, ut citatus adversarium suum agnoscat; tum nomen et cognomen ipsius citati, ut certo intelligere queat, se et non alium in jus vocari. 3. Exponenda est causa cur citatur, ut perspecta alterius partis petitione reus deliberare possit, num cedere velit, an contendere. 4. Designandus est judicii habendi locus, praecipue si Judex delegatus sit, qui certo loco Tribunal non habet. Ordinarii enim Judices certam sedem et tribunal habent, ab iisque locum eo tantum in casu designari oportet, ubi vellent extra locum solitum jus dicere. Locus vero debet esse idoneus, hoc est citantis jurisdictioni subjectus, et praeterea ipsi citato tutus, videlicet ab insidiis, pestilenti aere, aliisque similibus periculis liber et expers, ut citatus eo possit incolumis venire et abire. 5. Exprimendus est dies certus, in quo reus ad Judicem venire tenetur, eumque diem oportet esse tum justum, quatenus in eo praefiniendo locorum, temporum, et personarum ratio habenda est; tum legitimum, videlicet non feriatum, quum his diebus fora quiescant. At vero feriati dies vel in humanum commodum, quales sunt feriae Messium et Vindemiarum; vel Religionis causa instituti fuerunt, quales sunt dies festi: et quamquam

in feriis humanis actus judiciales rite expediantur consensu partium, quoniam favori pro se introducto quilibet renunciare potest, attamen in feriis Religionis, ne ipsis quidem litigantibus consentientibus, judicia exerceri queunt, et si quid actum fuerit, nullius momenti est, dum hae feriae non ad humanam utilitatem, sed ad divinum cultum ordinentur. Citatio autem per publicum apparitorem seu nuntium reo denuncianda est, et si ejus copia haberi non possit, citatio proponitur foribus domorum quas incolere solet, aut etiam vicinis et domesticis relinquitur, quae idcirco dici solet citatio ad domicilium; Nuntius autem seu apparitor in acta referre debet diem, locum, modumque citationis exhibitae, eaque apparitoris vel nuntii relatio fundamentum est omnis judicii, ut ejus omissione nec sententia, nec processus valeat, neque amplius sanari possit. Quod si nuntius referat reum abfuisse, nec certum domicilium habere, vel locum non esse tutum, aut si creditores incerti citandi fuerint, et generatim, ubi reus aliter citari non possit, tunc locus est publicae citationi per vocem praeconis, tubam, vel campanam, aut per edictum publico loco affixum, ut ita reus per propinquos aut amicos admoneatur. Citationis effectus plures sunt: cogit enim citatum ad comparendum, et ad causam coram eodem Judice pertractandam, quamvis post citationem alterius fori esse coeperit. Praeterea inter plures Judices competentes praeventionem inducit respectu ejus Judicis, qui reum in jus vocavit; itemque perpetuat jurisdictionem Judicis delegati, ita ut ex obitu delegantis amplius non extinguatur. Denique praescriptionem etiam longissimi temporis interrumpit, et litis pendentiam inducit, remque efficit litigiosam ut nullo pacto alienari, nec aliud possit usque ad exitum causae innovari. Quamobrem salva debet esse possessio, nisi forte sequestratio rei per Judicis sententiam ex gravi

et probata in jure causa decernatur, aut res ipsa ex libero consensu partium alteri custodienda committatur.

§ CCXI.

DE CONTUMACIA

Contumacia a *contemnendo* dicta est, unde contumax dicitur, qui a Judice vocatus in judicium venire contempserit. Duplex autem contumacia distinguitur, altera quae vera sive expressa, altera quae tacita sive praesumpta vocatur. Prior est, cum quis tribus edictis, aut uno pro tribus peremptorio citatus, vel sui copiam non fecit, vel cum venerit Judici obtemperare recusavit, aut sine Judicis venia susceptum judicium deseruit. Posterior est, dum aliquis in jus vocatus dolo malo, fraudeve latitat, efficitque ne citatio ad eum perveniat. Verum qui legitima causa impeditur, quominus Judici se exhibeat, vel citationi respondeat, quum Judicem non contemnat, contumax non erit, modo tamen impedimenti conscium Judicem faciat, et in judicium veniat, cum primum poterit. Pluribus autem poenis afficiuntur contumaces, sed aliis poenis Actor, et aliis Reus, aliis ante litem contestatam, et aliis post litem contestatam coercentur. Si Actor ante litem contestatam contumax sit, condemnabitur ad expensas, et si rursus reum citari petat, non amplius auditur, nisi cautione praestita comparendi. Si vero Actor post litem contestatam abfuerit, tribus denunciationibus vocandus est, eoque non comparente Judex, instante reo, aut sententiam proferet, aut reum ipsum ab instantia seu observatione judicii absolvet, actore in expensas condemnato. At vero si reus ante litem contestatam contumax sit, in actione quidem reali actor in possessionem mittitur rei de qua disputatur; in actione

autem personali mittitur in possessionem mobilium, vel si ea desint, immobilium pro summa tamen debiti. « *Quod si reus*, ut inquit Innocentius III. Cap. 5. Ut lite non contestata, *venerit infra annum judicio sisti praestita cautione, ac exhibita satisfactione congrua expensarum, possessionem recuperet. Quod si cautionem offerre neglexerit infra annum, actor post annum verus constituatur possessor, super proprietate dumtaxat adversae parti defensione legitima reservata.* » Itaque prima missio in possessionem, quae etiam dicitur possessio ex primo decreto, inducit pignus tantum praetorium ; traditur enim res loco pignoris, unde possessor seu detentor hujusmodi fructus rei non lucratur. At post annum quo reus in contumacia perseveraverit, actor ex secundo decreto in possessionem immittitur tamquam verus dominus, veramque possessionem consequitur, servata reo contumaci quaestione proprietatis. Cum vero lis contestata fuerit, et reus contumax extiterit, Judex si de meritis causae liqueat, sententia sua litem definiet, aut si non liqueat, actorem in veram possessionem immittet, salva semper reo dominii lite. Secus est in causis beneficiariis, in quibus ob rei contumaciam missio in possessionem non decernitur « *ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus* » ut habetur cap. unico de eo qui mittit. in possess. in 6.° Praeter hactenus enumeratas sunt aliae poenae, quibus jure Decretalium contumaces coercentur, quales sunt sequestratio possessionis, condemnatio in expensas, et in primis excommunicatio, qua tamen utendum non est, si missio in possessionem decerni possit, quum jure novissimo Tridentini sess. 25. cap. 3. de Reformat. Ecclesiastici Judices a censuris ferendis abstinere debeant « *quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit.* »

§ CCXII.

DE EXCEPTIONIBUS ET MUTUIS PETITIONIBUS

Reo in jus vocato competunt exceptiones, seu allegationes rationum, quibus se adversus actorem defendit. Etenim exceptio est quaevis rei defensio, qua actoris intentionem vel actionem aut ad tempus retardat, aut in perpetuum elidit, quamobrem exceptio in temporalem seu dilatoriam, et in perpetuam seu peremptoriam dividitur. Exceptio dilatoria vel petitur a persona Judicis, et speciali nomine dicitur fori declinatoria, veluti si reus excipiat Judicem esse incompetentem vel suspectum, aut litem alibi pendere: vel petitur a persona Actoris, ejusve tutoris, vel procuratoris, uti si excipiatur actorem esse pupillum, excommunicatum, tutorem vel curatorem nulliter datum, procuratorem mandato carere: vel petitur a persona rei, si ex. gr. electionem fori habens, dum in uno foro conventus fuerit, exceptionem opponat, ut causa ad alterum forum revocetur: vel petitur a meritis causae, ut exceptio petitionis ante diem: vel petitur a forma processus, qualis est exceptio libelli inepti vel obscuri, loci non tuti vel inhonesti, termini angusti, et feriarum.

Exceptiones peremptoriae, quae causam principalem omnino perimunt, veluti exceptio metus, doli mali, erroris, non numeratae pecuniae, pacti de non petendo, rei judicatae, SC. Macedoniani, transactionis, solutionis, praescriptionis, aliaeque plures sunt duplicis generis; aliae enim simpliciter peremptoriae, aliae litis finitae nominantur. Prioris generis sunt exceptio doli mali, metus, praescriptionis, solutionis, SC. Macedoniani, et hujusmodi, quae actionem in perpetuum excludunt, attamen litis ingressum non impediunt. Posterioris generis, seu litis finitae

dicuntur, quae non solum intentionem actionemque Actoris in perpetuum excludunt, sed impediunt etiam quominus novum judicium instituatur, quales sunt exceptiones rei judicatae, transactionis, litis per jusjurandum finitae, utpote quibus litem jam sublatam esse demonstratur.

Praeterea exceptiones dilatoriae et peremptoriae non solum effectu differunt, sed etiam tempore quo proponendae sunt; nam dilatoriae ante litem contestatam opponi debent; in primisque si Judicem scias incompetentem esse, exceptio incompetentiae opponenda est; si quis enim hac omissa exceptione, aliam prius opponat vel aliquem in judicio actum peragat, jam hoc ipso in Judicem consensisse videtur, et ejus jurisdictio prorogatur. Excipitur Clericus qui nequit in Judicem laicum consentire. Ceterum exceptio majoris excommunicationis in qualibet judicii parte opponi poterit, cujus opponendae modum praescripsit Innocentius IV. cap. 1. de Exception. in 6.° Insuper licet etiam post litem contestatam dilatorias exceptiones opponere, quae tum primum ortae sint, aut innotuerint; itemque exceptiones, quae nullum et inane judicium reddunt, veluti exceptio revocati procuratoris, aut falsi, seu mandato carentis « *non solum ante sententiam, verum etiam postea possunt objici* » ut inquit Pontifex cap. 4. de Procurat. Quoniam vero nihil obstat, quin reus pluribus exceptionibus et successive utatur, L. 5. et 8. ff. de Except. « *ne forte per dilatorias exceptiones causarum terminatio prorogetur, cautum est, ut intra certum tempus a Judice assignandum omnes dilatoriae proponantur.* » Cap. 4. hoc tit. At peremptoriae exceptiones regulariter proponendae sunt post litis contestationem, namque ad perimendam actionem opponuntur; actio autem perimi nequit, nisi postquam in judicium deducta est. Exceptiones vero peremptoriae litis finitae ante litis contestationem proponendae sunt, quandoqui-

dem vis et natura ipsarum est, ut ingressum litis impediant. Denique post rem judicatam rite opponuntur exceptiones peremptoriae, quae executionem sententiae impediunt, veluti exceptio SC.ⁱ Macedoniani, Vellejani, aliaeque similes, quae numero novem recensentur a Glossa in L. final. Cod. de Jur. et fact. ignorant.

Exceptionum autem duo praecipui effectus sunt: prior est, quod reus exceptione fit actor, quamobrem exceptionem probare debet: si tamen in probatione deficiat, non ideo actor confestim vincit, sed ubi actionem suam probaverit; « *nam reus exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri* » ex Reg. 63 in 6.° et L. 9. ff. de Exception. Alter effectus est, quod exceptione rite probata excludatur actio sive ad tempus, sive in perpetuum, prout exceptio fuerit dilatoria, aut peremptoria.

At vero quemadmodum reus ad actoris elidendam actionem exceptione utitur, sic actori fas est replicatione elidere exceptionem, suamque actionem confirmare. Est enim replicatio exceptionis exclusio, L. 2. ff. de Except., si Titius ex. gr. condictione mutui petat centum a Cajo, actio est. Si Cajus condictioni mutui opponat pactum de non petendo, exceptio est. Si Titius huic exceptioni posterius pactum quo rursus placuit ut petere liceret, replicatio est. Si praeterea contra actoris replicationem aliquid opponat reus, duplicatio dicitur, exinde triplicatio, « *et sic deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor objicit.* » L. 2. ff. hoc tit. Verum in foro ecclesiastico duplicationibus, aut triplicationibus vix locus est, sed Judex ex causa eisdem modum imponit, ne judicia temere protrahantur.

Reo autem non solum jus est contra actionem excipiendi, causam suam directe defendendo, verum etiam mutua petitione seu reconventione contra actorem uti

licet, per quam specie quadam compensationis se tuetur. Fit itaque mutua petitio seu reconventio, dum reus conventus aliquid vicissim in eodem judicio ab actore petit, tamquam sibi debitum, veluti si ex causa stipulationis conveniatur, et ipse vicissim ex causa mutui actorem reconveniat. Reconventio, seu mutua petitio coram Judice aeque ordinario ac delegato locum habet, non tamen coram Arbitro, quum Arbiter de iis tantum super quibus compromissum est, respondere possit. Sunt etiam aliquae causae, in quibus reconventiones objici nequeunt, quales sunt causae criminales, quoniam « *innocentia, non relatione criminum reus purgatur* » ut loquitur L. 5. ff. de public. Judiciis; causae depositi, nisi prius depositum restituatur; tanta enim est depositi fides: causae spolii, in quibus per vim dejectus respondere non cogitur, antequam restituatur: causae appellationis, nam Judex appellationis de ea tantum causa in qua appellatum fuit, cognoscere potest: et demum non licet actorem reconvenire de re spirituali apud Judicem laicum, cujus jurisdictio ad spiritualia non porrigitur. Omnes vero, quibus agendi jus est, reconvenire etiam possunt. Itaque excommunicatus, cum agere nequeat, non poterit reconvenire, quamvis contra actionem recte opponat exceptionem, quod excipere non sit agere, sed se defendere. Actor vero a Judice reconventus alia reconventione adversus reum uti nequit, ut judicia certis limitibus circumscribantur. Reconventio autem proponi potest vel ante, vel immediate post litem contestatam, vel postquam contestata lite ad alios judicii actus profectum est. Si ante, vel immediate post litem contestatam proponatur, duos effectus parit; prior est prorogatio jurisdictionis, ut Judex de mutua conventione cognoscere possit, nec ab actore amplius recusari queat, cum eumdem habere contra se Judicem dedignari non debeat, coram quo alteram par-

tem in jus vocavit. Alter effectus est simultaneus processus, quatenus actio et reconventio uno eodemque judicio cognosci, et una sententia terminari possint. At si reconventio post litem contestatam aliosque actus judiciales jam proponatur, prorogat quidem jurisdictionem, sed tamen utraque causa simultaneo processu non tractatur, dum causa conventionis prius finienda est, et inde fit transitus ad causam reconventionis, nisi haec liquida omnino esset.

§ CCXIII.

DE ORDINE COGNITIONUM

Contingere quandoque solet, ut exceptiones a reo propositae causas et quaestiones plures excitent, quae certo ordine a legibus definito cognoscendae sunt, ut omnis confusio evitetur. Quem igitur ordinem observare Judex debet in examine plurium quaestionum, quae in eodem judicio concurrant, is cognitionum ordo appellatur. Universim duae regulae traduntur: prima est, quoties in eodem judicio plures causae concurrunt, primum cognoscenda causa est, a qua altera pendet: secunda regula est, si neutra causa ab altera pendeat et utraque sit principalis, prius proposita, prius quoque tractanda est. Ex quibus regulis haec sequuntur: 1. Si civilis et criminalis causa concurrat, criminalis tamquam praecipua ante civilem absolvenda. 2. Si altera ex propositis causis praejudicialis sit, haec prius tractari ac definiri debet; praejudicialis autem dicitur, quando ab ejus decisione alterius decisio pendet. Ita si mulier aliquem peteret seu vindicaret in maritum adhibitis testibus; is vero exceptionem consanguinitatis objiceret, prius de consanguinitate pronunciandum esset quam de Matrimo-

nio, siquidem consanguinitate probata quaestio principalis perimitur, cum inter consanguineos constare matrimonium non possit. Ita prius tractanda est causa status natalium, quam successionis in haereditatem jure cognationis; prius causa de validitate matrimonii, quam de dote; prius de canonica institutione in beneficium, quam de decimis dandis: idque locum sibi vindicat sive causa civilis praejudicet civili, sive criminali, sive vicissim: de quo vide Gratianum in Can. Prius est caus. 3. quaest. 11. Pariter de exceptionibus a reo propositis prius videndum est, quam de causa principali, nam si exceptio peremptoria est, jus agendi perimit; si dilatoria, retardat. 3. Exceptionibus peremptoriis et delatoriis affines sunt quaestiones incidentes et emergentes, unde tritum effatum est « *incidens quaestio perimit, emergens differt.* » Incidens quaestio dicitur, quae ante judicium inchoatum originem habet, seu quae negotium principale et causam ipsam attingit, qualis est exceptio consanguinitatis, pacti de non petendo; emergens vocatur quae post judicium inchoatum, atque adeo in ipso judicio orta est, quasi tunc emergat, seu quae processum et ordinem litis tangit, ex. gr. an testis a muliere productus recipiendus sit. 4. Quaestiones etiam praeparatoriae ante alias cognoscendae sunt: praeparatoria vero est, quae cardinem controversiae non continet, viam tamen expeditiorem parat ad controversiam dirimendam. Sic cognitio de possessione praemittenda est cognitioni de proprietate rei, quatenus ex ea intelligitur, utri litigantium sint commoda possessionis, et utri incumbat onus probandae proprietatis.

§ CCXIV.

DE LITIS CONTESTATIONE ET JUREJURANDO CALUMNIAE

Si reus ultro fateatur se debere, lis sublata est. At si intentioni actoris contradicens contendere in judicio paratus sit, lis dicitur contestata. Notum enim est « *quod per petitionem in jure propositam, et responsionem sequutam contestatio litis fiat.* » cap. 1. de lit. contestat. Responsio autem negativa esse debet, quae ex certa scientia procedat, et animum litigandi per verba non ambigua, nec obscura significet. Sed necesse non est, ut responsio sit specialis, quae scilicet ad singula capita singillatim respondeat, sed sufficit generalis, qua reus intentioni actoris generatim contradicit, et hinc jure Decretalium positiones inventae sunt, quibus controversiae status constituitur. Ceterum contumacia rei loco contestationis est, unde contestatio duplex, aut vera quando reus expresse contradicit, aut ficta quando ob ejus contumaciam lis pro contestata habetur. Contestatio initium et fundamentum judicii est: quamobrem ante contestationem nec recipi testes, nec alia probatio admitti potest, eoque minus sententia proferri, nisi aut natura causae, ex. gr. ob periculum fornicationis in causis super validitate matrimonii jam contracti, ob detrimentum Ecclesiae ex longiori viduitate, in causis de valore electionis, aut provisione Ecclesiae, aut nisi periculum amittendae probationis id exigat, quo casu examini testium ad perpetuam rei memoriam locus erit. Attamen hujusmodi examen testium actori longe difficilius conceditur, quam reo, Cap. 41. et 43. de Testibus. Effectus contestationis quatuor praecipui sunt. Prior ex parte Judicis est, quod amplius ut suspectus, vel incompetens rejici nequeat, nisi nova ali-

qua suspicionis causa supervenerit. Alter ex parte actoris, quod actio temporalis ad quadraginta annos perpetuetur, actiones autem personales, ceu actio injuriarum, ad haeredes et contra haeredes transeant. Tertius respectu rei, quod in mora et mala fide constituatur. Quartus ex parte litigantium est, quod uterque instante altero teneatur inceptum judicium prosequi, et mandatum Procuratoris per obitum alterutrius non exspirat.

Post litem contestatam, ne fraudibus et deceptionibus litigantes uterentur, primum quidem a jure Romano inventum, et deinceps Decretalium auctoritate receptum est jusjurandum propter calumniam, quo actor jurat « *non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere* »; reus vero jurat « *quod putans se bona instantia uti ad reluctandum pervenerit* », ut Justinianus habet L. 2. Cod. de Jurejurando propt. calumn. Glossa in cap. 1. hoc tit. tradit, in juramento calumniae quinque capitula contineri, scilicet partes jurant, 1. quod se bonam causam habere credant. 2. Quod interrogati nolint veritatem inficiari. 3. Quod scienter falsa probatione non utantur. 4. Quod dilationem non petant in fraudem, animo scilicet protrahendi seu differendi judicii. 5. Quod nil dederint, nec promiserint, nec deinceps daturi sint, nisi illis personis, quibus leges dare permittunt. At jusjurandum sic descriptum generale est, in eoque continentur tria specialia juramenta, quae distinguit Bonifacius VIII. cap. 2. eod. in 6.°, videlicet juramentum calumniae, juramentum veritatis, et juramentum malitiae. Itaque juramentum calumniae ad fraudes quascumque removendas pertinet, totamque litem complectitur: juramentum autem veritatis, et juramentum malitiae super aliquo tantum litis articulo defertur, eoque jurans promittit se veritatem dicturum, et altero jurat se nihil malitiose agere vel proponere. Quapro-

pter juramentum calumniae, quum universam litem spectet, semel tantum ab utraque parte interponitur, sed juramenta aut veritatis, aut malitiae pluries exigere pars altera ab altera potest, quoties Judex ob fraudis vel malitiae suspicionem judicaverit expedire. Jure civili nec tacito partium consensu, nec expresso jusjurandum calumniae remitti potest, quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate inductum est, ut scilicet Sacramenti religione fraudes omnes a judiciis arcerentur. At Jure Canonico tacite remitti potest, nec propterea processus nullus est; quippe juramentum calumniae ad substantiam ordinis judiciarii non pertinet, ejusque tacita remissione calumniandi facultas non tribuitur; quid enim est tacite remittere? Idem propemodum quod non exigere, ac proinde peti adhuc poterit, si calumnia aut fraus aliqua timeatur. Quare ipso Jure Decretalium, si juramentum calumniae, quod neutiquam postulatum fuerit, exinde petatur, praestandum omnino est, et si actor jurare noluerit, ab instituta actione cadet, reus autem jurare detrectans habetur pro confesso; neuter tamen hanc poenam incurrit, nisi postquam sententia Judicis accesserit. Praestatur autem hoc juramentum in omnibus causis etiam spiritualibus tum in prima, tum in secunda instantia, non tamen in criminalibus deferendum reo est ob ingens periculum perjurii, quin imo Benedictus XIII. in Concil. Roman. tit. 13. cap. 2. jussit, ut ne in posterum sub poena nullitatis omnium actorum exigeretur a reis juramentum de veritate dicenda, cum criminaliter uti principales examinantur. Jurant vero de calumnia non modo litigantes, verum etiam ipsi procuratores, tutores et curatores; Clerici etiam in causis propriis hoc juramentum declinare non possunt, verumtamen si propriae Ecclesiae causam egerint, juramentum hujusmodi subire inconsultis eorum Praelatis non coguntur.

§ CCXV.

DE PROBATIONIBUS GENERATIM

Contestata lite, cognitisque a Judice litigantium petitionibus ad probationes veniendum est. Probatio autem est facti alicujus dubii apud Judicem legitime facta demonstratio. Ex qua definitione intelligitur solas res, seu facta dubia probanda esse, non vero notoria, vel ab adversario admissa, non ea quae juris sunt; haec enim Judici perspecta censentur, nisi sint jura consuetudinaria quorum vis in facto consistit. Hinc sequitur probandi onus illi incumbere qui factum allegat, quo veluti fundamento ejus petitio vel exceptio innitatur. Itaque in primis actor probare debet quae affirmat, eoque non probante reus, etsi nihil praestiterit, absolvendus est. Reus etiam exceptionem suam, qua aliquid affirmat, probare tenetur, unde Ulpianus in L. 19. ff. de Probat. praeclare dixit: « *in exceptionibus reum partibus actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem, veluti intentionem, implere ut puta si pacti conventi exceptione utatur, docere debet pactum conventum factum esse.* » At si litigans factum ab altero allegatum simpliciter neget, negationem probare non tenetur, qui enim simpliciter negat, nihil ponit quo negationis ratio reddi possit, atque ideo L. 13. Cod. de Probat. et cap. 11. eod tit. ait: « *per rerum naturam rei factum negantis probationem nullam esse* »; quae tamen regula triplicem exceptionem habet: 1. Nempe nisi negatio petitionis fundamentum constituat; non minus enim probare debet qui asserit sibi centum mutui causa deberi, quam substitutus qui petit haereditatem, propterea quod neget eam a scripto haerede aditam fuisse. 2. Nisi negatio affirmativam propositionem seu allegationem novi facti

virtualiter contineat, veluti si quis negaverit sua sponte beneficium renunciasse, illudque propterea retinere velit, opus est ut vim metumque sibi illatum fuisse demonstret; negando enim se sponte renuntiasse, implicite affirmat vim metumque illatum sibi fuisse. 3. Denique nisi praesumptio juris negationi faveat, nam ex Cap. 2. de Restitut. spoliat. in 6.° « *is liberatur ab onere probandi, pro quo militat praesumptio juris.* »

Probatio vel plena est, vel semiplena: plena quae tantum fidem facit, quanta ad controversiam definiendam satis sit. Hujusmodi est confessio judicialis, testimonium duorum, trium testium exploratae fidei, instrumentum publicum, vel alia scriptura authentica, praesumptio juris et de jure. Probatio semiplena est, quae fidem aliquam facit, non eam tamen quae ad litem finiendam sufficiat; talis est confessio extrajudicialis, dictum unius testis fide digni, instrumentum seu scriptura privata, comparatio literarum, fama et praesumptio levis. Igitur plura sunt genera probationum, et praecipue sex vulgo numerantur, nempe confessio, ocularis inspectio, testes, instrumenta seu scripturae, indicia seu praesumptiones, et jusjurandum.

§ CCXVI.

DE PROBATIONIBUS PER CONFESSIONEM

Primum itaque locum inter plenas probationes sibi vindicat confessio, cum nulla sit plenior probatio, quam ea quae a proprii oris confessione procedit. Confessio autem dividitur 1. in discretam et indiscretam. Discreta dicitur qua exprimitur causa unde obligatio orta est, indiscreta quae fit sine adjectione ejusdem causae, ut si quis fateatur, se centum debere Cajo non expresso contractu ex quo debeat. 2. Dividitur in simplicem et qua-

lificatam: prior est ubi confessioni nulla limitatio adjicitur; posterior autem, quando confessioni aliqua limitatio, seu conditio, seu circumstantia obligationem aut crimen excusans vel imminuens adjungatur, veluti si quis mutuum accepisse fateatur, sed simul solvisse affirmet, si hominem occidisse confiteatur, sed necessariae defensionis ergo, et servato moderamine inculpatae tutelae. 3. Dividitur in judicialem, quae fit in judicio et coram judice competente, et in extrajudicialem quae fit extra judicium, aut fit quidem in judicio, sed coram Judice non competente. Rursus confessio judicialis dividitur in expressam et tacitam: expressa vocatur quae fit verbis, scriptura, vel signis aliis declarandae voluntati accomodatis; tacita est quae ex facto aliquo elicitur, vel a lege fingitur intervenisse. Sic tacite censetur confiteri, qui cum actore super delicto privato transigit, sic intentionem adversarii fateri censetur qui ad ejusdem positiones, cum Judex jusserit, respondere detrectat. De singulis hujusmodi confessionibus haec universim tenenda sunt. Confessio discreta vel in scriptis vel sine scriptis coram adversario facta, modo per duos testes integrae fidei comprobetur, plenam fidem omnino facit. Indiscreta praesente adversario prolata semiplene probat, quum ob ejus praesentiam praesumatur facta cum aliqua deliberatione; si autem adversario absente emittatur, nihil probat omnino, nam censetur ex praecipitantia et animo non deliberato processisse. Confessio simplex est plena probatio, sed qualificata aliquando dividi, seu in partem rejici, et in partem recipi potest, aliquando vel tota recipienda est, vel tota repudianda. Igitur distinctione opus est. Si conditio confessioni addita praesumptionem juris contra se habeat, tunc confessio quidem recipitur, non autem conditio nisi probetur; veluti si quis homicidium fassus sit, sed necessariae defensionis causa, confessio homicidii admittitur, qualitas autem necessariae defensionis proban-

da erit, quia juris praesumptio est, eum qui peccidit animum nocendi habuisse. At si conditioni seu qualitati adjunctae praesumptio juris non repugnet, adhuc tamen videndum erit, an conditio ipsa et substantia confessionis ad unum eumdemque actum pertineant, uti si dixeris, te sponsalia promisisse hac tamen conditione, si parentes consenserint; te vendidisse, sed pacto legis commissoriae. Itaque in his casibus, sicut substantia confessionis, et conditio eumdem veluti actum constituunt, sic vel tota confessio recipi, vel tota respui debet, nisi altera pars aut conditionem impletam, aut obligationem fuisse puram non demonstraverit. At vero si substantia confessionis, et conditio ad diversos actus et plane distinctos referantur, uti si reus fateatur mutuum, sed affirmet mutuum reddidisse, tum actor potest confessionem de accepto mutuo admittere, alteram vero partem confessionis de mutuo reddito non recipere, donec reus hoc novum et posterius factum solutionis non comprobaverit. Denique confessio judicialis vim plenissimae probationis habet, et litem omnino dirimit; confessum enim pro judicato esse, seque sua sententia quodammodo condemnare Paulus affirmat, L. 1. ff. de confessis. Confessio autem tum plene probat, si fiat coram Judice competente ex certa scientia et libertate, et ab eo qui aetate major sit. At confessio soli poenitenti nocet, non tertio; nulli siquidem in praejudicium tertii creditur, imo nec confessio unius ceteros litis consortes gravat, praesertim si causa sit dividua. Unde si confessus delictum proprium (crimine laesae majestatis excepto) complices patefecerit, adversus eos nihil probat, nisi aliunde suspecti sint, cap. 1. de confess.; pariter si quidam ex haeredibus ejus, quem debitorem meum fuisse contendo, debitum pro sua portione agnoverit et persolverit, non propterea ceteri ad solutionem urgentur, nisi debitum probatum fuerit, L. 1. Cod.

« *res inter alios actas vel judicatas aliis non nocere* ». At vero procuratoris specialis, aut mandato cum libera muniti, item Tutoris et Praelati confessio nocet etiam mandanti, pupillo, Ecclesiae, si illi necessitate officii, et in judicio, non vero si sponte, aut extra officium et judicium fateantur. Confessio autem extrajudicialis scienter et sponte facta, si praesertim discreta sit, vim plenae probationis obtinet, secus enim rem dubiam relinquit, et magis vel minus probat, et nullam probationem aut semiplenam tantum inducit. Porro ad eliciendam partis adversae confessionem institutae sunt positiones seu breves quaedam propositiones, sive articuli praecipua judicii capita complectentes, ut iis confessione adversarii constitutis aut negatis pateat alteri quid sibi deinceps probandum sit, quidve in probatis habendum. Namque positiones exhibens levatur ab onere probandi quidquid pars adversa affirmaverit, et ea tantum probanda supersunt quae negaverit. Positionibus autem non minus actor quam reus ad faciliorem reddendam actionis vel exceptionis probationem uti potest. Verum ad calumnias fraudesque hac in re avertendas defertur proponenti et responsuro juramentum a forensibus nuncupatum dandorum et respondendorum, quo alter jurat se nihil per calumniam posuisse, alter se nihil per eamdem responsurum. Qui vero instante parte et praecepto Judicis urgente aut respondere recusat, aut per contumaciam abest, quantum ad ea quae in positionibus sive articulis continentur, pro confesso habetur, Cap. 2. de confessis in 6.°, si tamen causa civilis fuerit; nam in causis criminalibus reus per contumaciam absens, aut respondere detrectans indicium criminis praebet, non exinde tamen pro confesso habendum esse Doctores communiter sentiunt; quandoquidem ad poenam irrogandam probationes omnino liquidae et meridiana luce

clariores postulantur, L. Absentem ff. de poenis, et L. fin. Cod. de Probat. Verum litigans non tenetur respondere interrogationibus perplexis, dubiis, obscuris, captiosis ad causam non pertinentibus, imo nec reus, si Judex non legitime interrogat, veluti si fuerit incompetens, suspectus, aut interroget de occulto crimine, non obstringitur crimen ipsum prodere « *sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere,* » ut docet S. Thomas 2. 2.ae q. 69. a. 1.

§ CCXVII.

DE PROBATIONE PER OCULAREM INSPECTIONEM

Ubi res confessione non constat, aliis probationum speciebus inquirenda est. Igitur altera probationis species est inspectio ocularis, quam forenses *accessum* vocant, quia Judex accedit ad inspiciendam rem ipsam quae in controversiam adducitur. Fieri autem debet vel a Judice ipso, vel a viris in arte peritis ad id muneris deputatis, ac citatis litigantibus, dum ex aequo de utriusque praejudicio agatur. Inspectionis autem praecipuus usus est in eis quae oculis subjiciuntur, uti in causis finium regundorum, servitutum reparationis Ecclesiae, impotentiae conjugum, vulnerationis hominum, et similium, quae inspectio, si recte fiat, validissima probatio est, vel potius demonstratio veritatis, ita ut latam ex eo sententiam in rem judicatam transire plures existimarunt.

§ CCXVIII.

DE PROBATIONE PER TESTES

Tertiam probationis speciem constituunt testes, scilicet personae fide dignae in judicium vocatae ut de re

controversa testimonium ferant. Testes autem esse possunt, quotquot jure non prohibentur: omnes enim de jure censentur idonei, qui specialiter non probantur excepti, cap. 1. de testibus, ubi Glossa animadvertit: « *quod edictum de testibus prohibitorium sit, ut quilibet admittatur qui non repellitur.* » Verum permulti sunt, qui a testimonio dicendo vel in totum rejiciuntur, vel pro certis personis tantum, vel contra certas personas, vel certis denique causis. Generatim et pro omnibus causis rejiciuntur qui laborant defectu aut aetatis, aut judicii, aut probitatis morum. Itaque defectu aetatis arcentur impuberes, licet pubertati proximi in crimine laesae majestatis admittantur: defectu judicii repelluntur furiosi, ebrii et amentes: demum defectu probitatis morum arcentur usurarii, perjurii, haeretici, infames omnes, nisi infamia facti laborantes mores mutaverint, et civiliter agatur, cap. 54. hoc tit.

Pro certis personis testimonium ferre nequeunt. 1. Parentes pro liberis, vel liberi pro parentibus, quia mutuus amor suspectos reddit. Attamen admittuntur parentes, si de affinitate, filiatione, aetate quaeratur, et generatim in causis matrimonialibus liberorum, cap. 22. hoc tit., illi enim haec melius norunt, et eorum maxime interest, ne consanguinei conjuncti cum ignominia separentur, cap. 5. eod. 2. Consanguinei vel affines pro consanguineis et affinibus in linea recta universim, in obliqua vero ad tertium usque gradum saltem in criminalibus, itemque familiares et domestici « *quia propinquitatis vel familiaritatis ac dominationis affectio veritatem impedire solet.* » quam rationem affert Can. 12. caus. 3. quaest. 5.

Contra certas personas testimonium dicere prohibentur: 1. Parentes contra liberos, et liberi adversus parentes, ne pietas contaminetur. 2. Conjux adversus conjugem, ne concordia conjugalis perturbetur. 3. Amici et inimici

adversus amicos et inimicos, cap. 9. de Accusat., in quibus tamen amicitiae et inimicitiae gradus et personarum qualitas spectanda sunt. 4. Advocati et Procuratores adversus clientes in causis in quibus operam et patrocinium suum exhibuerunt. 5. Judaei et pagani adversus Christianos, et laici adversus Clericos in causis criminalibus, vel quod plerumque solent laici esse Clericis infesti, vel maxime ob reverentiam quae Clericis debetur. Laici tamen adversus Clericos idonei testes sunt in delictis haeresis, laesae majestatis, simoniae, aliisve scandalosis et notoriis, et ubi adversus Clericum alius testis praeterquam laicus haberi nequeat. Demum pro certis causis testes esse prohibentur: 1. Minores in causis criminalibus, tamquam arduis et momentosis, nisi vigesimum aetatis annum expleverint, et alii testes deficiant, vel de criminibus exceptis quaeratur. 2. Clerici in causa sanguinis. 3. Mulieres in causis criminalibus, quia varium et mutabile semper foemina, ut Virgilius inquit. 4. Denique nemo est testis idoneus in causa propria, vel in iis causis unde sperat emolumentum.

Post testium personas ipsorum quoque dicta seu attestationes ad trutinam revocandae sunt: non enim sufficit idoneum testem esse, nisi etiam apposite apteque testetur. Igitur ad fidem in judiciis faciendam postulatur; 1. Ut testimonium dicatur voce, et non scripto; Judex enim certior de re efficitur magis per verba, quam per literas, et praesertim in criminalibus ex vultu, gestu, titubatione facile dignoscitur, an testis ex animi sententia loquatur. 2. Sit conforme articulo; nam ex cap. 9. de Probation. « *testes repelluntur qui non probant illud ad quod probandum inducti sunt.* » 3. Ut sit clarum et perspicuum; namque obscurum, dubium vel incertum penitus nihil probat, veluti si testis verbis ambiguis, vel non cohaerentibus respondeat, aut testimonium dicat per ver-

ba: - si bene memini, arbitror, ni fallor, videtur, et hujusmodi. - Quid enim inde colligi potest, quod valeat ad fidem faciendam? 4. Ut causam scientiae contineat, videlicet an ipse testis interfuerit rei gestae, an viderit, vel praesens audierit an ex aliorum narratione vel fama acceperit. Hinc Innocentius III. receptionem testium committens Episcopo Placentino cap. 33. hoc tit. ait: «*eos diligenter examinare procures, et de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, et certitudine cuncta plene conscribas.* » Porro autem recipiendorum testium forma in jure proposita est. Igitur actor aut reus per testes probaturus nominat seu producit testes, quos inde Judex ad dicendum testimonium citare debet, testis enim qui sponte accedit, pro suspecto habetur, nec ei creditur. Citari insuper debet altera pars, contra quam testes producti sunt, ut si quid adversus testes ipsos aut articulos probatoriales habeat, objicere possit. Testes autem ab ipso Judice interrogandi et examinandi sunt, et si qui ob senium, valetudinem, aliamve justam causam ad Judicem venire nequeant, personae idoneae et discretae ad eos mittantur quae eosdem interrogent. Antequam vero examinentur, testes jurabunt, se non odio neque gratia neque ulla spe aut lucro, sed unius veritatis studio testimonium dicturos; injuratis enim testibus non creditur nisi eis ab adversa parte jusjurandum remittatur. Quos testes admissos et juratos Judex clam et seorsim ab aliis, et litigantibus remotis, ex recepto fori usu debet examinare, et si qui fuerint citati, vel testificari recusent, vel juramentum praestare nolint, cogi possunt a Judice saeculari per mulctae indictionem, vel captis pignoribus, aliisque poenis a Judice Ecclesiastico per monitiones atque etiam per censuras ecclesiasticas. Examine peracto testimonia recepta evulganda sunt, et litigantibus ostendenda, ut pos-

sint proferre si quid habeant opponendum. At post factam publicationem nec iidem, nec alii testes super eisdem articulis, aut aliis directe contrariis interrogentur, nisi forte aliqui articuli omissi fuerint, aut specialis ratio, aut qualitas causae ex. gr. matrimonialis id postulet. Neque etiam exceptiones contra personas testium amplius admittuntur « *nisi qui objicere voluerit, juramento firmaverit, quod ad haec malitia non procedat, aut ante publicationem id fuerit protestatus vel ostendere possit, quod post publicationem didicerit quod objicit in personis.* » Cap. 31. de Testibus.

Generatim vero duo saltem testes idonei et concordes plenam in judicio fidem faciunt, nisi jus plures postulet quam duos, ut in causis contra Episcopos, in testamentis, in codicillis, in donationibus causa mortis, nisi jus ipsum unico teste contentum sit, ut est: 1. In causis nemini praejudicium allaturis, sed plane favorabilibus; veluti si quaeratur an Ecclesia sit consecrata, an aliquis sit baptizatus? In rebus ad proprium officium spectantibus, ut cursor de citatione exequuta. 3. Si agatur de peccato vitando, veluti si unus testis de consanguinitate testetur, matrimonium celebrari nequit. Hinc Cap. 22. de Testibus Pontifex respondet testimonium unius valere, si sola mater alterutrius sponsi impedimentum opponat, et deinceps ita subdit: « *si vero matrimonium ratum est et consummatum, sine juramento plurium non debet dissolvi.* » Plures vero testes, sed singulares qui nempe de uno eodemque facto aut contraria aut diversa testimonia circa personam, rem, causam, tempus, locum et circumstantias dicunt, aut nihil aut semiplene probant, si etenim sibi penitus contradicant, nullam fidem faciunt quia testimonium alterius ab altero plane eliditur; si vero diversa testentur, non tamen contraria, semiplene ad summum probant, quia eorum quilibet in propria attestatione testis

est unicus; at si diversa quidem testimonia dicant, quae tamen mutuo faciant ad id probandum quod quaeritur, semiplene probant, et interdum in causis civilibus etiam plene, veluti si in causa de jure decimandi unus testis de uno actu, alter de altero testificetur.

§ CCXIX.

DE PROBATIONE PER INSTRUMENTA

Quartam probationum speciem faciunt instrumenta, seu scripturae ad fidem faciendam idoneae. Sunt instrumenta seu scripturae vel publicae, vel privatae. Publicae sunt quae a publica persona idest publica auctoritate munita secundum formam legitimam conficiuntur, qualia sunt instrumenta a Notariis rite confecta. « *Duo proinde*, ait Van-Espen Jure Eccl. univ. p. 3. tit 7., *requiruntur, ut hoc pacto dicatur publicum et legitimum instrumentum, nimirum quod confectum sit a persona publica, idest auctoritate publica ad conficienda instrumenta constituta, et secundo quod in legitima forma quam leges et stylus patriae vel Curiae requirunt, sit confectum.* » Privatae sunt, quae a privatis personis conscribuntur, uti apochae, antapochae, syngraphae, codices rationum, epistolae. Scripturis publicis accensentur Scripturae, quae a Doctoribus authenticae et etiam monumenta publica vocari solent, quae talia sunt vel ex auctoritate Judicis, uti acta judicialia; vel ex sigillo authentico quo obsignantur, veluti Episcopi, Principis, Universitatis, vel alterius publici Corporis, aut personae in eminenti et publica auctoritate constitutae, hisque addi possunt etiam Libri parochiales, census insinuationes, acta Conciliorum, et hujusmodi; vel demum ex loco publico ubi custodiuntur, quales sunt scripturae ex publico Archivio desumptae.

Publica instrumenta aliaeque scripturae publicae aut authenticae plenam in judicio fidem faciunt, dummodo sint genuinae, legitimae et authographae. Genuinae intelliguntur quae non sunt suppositae neque falsae; nam instrumenti falsitas vel alio instrumento vel testibus demonstrari potest. Ratione etiam liturae seu deletionis reprobari instrumentum poterit, si tamen literae abrasae sint in aliqua parte substantiali; namque si litura fuerit in parte non substantiali, nihil fidei instrumento detrahit, modo in ceteris partibus integrum sit, non abrasum, nec corruptum. Legitimae dicuntur, quae secundum leges confectae sunt, nam actus ex defectu formae substantialis a legibus requisitae omnino corruit. Demum authographae desiderantur, hoc est originales, nam exemplo non facile creditur, nisi per publicam personam ex originali legitime desumptum fuerit, compertumque sit cum originali probe convenire.

Privatae Scripturae contra scribentem plene probant, si de ipsarum veritate constet, et causa debiti expressa sit; pro scribente vero probant nihil. Excipiuntur libri Mercatorum ratione sociorum, et omnis Scriptura privata quae tribus testibus munita fuerit.

§ CCXX.

DE PROBATIONE PER PRAESUMPTIONEM

Inter species probationum locum sibi vindicat praesumptio, quae definitur anticipata rei dubiae opinio ex argumentis, indiciis, et conjecturis desumpta, atque ideo praesumptio dicta est quasi aliquid ante sumat, quandoquidem ante legitimas probationes aliquid pro vero sumat, ut observat Tuldenus in Cod. de Probation. Differt autem praesumptio a fictione juris, quod praesumptio

verum aut verosimile sectetur, fictio autem juris manifestam quoque falsitatem pro veritate sumit, veluti dum existente in utero, quando agitur de ejus commodo, jus fingit esse natum, patrem et filium unam eamdemque esse personam. Praesumptio autem aut legis est, aut hominis. Prior a lege procedit, quatenus in aliqua lege vel Canone expressa est, nec a Judicis arbitrio pendet. Praesumptio hominis est Judicis conjectura nullo jure firmata quae tamen ex facti qualitate vel circumstantiis non temere conjicitur. Praesumptio juris dividitur in praesumptionem juris tantum, et in praesumptionem juris et de jure. Praesumptio juris est, quae a legibus ita probatur ut vim plenae probationis habeat, nisi contrarium demonstretur; ita jura volunt ut ex possessione praesumatur rem esse possidentis, donec aliter demonstretur; filium in matrimonio natum legitimum esse, donec impotentia, vel absentia tempore conceptionis manifestissime comprobetur. Praesumptio juris et de jure est, quae ita a lege confirmatur, ut non modo plenae probationis vim habeat, sed ne contrariam quidem probationem admittat. Celebre hujus praesumptionis exemplum est in Cap. Is qui de Sponsal. et Matrim. « *Is qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copula subsequuta, etsi in faciem Ecclesiae ducat alium et cognoscat, ad primam redire tenetur, quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda.* » Sed de hoc vide Conc. Trid. de Ref. Matr. sess. 24. cap. 1.

Praesumptio hominis est, quam Judex ex factis et circumstantiis colligit, et proinde magis aut minus probat, prout ea verosimiliora sunt, nec ne. Quamobrem haec praesumptio dividitur in levem, sive ex levibus indiciis ortam quae suspicionis etiam nomine venit, et in probabilem ex gravibus nempe et probabilibus indiciis desumptam, et in violentam aut vehementem, quae ni-

mirum nascitur ex hujusmodi indiciis, quae, aut nunquam, aut raro admodum fallunt. Praesumptio hominis quae nonnisi levis est, nihil probat; probabilis fidem semiplenam facit, Cap. 44. de sent. excomm; violenta plene probat, Cap. 12. de Praesumpt. Imo vero praesumptiones vehementes et violentae etiam in causis criminalibus satis sunt, ut Judex poenam ordinariam, non capitalem infligere possit, secus enim multa crimina impunita manerent, cum plerumque probari aliter nequeat. Utrum autem ex violenta et vehementi praesumptione aliquis jure possit capite condemnari, controversia est, de qua Interpretes ad Cap. 14. de praesumpt.

§ CCXXI.

DE PROBATIONE PER JUSJURANDUM

Quando per ordinarias probationes non licet Judici veritatem ita compertam habere, ut satis esse putet ad sententiam dicendam, tum denique jurijurando locus est quo veritas ab ipsis litigantibus religione interposita extorquetur. Quapropter jusjurandum tamquam aptissimum finiendis litibus remedium in Jure civili probatum est. Dirimuntur autem lites per jusjurandum delatum aut ex pactione ipsorum litigantium, aut Judicis auctoritate. Jusjurandum priori modo delatum dicitur voluntarium, quod pars parti extra judicium defert ea conditione, ut velit ab omni judicio abstinere si praestiterit: nititur unice conventione partium, remque componit per modum transactionis; unde nemo illud invitus praestare aut deferenti referre tenetur, si malit jus suum in judicio experiri. Si tamen jusjurandum praestitum fuerit, parit juranti adversus deferentem ejusque haeredes actionem in factum ad id quod sibi deberi juravit, et exceptionem quae litis

ingressum impedit, si nihil se debere juraverit; imo vero communior sententia est juramentum voluntarium, etiam detecto postea perjurio, rescindi non posse, adeoque nec causam eodem juramento decisam retractari; quod colligunt ex L. fin. de reb. credit. « *causa jurejurando ex consensu utriusque partis decisa, nec perjurii praetextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur.* » Attamen ea durior opinio videtur tum maxime, quum non praetextu perjurii agatur, sed perjurium evidenter probetur. Verum aliquando fit, ut litigantes post susceptum judicium, et in judicio ipso alter alteri, sive reus actori, sive actor reo jusjurandum deferat Judice non cogente, sed approbante, quod proprie jusjurandum judiciale appellatur. Hoc quoque jusjurandum in judiciis receptum est, ne quis inopia plenae probationis jus suum deserere cogatur, sed jurejurando in locum probationis suffecto is causam vincat qui juraverit. Itaque litigans, cui juramentum offertur, vel praestare debet vel referre; refert autem qui jurandi conditionem sibi oblatam rejicit in offerentem. Aliquando etiam jusjurandum hujusmodi ab ipso Judice alterutri parti ad probationem complendam defertur, et tunc jusjurandum necessarium appellatur, ita ut judiciale et necessarium unum idemque juramenti genus sit. Utrumque vocatur tum suppletorium quia defectum probationum supplet, tum etiam litis decisorium, quia lis pro jurante definitur. Porro autem jusjurandum deferre non plus licet quam necessitas ipsa cogat, adeoque sive ab altero litigante, sive a Judice ipso temere delatum fuerit, recusari potest. Itaque actor ubi plene probaverit, jure meritoque jusjurandum respuit; itemque reus, si nihil adhuc ab actore probatum sit, nam ex Cap. fin. de Jurejur. actore non probante reus absolvendus est, etsi nihil praestiterit, adeoque nec juraverit. Quapropter ei tantum qui semiplene probavit,

jusjurandum rite defertur, et si utrinque semiplene probatum sit, jusjurandum reo deferendum est, cum in dubiis ejus causa potior habeatur. Hoc praeterea jusjurandum non defertur in causis civilibus valde arduis, magnique momenti, nisi parce admodum, et habita rei et personarum ratione; juraturus enim testis in propria causa constituitur, ut ex ejus jurejurando sententia proferatur. Nunquam vero in causis criminalibus, nec in causis beneficialibus, neque in iis, ubi de valore matrimonii vel religiosae professionis quaeratur, huic jurijurando locus est, cum in hujusmodi causis perspicuae probationes dumtaxat admittantur.

§ CCXXII.

DE ACCUSATIONIBUS, DENUNCIATIONIBUS ET INQUISITIONIBUS

In civili processu explanando multa complexi sumus quae ad ecclesiasticum processum pertinent. Nunc ea prosequemur quae solius criminalis processus propria sunt, de sententia tum civili, tum criminali, ejusque exceptione postmodum dicturi. Tribus praecipue modis delicta in judicium deferuntur, quibus processus criminalis inchoatur, accusatione nempe, denunciatione, et inquisitione. Accusatio est alicujus criminis ad competentem Judicem solemniter facta delatio: accusatio autem fit ad publicam vindictam, ejusque solemnitas in eo posita est, ut libellus accusatorius exhibeatur, in quo Judicis, accusatoris, et accusati nomina, itemque criminis species, locus, et dies quo patratum, perspicue et distincte contineantur cum inscriptione seu subscriptione Actoris sive accusatoris ipsius, qua se ad talionis poenam obstringat, si in criminis probatione defecerit. Ceterum, ut observat Van-

Espen Jur. Eccl. part. 3. t. 8. c. 1. « *hodie ad praeveniendum accusandi, imo et calumniandi pruritum, aliaque plura incommoda, quae ex privatorum accusationibus oriri nota sunt, consuetudine et specialibus locorum legibus ubique passim sublata est haec auctoritas accusandi criminaliter, sive ad vindictam publicam.* »

Alter in criminalibus procedendi modus Jure Decretalium denunciatio est, quae dividitur in Evangelicam, Canonicam, et Judicialem. Evangelica est, quando praemissa admonitione caritativa et emendatione non sequuta delinquens apud Superiorem tamquam Patrem denunciatur, non quidem ut poena ad vindictam afficiatur, sed ut admonitionibus Superioris ad bonam frugem convertatur. Canonica dicitur, quae certis in casibus per Canones praescripta est, uti denunciatio impedimentorum Matrimonii, rerum furto sublatarum, criminis simoniae, haeresis, et sollicitationis ad turpia. Imo per jus ipsum naturale quivis denuntiare tenetur « *quae pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel temporalem, vel in grave damnum alicujus personae* » uti docet S. Thomas 2. 2. q. 7. a. 1. Demum denunciatio judicialis est, per quam ad Judicem Ecclesiasticum vel civilem aliquod crimen et criminosum defertur, et a vera accusatione in eo tantum distat, quod delator ad criminis probationes non adstringitur, et solemnis in crimen inscriptio non postulatur. Per judicialem denunciationem criminalia judicia instituuntur, quatenus denunciatio loco accusationis habetur, et Judici ad inquirendum viam sternit. Igitur inquisitio est alicujus criminis a Judice competente facta investigatio, ut delicta detegantur, et in reos animadvertatur. Ne vero ex defectu privati delatoris delicta abeant impunita, onus atque cura crimina persequendi, reosque accusandi Advocatis, et Procuratoribus Fisci in utroque foro demandata est. Inquisitionis duo sunt capita:

1. Num delictum patratum sit? 2. A quonam patratum sit? Est autem inquisitio vel generalis, vel specialis: generalis fit duplici modo; prior est quando Superior generatim quaerit de criminibus et personis in communi, veluti cum Episcopus visitans Dioecesim inquirit, an statuta Ecclesiae observentur: An aliqua graviora crimina invalescant. Altero modo fit, quando delictum ex. gr. homicidium, furtum patratum fuisse constat, sed auctor criminis ignotus est, ac propterea Judex in genere inquirit, quisnam delictum perpetraverit.

Ex generali inquisitione si quis in gravem admissi criminis suspicionem venerit, tum speciali inquisitioni locus est, per quam sedulo diligenterque inquiritur, utrum is qui ea suspicione laborat, reapse crimen patraverit.

§ CCXXIII.

DE CITATIONE, ET CAPTURA REORUM

Quoties vero de admisso crimine constat, et indicia si non evidentia et indubitata, at saltem legitima et valde gravia aliquem patrati criminis suspectum faciunt, Judicis est decernere, utrum reus praesumptus simpliciter citandus sit ad informandum, vel ad deponendum, vel ad dicendam causam, quare non debeat aut condemnari ad solvendam poenam, aut excommunicari, suspendi, interdici a divinis, aut declarari in excommunicationem, in crimen laesae majestatis incidisse, utrum etiam simul citandus et capiendus sit, ut ad exitum usque judicii in carceribus custodiatur. Jam vero Judex in decernenda vel citatione simplici, vel citatione simul et captura, duo debet attente diligenterque perpendere, tum scilicet conditionem personae ipsius rei, tum qualitatem et indicia

objecti criminis, ut expressit Ulpianus in L. 1. ff. De custod. et exhibit. reorum. « *De custodia reorum Proconsul aestimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates vel pro innocentia personae, vel pro dignitate ejus qui accusatur, facere solet.* » Itaque ubi levia, aut ambigua sunt indicia criminis, et praesertim si reus praesumptus bona existimatione potiatur, aut saltem mala non laboret, non est ad judicium per capturam pertrahendus. Item si gravia extent criminis indicia, crimen autem leve sit; neque mulieres, neque personae honestioris conditionis carceribus mancipantur, sed praestita cautione juratoria aut datis fidejussoribus a captura immunes erunt. Rursus a captura eximuntur homines valde divites, quod suspicio fugae in eis cesset; tot enim habent fidei sponsores, quot praedia et agros possident. Pariter captura non decernitur ob ea delicta, quae pecuniaria poena luuntur, si tamen reus cautionem praestet de se apud Judicem sistendo, vel de mittendo Procuratore. Restat igitur ut decerni captura possit, quando delictum sit atrox, aut fuga timeatur, aut reus quod objicitur crimen confessus fuerit, aut in ipso delinquendi actu, sive ut ajunt in flagranti crimine deprehendatur: imo vero quisvis in flagranti crimine deprehensus non modo a publicis Curiae Ministris, verum a quibuscumque etiam privatis capi poterit, suoque Judici exhiberi, praesertim si agatur de furibus manifestis, de raptoribus Virginum, viduarum, Diaconissarum, eisque auxilium praestantibus, et de maleficis.

§ CCXXIV.

DE EXAMINE ET TORTURA REORUM

Reus in judicio constitutus summario examini confestim subjici solet, in quo de nomine, genere vitae, causa prehensionis, ac generatim de crimine interrogatur. Illud summarium examen viam praeparat legitimo et ordinario examini, quod necessaria et gravissima criminalis processus pars est; quapropter eum quoque solemniter interrogari oportet qui in summario examine crimen confessus fuerit, vel in ipso flagranti crimine deprehensus. Itaque ordinarium examen, ut legitime fiat, instituendum est a competente Judice pro Tribunali sedente, coram quo reus sistendus est. Reus autem Judici legitime interroganti veritatem fateri tenetur, quae doctrina est S. Thomae 2. 2. q. 69. a. 1. ubi ait: « *Pertinet ad debitum justitiae, quod aliquis obediat suo Superiori in his ad quae jus praelationis se extendit. Judex autem Superior est respectu ejus qui judicatur, et ideo ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.* » Et Catechismus Romanus de octavo praecepto haec habet. « *De reis autem et sontibus vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur.* » At non desunt qui doceant, reum etiam legitime interrogatum nunquam sane nullaque de causa mentiri posse; attamen in causis capitalibus vel gravioribus absque culpa saltem mortali tacere posse, aut interrogationes eludere, uno verbo crimen suum non prodere, quoties sine mendacio id fieri liceat, et adsit spes evadendi poenam, eo quod crimen nondum plene probatum sit, nullumque

grave damnum Reipublicae timeatur. Namque in eo rerum statu neque praecepto Judicis, neque ulli humanae legi vis tanta inest ut reum obliget se ipsum prodere, in suam perniciem conspirare, seque suomet ore jugulare. Hoc siquidem praeceptum attenta hominum natura et naturali studiô et jure servandae vitae inhumanum est aut saltem moraliter impossibile : leges autem et praecepta moraliter impossibilia non obligant, quum plus damni afferant quam emolumenti. Interim vero sententia S. Thomae , et Catechismi Romani magis inter Theologos et Canonistas recepta est: reus tamen ex Constitutione Concilii Romani sub Benedicto XIII. non amplius jusjurandum defert de veritate dicenda, quod alia occasione monuimus. Verum ut illuc redeamus unde oratio profecta est, totum examen erit ex indiciis in generali inquisitione collectis, curabitque Judex aeque crimen atque innocentiam investigare. Sed maxime abstinebit ab interrogationibus dolosis, ambiguis, captiosis, et suggestivis, a verbis asperioribus et minis, a blanditiis et falsa promissione impunitatis, et ab omni alia subdola atque iniqua agendi ratione, nam malis artibus institutum examen vitio suo corruit. Tam Judicis interrogationes, quam rei responsiones a Scriba vel Tabellario summa fide et religione scripto tradenda sunt, et in actis redigenda.

Si reus in judicio crimen ejusque circumstantias perspicue et simpliciter fateatur, causa sublata est. Num eo in casu defensiones concedendae? Certe quidem; non enim licet quemquam indefensum condemnare. Poterit reus, quamvis ultro confessus, contra suam confessionem excipere, eamque tamquam falsam, erroneam, et absurdam traducere, aliasve excusationes ad crimen minuendum exhibere. At si reus crimen omnino negaverit, tum lis inter reum et fiscum contestatur, adeoque ad probationes et ad legitimationem processus veniendum est, in

quem finem recipiuntur testes, instrumenta, et concurrentia indicia, ut legitime probetur, num reus, cujus criminis insimulatur, re quidem vera perpetraverit. Igitur testes, qui in processu informativo auditi sunt, inscio reo rursus examinari debent, ut priorem depositionem ex integro confirment, siquidem nullam fidem faciunt, utpote qui reo non citato testimonia sua deposuerint. Quamobrem citantur denuo, et coram ipso vel ejus procuratore jurant de veritate dicenda, et novo examini clam ipso reo subjiciuntur. Ceterum declarare reus poterit testes in informativo processu auditos habere se pro rite examinatis, adeoque eorum repetitioni renunciare; quod fieri in foro Ecclesiastico consuevit *salvo jure repetendi.*

His peractis opportunum temporis spatium tribuitur reo ad se defendendum, atque ideo processus eidem communicatur, ut inde possit per se vel suum advocatum capita defensionis suae instruere. Nunquam enim fas reo esset sese opportune defendere, nisi prius intelligat probeque sciat quemadmodum de objecto crimine constet. Integrum tamen est fiscali Ministro, vel privato accusatori intra terminum ad defensionem reo datum probationes suas augere aliis citatis testibus et reo ipso ad videnda eorum juramenta, quo vulgo dicitur processum impinguare. At pariter integrum reo est quandocumque novas probationes exhibere, quibus innocentia sua demonstretur; idque licet etiam post sententiam a Judice prolatam, non quod eam semel prolatam Judex mutare queat, sed ut sententiae effectu suspenso causa ad Superiorem Judicem aut Principem ipsum deferatur.

Cum haec omnia utrinque expleta fuerint, acta publicantur, et Judicis est sententiam inde pronunciare. Constat autem ex Lege fin. Cod. de Probat. neminem damnandum esse poena praecipue capitali, nisi probationes criminis

non modo plenae, verum etiam indubitatae et meridiana luce clariores habeantur. Quod si omnibus rite perspectis, et audita rei defensione, adversus eum urgeant indicia quidem gravia, sed tamen nec indubitata nec plena, in foro saeculari quaestiones seu tormenta adhibebantur, quibus afflictus reus vel invitus crimen fateri adigebatur.

Haud memoriae proditum est quo primum tempore in homines saevire coeptum sit, ut ab eis confessio criminis extorqueretur. At mirum est quot quantaque adversus quaestionum usum conscripta sint. Ajunt enim torturam esse injustam, nam vel crimen probatum est, aut non satis probatum. Si primum, poena a legibus statuta infligenda erit, cum ad condemnationem confessio rei non postuletur, ubi veritas criminis ex aliis indubiis probationibus perspecta exploratque sit: Si alterum, ecquid contra aequitatem et naturalem rationem saevitur in innocentem, cum talis habendus sit qui nondum convictus, nec reus probatus est? Neque objicias eum, qui convictus non est, damnari non deberi, sed nec absolvi qui vehementer suspectus est; non enim temere quaestiones adhibentur, sed ubi reus argumentis et indiciis, iisque gravibus et certis urgeatur, adeoque nec absolute reus, nec absolute innocens torquetur, sed graviter suspectus, et quasi convictus cruciatu corporis admonetur ut veritatem fateatur. Qui enim pro abolenda tortura pugnant, facile concedunt graviter suspectum de crimine non poena crimini accomodata plectendum, nec tamquam innocentem dimittendum; at vehementer negant eum torqueri posse quia nec absolvi, nec damnari potest. Si enim damnari non potest, quo jure plectitur poena, quae adeo est atrox et quandoque ipsa morte acerbior? Ad rem S. Augustinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 6. « *Cum quaeritur, utrum sit nocens, cruciatur, et innocens luit pro incerto crimine poe-*

nas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur, ac per hoc ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis. » Igitur qui reus non probatur, nec etiam crucietur: qui innocens non probatur, nec etiam ex capite innocentiae absolvatur, sed ab instantia dumtaxat, ut quandocumque in ipsum possit judicium denuo instaurari, praesertim si nova criminis indicia supervenerint.

Secundo ajunt torturam inductam fuisse ut veritas detegeretur, eam autem fallacem omnino esse et periculosam, quandoquidem compertum est bene multos innocentes vi tormentorum ac metu doloris adactos fuisse ad fatendum crimen quod non commiserant; unde Tullius egregie dixit « *dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persaepe sunt, morique maluerunt falsum fatendo quam inficiando dolere.* » Contra vero scelesti homines corporis et animi duritie praestantes, qui tormenta ferre potuerunt, delictum in ipsis cruciatibus inficiati sunt quod reapse commiserunt. « *Plerique*, ait Ulpianus L. 1. ff. de quaest., *patientia sive duritia ita tormenta contemnunt, ut ab eis veritas exprimi nullo modo possit.* » Itaque mentitur qui ferre tormenta potest, mentitur qui ferre tormenta non potest; ille negando crimen quod patravit, hic fatendo crimen quod non patravit, atque ita reus injuste absolvitur et innocens condemnatur. Et quamquam confessionis in tormentis extortae ratio non habeatur nisi reus post quaestionem in facti confessione perseveret, huic tamen confessionis confirmationi quis unquam fidem adhibeat cum reus si extra tormenta negaverit, iterum et tertio torquebitur, ut in confessione perseveret? Profecto confessionem licet falsam confirmabit, ut novam torturam vitare possit. Quanam ergo fide per hujusmodi confessiones sententia sanguinis proferre in eum poterit « *quo damnato et occiso*, ut inquit Augustinus cit. loco, *utrum nocentem*

an innocentem Judex occiderit, adhuc nescit? » Quod si contingere quandoque possit, ut reus aliquis ex judicio evadat impunis, nisi tormenta adhibeantur, anne longe satius et acquius est vel nocentem non puniri, quam innocentem condemnari?

Haec porro atque alia hujus generis argumenta ab eis afferri solent qui pro tortura ubivis gentium abolenda, quam maxime possunt, enituntur. Verumtamen multi adhuc sunt torturae patroni et defensores. Arbitrantur enim moderatum ipsius usum servandae publicae incolumitati, et improbis hominibus in officio continendis tum utilem, tum etiam necessariam esse, quandoquidem scelesti homines dum se per testes nec detegi, nec convinci posse putarent, sine metu et periculo delinquerent facilius, dum id facturos sperarent impunius, spes enim impunitatis maxima est illecebra peccandi, ac propterea crimina quotidie crescerent et penitus impunita manerent. Quod si interdum innocens torqueatur, id praeter voluntatem fieri ut ipsi asserunt; nec enim in rebus humanis omnia incommoda vitari possunt, et sublata tortura majora essent incommoda et mala pertimescenda. Addunt etiam non temere, neque in omnibus delictis quaestiones adhiberi, sed in criminibus atrocioribus et capitalibus, et ita demum cum veritas aliter inveniri non possit, et Judex ferme certus sit delinquentem esse qui torquetur. Non enim ex quacumque conjectura aut suspicione criminis, verum ex argumentis et indiciis valde urgentibus tormenta decernuntur, nec reus torquetur antequam indiciorum exemplar ei traditum et idonea temporis dilatio data fuerit, ut sese defendendi copiam et facultatem habeat. Praeterea personarum conditio in decernenda quaestione spectatur, nam viri praesertim nobiles et illustres, Decuriones Civitatum, milites, impuberes, et mulieres praegnantes a torturae cru-

ciatu et ignominia eximuntur, nisi de laesae majestatis crimine inquiratur.

In hoc sententiarum discrimine si doctissimum Ludovicum Vives audiamus, ipsius judicium, in Comment. ad verba S. Augustini supra relata, hoc est: « *locus est apud Rhetores communis de tormentis, et contra tormenta. Fortissima sunt quaecumque contra tormenta dicunt; quae pro tormentis futilia atque imbecillia.* » Equidem, si licet et expedit aperte dicere quid sentiam, eorum in opinionem propensior sum qui torturae usum minime approbant. Haec quantum ad institutum nostrum pertinet satis dicta sint, cum praesertim in judiciis ecclesiasticis rarus admodum fuerit torturae usus, et potius leves coercitiones, quam graviora et acerba tormenta infligerentur; nunc autem in ecclesiasticis Curiis tortura quaelibet in desuetudinem penitus abiit.

§ CCXXV.

DE SENTENTIA ET EJUS EXECUTIONE

Causae omnes per sententiam absolvuntur; sed antequam sententia feratur, in causa concludendum est. Fit autem conclusio in causa, dum litigantes ulterioribus probationibus renunciant, et controversiam decisioni Judicis submittunt. Hinc Lex 1. Cod. Theodos. de offic. Judicis in causis cognoscendis haec habet: « *Judex cum causam audire coeperit, litigatorum assertiones vel responsiones patienter accipiat, et omnia plena discussione perquirat. Nec minus litigantibus sua sententia velit obviare, nisi quando ipsi peractis omnibus jam nihil amplius in contentione habuerint quod proponant, et tamdiu actio ventiletur, quousque rei veritas perveniatur, frequenter interrogari oportet, ne aliquid praetermissum fortasse maneat; quia*

si apud ipsum finienda causa est, totum debet agnoscere. » Quod si alter litigantium ulteriori disceptationi renunciaverit, alter vero sine probabili ratione conclusionem differat, Judicis erit terminum praefinire, eoque elapso causam ex officio concludere « *ne litigantibus male certantibus liceat causarum exitum ultra protrahere* ». ut constituit Justinianus Novella 115. Cap. 2. Concinit etiam Cap. 2. de sentent. et re judic. in quo sic statuit. « *Jurgantium controversias celeri sententia terminare, et aequitati congruit et rigori.* » Itaque conclusio in causa efficit, ut acta judicialia claudantur, nec novae probationes aut exceptiones amplius admittantur; non tamen impedit quominus Judex adhuc possit novas tam juris quam facti probationes et illustrationes postulare « *qui usque ad prolationem sententiae debet universa rimari, et interrogare potest de facto, quoties dubitationis aliquid occurrit* » Cap. 10 de fid. instrum. At sunt aliqua causarum genera, in quibus post ipsam conclusionem novae probationes admittuntur, hoc est in causis, ubi periculum peccati subest, puta in causis matrimonialibus, et in causis pupillorum, minorum, et Ecclesiae. Item conclusione facta recipitur nova probatio, si aliquid inopinatum emergat, ut inquit L. 7. ff. de Feriis, veluti si probatio fiat per instrumenta de novo reperta per confessionem alterius partis, aut per facti evidentiam.

Conclusionem sequitur sententia, quo nomine venit controversiae propositae facta a Judice definitio. Dividitur in definitivam et interlocutoriam; prior est quae finem liti imponit, vel absolvendo, vel condemnando, vel declarando: veluti controversia est de fundo aliquo, quem tamquam meum in judicio petivi, Titius autem reus conventus meum esse negavit: Si Judex meum esse pronunciaverit, et Titium ad restitutionem condemnet, causa finita est per sententiam condemnatoriam: si contra non meum

esse pronunciaverit, causa dirempta est per absolutionem, quatenus Titius a restitutione fundi absolvitur. At vero in causis criminalibus praeter sententiam absolutoriam et definitivam, per quam sive accusatore aut fisco crimen non probante, sive reo innocentiam suam demonstrante, reus ipse plane absolvitur, ita ut ob illud crimen ullam amplius molestiam pati, aut rursus in judicium vocari nequeat, aliud absolutionis genus inventum usuque fori receptum est, quod dicitur *absolutio ab instantia* dumtaxat. Fit autem absolutio haec, dum accusatore aut fisco crimen sufficienter et plene non probante, reus non proprie absolvitur a crimine, sed potius vinculis solvitur, ut tamen maneat de sua sorte dubius, et integrum Judici sit novis praesertim emergentibus indiciis eumdem reum denuo accire et judicium in ipsum instaurare. At vero a sententia absolutoria aut condemnatoria multum differt sententia declaratoria. Haec enim nec reum damnat, nec poenam infligit, sed tantum declarat aliquem esse criminis reum, adeoque in condemnationem seu poenam incidisse quae per legem inflicta erat ipsa legis transgressione, seu ipso facto, ut ajunt, incurrenda. Quamobrem in sententia condemnatoria, quamvis poena a lege statuta sit, non tamen a lege ipsa, sed ab homine seu a Judice irrogatur, inde fit ut eadem poena a die latae sententiae vim et effectum consequatur. At in sententia declaratoria, quia poena non infertur a Judice, sed ab eo tantum declaratur per jus ipsum jam illatam fuisse, idcirco, quod pertinet ad ejus effectum, retrotrahitur ad tempus quo delictum patratum est. Quidam ex. gr. habens jus quaesitum eligendi vel nominandi, crimen perpetrat cui privatio juris nominandi aut eligendi ipso facto incurrenda per legem irrogata est: si dein per legitimum Judicem sententia criminis declaratoria proferatur, haec sententia, quod ad poenam privationis attinet, a die com-

missi criminis effectum sortitur, ita ut electiones aut nominationes ab eo die jam factae nullae et irritae habeantur. Excipe tamen actus jurisdictionis qui semper validi sunt, dum Respublica vel Ecclesia ob publicam utilitatem defectum supplent, ubi titulus coloratus et error communis adfuerit.

Sententia interlocutoria est pronunciatio Judicis aliquid jubentis, quo causa magis praeparatur ac promovetur, non terminatur, veluti si Judex inspectionem corporis jubeat, dilationem concedat. Interlocutoriae affinis est sententia provisionalis, per quam Judex cum definire controversiam nequeat, quia nondum satis instructa est, aliquid decernit in re quae dilationem non patitur, ut praesenti necessitati interim provideatur, veluti si agatur de alimentis, de portione congrua, de divortio, de reparatione Ecclesiae quae exitium minitatur. Inter sententiam definitivam et interlocutoriam multum interest; nam 1. differunt ratione firmitatis; quandoquidem interlocutoriam sententiam Judex pronuntians revocare poterit et corrigere, quod arbitris quoque concessum est, L. 19. § ult. ff. de recept. Arbitr., namque simplices interlocutiones potius mandata Judicum et ordinationes actorum judicialium quam verae sententiae sunt, sed latam semel definitivam sententiam declarare Judex potest, non revocare, nec corrigere. « *Judex*, inquit Ulpianus L. 5. ff. de re judicat., *postquam semel sententiam dixit, Judex postea esse desinit.* » 2. Differunt ratione facultatis appellandi, nam a sententia definitiva appellare licet, non vero ab interlocutoria, nisi articulum attingat ex quo causae principalis decisio pendeat, aut aliunde gravamen inferat quod per appellationem a definitiva sententia reparari nequeat, sicut constituit Tridentina Synodus sess. 24. cap. 20. de Reform. 3. Differunt effectu, nam sententia definitiva totam causam absolvit atque dirimit,

interlocutoria de aliquo tantum articulo quidquam decernit; haec infamiam non irrogat, bene vero definitiva in omnibus judiciis et delictis publicis, et in nonnullis etiam privatis, ex quibus quatuor recensentur §. *Ex quibus* Institut. de Poen. tem. litig., nempe furtum, rapina, injuria, et dolus; pluraque in toto ff. De his qui notant. infam.; atque etiam in quatuor contractibus depositi, mandati, tutelae, et societatis sententia condemnatoria infamiam irrogat, si quidem directa actione et propter dolum agatur. 4. Differunt forma, nam interlocutoria solemnitates juris non postulat, sed definitiva observatis solemnitatibus ferenda est.

Jam vero solemnitates hujusmodi sunt: 1. Ut sententia feratur utraque parte praesente, vel saltem citata, et elapso citationis termino. 2. Ut scripto mandata sit, et ab ipso Judice pro tribunali sedente ex scripto recitanda est, nisi Judex sit Episcopus, aut persona valde illustris, quibus ob dignitatis praerogativam facultas permissa est sententiam per alium recitandi. 3. Ut feratur interdiu in loco publico et consueto, et die non feriato. Ceterum in his solemnitatibus extrinsecis praxis Tribunalium servanda est. Praeterea definitivam sententiam intrinsecis solemnitatibus seu qualitatibus praestare oportet, alioquin vel ipso jure nulla est, vel facile rescindi potest. In primis autem sententia, ut ejus sit controversiae finem imponere, generalis et absoluta esse debet. Quamobrem tum super negotio principali, tum super accessoriis quae rei principali connexa et conjuncta sunt, veluti expensae litis, fructus interim percepti, sententia ferenda est, nulla adjecta conditione quae ulteriorem disceptationem postulet; adeoque nullius momenti sententia est, qua Judex pronunciaret Titium ex. gr. non teneri mutuum restituere, eumque a restitutione absolvere, si probaverit pactum de non petendo intercessisse. Enim-

vero haec sententia controversiam non dirimit, cum adhuc incertum sit, utrum actori an reo causa adjudicetur. Debet quoque sententia certa esse, hoc est certo determinare rem quae adjudicatur; siquidem obscura et incerta sententia lites magis excitat quam extinguat, nisi forte non res aliqua speciatim, sed totum aliquod rerum genus seu res in genere petatur, quod fit in judicio universali, ex. gr. petitionis haereditatis, ubi actor non agit ut certam aliquam rem, sed ut haeres declaretur defunctique haereditatem in genere consequatur. Insuper sententia debet esse conformis libello, idest petitioni actoris tum in re quae petitur, tum in causa ex qua petitur, tum in actione qua petitur. Quapropter ex L. fin. Cod. de Fideicommis. libert. fatuus Judex habendus est, qui in aliud quam petitum est, condemnat et absolvit, ejusque sententia ipso jure nulla est. Denique sententia debet conformis esse: sententia enim si juri perspicuo et expresso repugnet, nempe Canonibus et legibus et probatis consuetudinibus, nulla est, nec subsistit, veluti si Judex pronunciaverit electionem factam a suspensis valere, impuberem testari potuisse. Si vero sententia repugnet juribus litigatoris, nempe instrumentis et testibus ac probationibus illius, valet quidem ipso jure, sed per appellationem suspenditur alioque judicio revocatur.

Sententia, postquam lata et publicata est, si ab ea post spatium decem dierum appellatum non sit, transit in auctoritatem rei judicatae, cujus tanta vis est ut in foro externo pro veritate habeatur, nec ab ea liceat amplius provocare. Nonnullae tamen sententiae sunt quae nunquam transeunt in rem judicatam. Et primo quidem sententiae matrimoniales aliaeque spirituales, in quibus animae salus in discrimen adducitur, nam errore detecto revocantur. Itemque non transeunt in rem judicatam sententiae, sive quae manifestam iniquitatem continent, sci-

licet pecunia emptae et a Judice corrupto latae, aut ex falsa causa quam Judex secutus sit et in sententia expresserit, aut ex falsis testibus, instrumentis pronunciatae, sive quae insanabili nullitate laborant, quae nempe a Judice non competente aut contra rem judicatam, aut in praejudicium absentis non contumacis, aut non servato substantiali ordine processus dictae fuerint. Denique sententiae criminales in rem judicatam non transeunt, quia rei semper audiendi sunt si innocentiam suam probare velint.

Postquam vero sententia in rem judicatam abivit, executioni mandanda est, quum vanum sit sententias dicere nisi executioni demandentur. Executio autem est actus jurisdictionis et imperii per quem res judicata, cui victus sponte non pareat, mediis coactivis ad exitum suum perducitur. Itaque Judex arbiter et Judex delegatus, quibus nuda rei cognitio sine ulla jurisdictione et imperio commissa est, sententiam non exequuntur, sed executio pertinet ad Ordinarium delegantem, sive ad Magistratum unde jus cognoscendi profectum est. At Judex Ordinarius sententiam suam exequitur, quin generalis regula est, sententiae executionem ab eo Judice ordinario fieri qui eamdem pronunciaverit. Judex autem Pontificis delegatus, qui ratione causae delegatae ordinariis Judicibus praestat, potestatem acceptam per annum retinet, ut ipse per se sententiam exequi possit, aut aliis committere exequendam. Quod ad tempus executionis attinet, celebris est in causis criminalibus Lex 3. Cod. de custod. reor. « *convictos velox poena subducat, liberandos custodia diuturna non maceret.* » Itaque lex et humanitas postulat, ut qui sontes inventi non sunt, ocyus absolvantur et dimittantur, lex etiam et publicum exemplum exigunt ut celeri poena in reos animadvertatur. Attamen executio condemnatoriae sententiae, si praeser-

tim poena sit capitalis, tantisper differenda est ut sonti locus maneat aut poenam declinandi, aut sese parandi ad vitam christiana poenitentia sanctoque fine claudendam. In causis vero civilibus si actio realis sit, ubi res certa per sententiam evicta est, fit executio; sed in actione personali dantur condemnato induciae quatuor mensium ad rei judicatae executionem, nisi Judex ex rerum circumstantiis duxerit illud tempus producere vel contrahere.

Modus etiam in executione sententiae a jure statutus hic est, ut a rebus mobilibus initium fiat, et quidem in ea quantitate quae debetur; et ubi mobilia satis non sint, immobilia seu stabilia distrahantur, et si haec quoque non extent, vel satis non sint, nomina debitorum ac jura pro modo debiti Creditoribus addicantur. Postremo loco quum bona et nomina sive jura sufficientia desunt, debitor custodiae causa in carcerem detruditur, donec judicato satisfaciat. At misero debitori non omne effugium sublatum est ut carcerem declinare possit. Liberatur enim a carceris molestia per bonorum cessionem, si nempe sua omnia bona creditoribus cedat, ut ex eorum pretio quo fieri possit, et servata temporis et creditorum praerogativa singulis satis fiat. Liberatur, inquam, a carcere, non etiam a restituendi obligatione, si deinceps ad meliorem fortunam pervenerit. Hoc tamen beneficio effugiendae carceris juvantur qui infortunio bonis suis ceciderunt; namque ut apposite tradit Van-Espen Jure Eccl. univ. p. 3. t. 9. c. 4. « *decoctori minime competit hoc beneficium; cum non sit dignus commiseratione qui sua turpitudine causavit sibi inopiam. Cujus ordinis sunt etiam bona sua in fraudem creditorum dissipantes vel alienantes. Similiter qui dolose cum creditoribus suis versati sunt, utpote scientes se solvendos non esse. His adde eos qui spe et animo cedendi contraxerunt.* » Nonnulli tamen sunt qui ad car-

cerem vitandum cessione bonorum non indigent, cum singulare habeant privilegium competentiae. Hoc privilegio Clerici donati sunt, vi cujus ultra id quod facere possunt non excutiuntur, nec propterea vexari, aut carceri mancipari possunt, relicta eisdem sustentatione congrua, ne mendicare cogantur, et « *recepta prius ab eis idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerint, debita persolvant* » quod statutum est notissimo Cap. Odoardus 3. de solut. Hoc privilegium militibus Romanis jamdiu concessum ad militiam quoque togatam passim a Jurisconsultis porrigitur, eodemque privilegio a Jure civili aucti sunt parentes, patroni, socius, maritus pro dotis restitutione, donator a donatario conventus, de quibus §. 37. et 38. Institut. de Actionib.

§ CCXXVI.

DE APPELLATIONIBUS

Ne sententia transeat in rem judicatam, neve pars quae in judicio succumbit omni ope destituatur, ordinarium appellationis remedium praesto est, quo nomine venit ab inferiore Judice ad superiorem facta provocatio, ut lata sententia corrigatur vel revocetur. Quamobrem appellatio est species quaedam defensionis a gravamine per injustam sententiam illato vel imminente. Appellatio vel extrajudicialis est, vel judicialis. Illa emittitur contra gravamen extra judicium illatum vel inferendum, veluti contra injustam electionem, spoliationem, aliosque actus jurisdictionis quae extra judicium exerceatur. Hae non sunt verae appellationes, sed potius provocationes ad causam, quia pertinent ad causam inchoandam, nisi gravamen revocetur, Cap. 5. hoc. tit. Judicialis est quae interponitur adversus actus judiciales, hoc est contra sententiam interlocu-

toriam vel definitivam. Inter appellationem a definitiva et interlocutoria illud in primis discrimen est, quod appellatio a definitiva potestatem Judicis a quo appellatum est et vim sententiae ab eo latae omnino suspendit, totamque causam ad Superiorem devolvit in quo vis et natura appellationis posita est, unde post rite interpositam appellationem quidquid ab inferiore Judice in praejudicium litis suscipiatur, attentatum dicitur et jure ipso nullum est, adeoque ad instantiam appellantis a Judice appellationis revocandum. At appellatio ab interlocutoria inferioris Judicis non suspendit jurisdictionem, nisi a Judice appellationis literae inhibitionis datae fuerint, ne Judex inferior procedat. Item appellans a definitiva non tenetur causam exprimere cur appellavit; appellantem vero ab interlocutoria oportet appellationis causam adsignare; adeoque in appellatione a definitiva si incontinenti et apud acta fiat, satis erit etiam simplici voce hoc unum verbum proferre *appello;* contra appellatio ab interlocutoria omnino in scriptis proponenda est. Definitivam enim sententiam Judex mutare vetatur; interlocutoriam autem mutare et corrigere potest, ac proinde aequum est in appellatione ab interlocutoria causam, eamque in scriptis exprimere cur revocari debeat vel emendari.

Non solum quilibet, contra quem lata sententia est, appellare potest, sed etiam omnes quorum interest sententiam revocari. Ita si emptor de proprietate victus non appellet, venditori appellare licet quum ejus intersit, propterea quod emptori esse potest contra venditorem regressus. Unius autem appellatio aliis quoque prodest « *qui communi jure juventur, idemque negotium et eadem causa defensionis existat.* » Cap. 72. hoc tit., quo pertinet titulus Codicis « *Si unus ex pluribus appellaverit.* » Quin ex Cap. Super eo 15. de Offic. Delegat., etiamsi

Judex omni appellatione remota datus fuerit, tertio appellare licebit, quandoquidem per eam formulam beneficium appellationis eis tantum sublatum est, inter quos causa commissa et acta fuit, non autem aliis quorum interesse potest appellare. Princeps enim non censetur juribus aliorum obesse velle, nisi expresse mentionem faciat. Praeterea alieno nomine appellare licet; sic Procurator pro suo Principali recte appellat, imo appellare debet, quamvis speciale mandatum ad id non habeat, quum generale ad lites sufficiat; itemque appellare tenentur Tutores et Curatores pro pupillis vel minoribus, Capitulum pro Episcopo si Ecclesiae bona aut jura in discrimen adducantur, et quilibet communi humanitatis officio appellare pro eo potest qui capite damnatus est, etiamsi damnatus ad supplicium ultro festinet et appellationi reluctetur, L. 6. ff. de Appellation.

Cum autem appellatio ad removendum gravamen injustum comparata sit, sic eis prorsus denegatur qui vere gravati non sunt. Igitur frustra appellant qui expresse vel tacite appellationi renunciarunt, vel sententiam quoquo modo approbando, vel juramento se non appellaturos promittendo; qui tribus conformibus sententiis damnati sunt, quod pro comperta veritate habeantur, neve lites in infinitum progrediantur; qui vere contumaces fuerint, idque in poenam constitutum est ob eam causam, quod si liceret impune judicium fugere, nullus esset litium finis, nullus esset justitiae locus; vel confessi aut ita convicti ut nonnisi differendi judicii causa videantur appellare.

In omnibus vero causis appellare licet. At appellatio aliquando impedit, quominus sententia executioni mandetur, nonnunquam vero executionem non suspendit, quamobrem appellatio habere dicitur effectum vel suspensivum, vel devolutivum. Itaque duo praesertim sunt cau-

sarum genera, in quibus appellatio executionem sententiae non suspendit. Ad primum genus pertinent sententiae, quibus censura aliqua inflicta est, itemque causae quae curam animarum, divinum cultum, correctionem, aut morum emendationem spectant, veluti decreta Episcopi in Sacra Visitatione. Ad alterum causarum genus pertinent: 1. Causae quae moram non patiuntur, veluti si agatur de alimentis futuris, de mercedibus, de ponte reficiendo, de testamento aperiendo; itemque causae de momentanea possessione, de restituendo deposito, et super spolii restitutione. 2. Causae per juramentum judiciale non necessarium definitae. 3. Causae quae versantur super re manifesta et notoria; quin ubi frivola est appellatio, mulcta per Superiorem appellanti indici potest. 4. Causae per Pontificem aut Principem commissae quacumque appellatione remota. 5. Causae per Arbitri voluntarii sententiam definitae. 6. Causae quae paratam, ut ajunt, executionem non habent, uti sunt obligationes camerales, literae cambii, aliaeque plures quas expressit Benedictus XIV. in sua Constitut. Romanae Curiae.

Appellatio proponenda et peragenda est intra legitima tempora quae vulgo *fatales dies* appellantur. Sunt autem hujusmodi tempora quatuor, primum ad appellandum, alterum ad petendos libellos dimissorios, tertium ad introducendam appellationem, et postremum ad eam prosequendam et finiendam. Quod ad tempus primum attinet appellatio interponenda est, ut supra monuimus, infra decem dies qui inter praesentes a die latae sententiae, inter absentes vero a die notitiae habitae numerantur. Tempus petendi libellos dimissorios est spatium dierum triginta a die latae sententiae, vel ejus notitiae. Libelli autem dimissorii sunt literae a Judice inferiore, a quo appellatum est, ad Superiorem datae, ut fidem faciant interpositae appellationis, et dicuntur etiam *apostoli* a

graeco verbo *mitto* seu *dimitto,* significant enim causam a primo Judice ad superiorem Judicem dimitti. Hujusmodi libelli dimissorii seu apostoli si testentur interpositam et admissam esse appellationem, nominantur *dimissorii;* si vero testentur admissam quidem esse appellationem, sed non propter ejus justitiam, veruntamen ob reverentiam Superioris, dicuntur *reverentiales;* si testentur appellationem interpositam, sed appellationi minime delatum fuisse ob causam quae exprimenda est, vocantur *refutatorii.* Nonnulli autem addunt *testimoniales* et *conventionales.* Priores sunt, quibus Notarius testificatur coram se appellatum esse, quod Judicis copia haberi non potuit, conventionales sunt qui dantur a parte contra quam appellatur dum appellationi consentit. Hodie nullus est in utroque foro apostolorum usus, sed eorum loco appellanti traditur exemplum tam sententiae, aut decreti a quo appellat, quam appellationis interpositae. Sive apostoli sive exemplum hoc Judici appellationis exhibeantur, et ipse appellationem receperit in devolutivo tantum, literas compulsoriales nuncupatas appellanti tradit, quibus mandat inferiori Judici, ut intra certum tempus acta prioris judicii transmittat; si vero appellationem recipiat etiam in suspensivo, tradit literas inhibitoriales, quibus inferiori Judici vetat ne quid innovet super causa, sicque executio et inferioris jurisdictio suspenditur, ut quidquid inferior postea gesserit, attentatum habeatur ante omnia revocandum. De temporis spatio, infra quod appellatio apud Judicem Superiorem introducenda sit, nihil certi in Decretalibus habetur. Quamobrem id relinquitur prudenti arbitrio Judicis a quo appellatum est. Quartum denique tempus prosequendae nimirum et finiendae appellationis tam jure civili, quam canonico est annus, et justa ex causa biennium quod Jure Decretalium ab interposita appellatione

initium habet. Sed nimia causarum frequentia effecit, ut appellationes praescripto tempore finiri nequeant.

Appellationes autem gradatim interponendae sunt, hoc est a Judice inferiore ad eum qui proximo in gradu Superior est, ut puta ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Primatem, a Primate ad Patriarcham, et si appelletur per saltum omisso Judice intermedio appellatio non consistit, quandoquidem jurisdictionis gradus custodiendi sunt, ne confusio in ecclesiasticis negotiis oriatur. Hinc Honorius III. in Cap. Dilecti hoc tit. rescripsit sententiam Archiepiscopi non valuisse, propterea quod causa ab Archidiacono ad ipsum Archiepiscopum omisso Episcopo Dioecesano delata fuerat. Haec tamen de Judicibus Pontifice inferioribus intelligenda sunt, ad Pontificem enim quivis jure potest omissis quoque mediis appellare. « *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* » Ita Ep.ª 7. ad Episcopos Dardaniae an. 495 scripsit Gelasius Papa, cujus auctoritatem Nicolaus I. allegavit Ep.ª 8. ad Michaelem Imperatorem. Ad haec Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 4. cap. 5. jus recipiendi appellationes non institutione humana, sed divina Primatui cohaerere, sic praeclare animadvertit: « *Est autem ejusmodi appellationum jus adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari: etenim cum Primatus praerogativa Romanus Pontifex sit Supremus in Ecclesia Judex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem: ab in-*

ferioris quippe sententia Superioris tribunal adire, omnibus concessum ipsa naturalis aequitas dictat et persuadet. »

Hanc divinam Romanae Sedis praerogativam nonnulli Doctores in controversiam adduxerunt, nam Petrus de Marca, Launojus, Dupinius, aliique negant jus recipiendarum appellationum ab universa Ecclesia inter divina Primatus jura habendum esse, et ideo tenent non semper in judiciis ecclesiasticis licuisse ad Romanam Sedem appellare. At vero in omnibus non plane consentiunt inter se. Petrus de Marca lib. 7. de Concord. Sacerd. et Imper. cap. 6. causas solius disciplinae a causis fidei separat, atque putat in prioribus supremam fuisse Synodorum auctoritatem, ut ab eorum sententiis appellare non liceret, secus autem in causis quae ad fidem pertinerent. Ait enim: « *auctoritas Conciliorum Orientalium his limitibus circumscribi debet, ut decernere tantum potuerint de administrationibus et gubernationibus Provinciarum, ut loquuntur Canones, idest de controversiis quae incidunt in executione Canonum de disciplina ecclesiastica latorum. Nam quoad causas quae fidem spectant, aut regulas generales Ecclesiae universae, certum est eas definiri non potuisse absque interventu auctoritatis Episcopi Romani; quoniam quum Cathedra Petri ea sit ex qua unitas Sacerdotalis exorta est, ut loquitur Cyprianus, par erat ut reliquae Ecclesiae necessitate communionis unirentur cum Ecclesia Romana, eamque colerent tamquam Caput et centrum unitatis.* » At Dupinius nec in causis fidei Pontificem appellatum fuisse contendit. Alii demum existimant in solis causis Episcoporum ad Romanam Sedem appellare licuisse, non vero in causis Presbyterorum et aliorum Clericorum, quae ex veteri disciplina coram propriis Episcopis aut Concilio Provinciali definiebantur.

Autumat porro de Marca jus appellationum in rebus disciplinae a Sardicensi Concilio primam originem ha-

buisse, sed ita tamen, ut vi Canonum Sardicensium non vere et proprie dictae appellationis per quam jurisdictio inferioris Judicis suspenditur, et integra causae cognitio et definitio ad Superiorem Judicem transfertur, sed revisionis dumtaxat jus Apostolicae Sedi tributum sit, ac proinde « *si Episcopus damnatus Romanum Pontificem appellaverit, in potestate ejus esse appellationem respuendi, quo pacto sententia Episcoporum Provinciae confirmabitur; aut eam admittendi, quo casu debet Episcopus Romanus judicium integrum remittere ad Episcopos Provinciae et ad finitimos, ut illius causae cognitionem suscipiant praesente Legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendus esse.* » Haec de Marca cit. lib. 7. cap. 3., ubi addit: « *fateor equidem hactenus universis persuasum fuisse repertam esse in Synodo Sardicensi legem de Appellationibus adversus Episcoporum judicia, easque a Summo Pontifice judicandas esse ex praescripto hujus Concilii. Sed huic persuasioni occasionem dedit ipsa Synodus Sardicensis, quae vocibus appellandi et provocandi improprie utitur, quod retractatio vicem suppleat appellationis. Unde factum est, ut sequens aetas existimaverit in his Canonibus agi de vera appellatione juxta propriam hujus vocis significationem.* »

Adversus Petrum de Marca Natalis Alexander dissertat. 28. in saec. 4. multa argumentorum copia et perspicuitate demonstrat jus appellationum ad Sedem Romanam esse appendicem Primatus S. Petro et ejus Successoribus a Christo collati; Canones vero Sardicenses non solum jus concedendi revisionem, sed potestatem judicandi appellationes Romano Pontifici asseruisse et confirmasse.

Et sane quod attinet ad ipsum jus, idem Petrus de Marca lib. 3. cap. 7. illud cum Catholicis omnibus fatetur, quod Romanus Pontifex vi Primatus tum possit, tum debeat Canonum observantiam et executionem pro-

movere, quandoquidem plane constat ecclesiasticam unitatem, cujus conservandae causa Primatus institutus est, ex unanimi eorumdem Canonum sive dogmaticorum, sive disciplinarium observantia pendere. Cum autem eos qui a Judicibus ecclesiasticis contra Canones opprimuntur, Pontifex tueri nequeat, nisi possit etiam causam omnem rite recteque cognoscere, et latam sententiam revocare, rescindere, omnino consequitur Pontificem vi Primatus jure et auctoritate potiri veras appellationes recipiendi ac definitive judicandi eorum causas, qui contra Canones se gravatos ab inferioribus Judicibus conqueruntur. Igitur jus appellationum in causis tum fidei, tum disciplinae inde profectum est, unde Primatus institutionem ortum habuit, videlicet non adventitium, non a Concilio Sardicensi datum, sed ab ipso Christo collatum. Hinc S. Bernardus lib. 3. de Consid. ad Eugenium cap. 2. « *Appellatur,* inquit, *de toto Mundo ad Te. Id quidem in testimonium singularis Primatus Tui.* » Multa sunt appellationum exempla Sardicensi Concilio antiquiora, quae in primis colligit Auctor Dissertationis de Appellationibus ad Romanum Pontificem Romae edit. ann. 1768. Ex his autem illud manifeste comprobatur, quod jus appellationum ad Romanam Sedem originem suam Sardicensibus Canonibus acceptam non referat; nullum enim earumdem appellationum exemplum his Canonibus antiquius extitisset. At vero Sardicenses Canones non attentius considerarunt, qui affirmant eosdem Canones non jus verae appellationis, ac finalis et supremi judicii, sed solam causae remissionem Romano Pontifici tribuisse. Nam tertius Canon haec habet: « *si judicaverit (Romanus Pontifex) renovandum esse judicium, renovetur, et det Judices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea quae acta sunt, quae decreverit pro confirmatis habeantur.* » Et Canon 4. adjicit. « *Ut siquis Episcopus a*

vicinis Episcopis fuerit depositus, et negotium defensionis sibi competere dicat, non alius substituatur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. » Jam vero si Romanus Pontifex vel priorem sententiam revocare, et dare Judices, vel eamdem confirmare potest, jam ipsius judicium supremum et finale est. Si praeterea in locum Episcopi depositi, qui ad Pontificem appellaverit, alius Episcopus substitui nequit, antequam Pontifex sententiam dixerit, manifestum est quod ea sit propria et vera appellatio, quandoquidem prioris sententiae executionem suspendit; ejusdemque sententiae confirmatio vel rescissio a Pontifice omnino pendet. Quod denique Presbyterorum et Clericorum appellationes spectat, cum Pontifex ratione Primatus non solum in Episcopos, sed etiam in Clericos aliosque fideles supremam et immediatam potestatem habeat, jure potestatis et imperii sui poterit singulorum appellationes recipere, omnemque controversiam judicio suo dirimere. Monumenta autem Ecclesiae praesertim Africanae, quibus damnati videntur Clerici qui ad transmarina, hoc est ad Romanam Sedem appellaverint, non jus ipsum afficiunt, sed modum et praxim appellandi, quae duo probe distinguenda sunt. Quamvis enim summum hoc jus Romano Pontifici convenire perpetua Catholicae Ecclesiae sententia fuerit, modus tamen appellandi ipsis Pontificibus sic volentibus nunc majorem, nunc minorem amplificationem accipere potest salvo Primatu. Ita Innocentius I. probavit Concilium Milevitanum, quo Clerici vetabantur ab Episcopis Provinciae suae appellare; poterat tamen Pontifex appellantes audire si voluisset. Confer Bellarminum de Romano Pontifice lib. 2. cap. 24.

Nemini autem fas est a sententia Pontificis appellare, nam absurdum est inferiorem Judicem delere et emendare sententiam ejus qui in terris nemini subest. Sane

a Summi Pontificis judicio ad Concilium appellantes jure merito damnati sunt in Constitutione Pii II. quae incipit Execrabilis, in Constitut. Julii II. cujus initium Susceptis, aliisque S. Pontificum Constitutionibus. Ipse Petrus de Marca fateri cogitur a Pontifice ad Concilium appellationes a veteri disciplina alienas esse. Certe quidem hujusmodi appellationes id unum spectant et moliuntur, ut auctoritatem Pontificis illudant, et ecclesiastica judicia frustrentur. Itaque perniciosae sunt regimini Ecclesiae, quia auctoritas legitima Pontificis labefactatur, imperandi vis inhibetur, et inobedientia inulta manet. Exitiosae sunt paci et unitati, quia facilis schismati panditur aditus, difficilior autem fit medela: exitiosae sunt fidei, quia haereses impune grassantur, propterea quod nec semper, nec quacumque de causa Concilia haberi possunt. Uno verbo a sententia Pontificis ad Concilium appellare numquid aliud est, quam impune velle in errore et iniquitate perseverare, alios corrumpere, et Ecclesiam perturbare? S. Antoninus doctrina et sanctitate clarissimus part. 3. sum. tit. 23. cap. 3. de Appellat. Papae. § 3. affirmare non dubitavit: « *sentire quod ad Concilium a Papa appellari possit, est haereticum, et contra illum articulum Sanctam Ecclesiam Catholicam, nam si licitum esset appellare a Papa, et ille ad quem appellatur esset Caput; sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.* »

De Appellatione ab abusu jam diximus in Jure publ. Ecclesiastico Lib. III. § 67.

§ CCXXVII.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE

Qui appellationis remedio destituti sunt, sive quod appellatio aut non interposita aut deserta fuit, sive quod ob tres conformes sententias nullus appellandi locus reliquus est, unum eis superest extraordinarium remedium *restitutionis in integrum*, quae Cap. Ex literis 4. hoc. tit. definitur « *in pristinum statum repositio* ». Namque petita in integrum restitutione omnia in suo statu permanere debent, quoad constet de causis in integrum restituendi, adeoque nihil interim innovari, nec sententia executioni mandari potest, perinde ac si appellatio interposita fuisset. Impetrata autem in integrum restitutione omnia in pristinum statum reducuntur, quandoquidem sententia vel negotium gestum rescinditur, et unicuique sua jura restituuntur. Hinc restitutione contra venditionem impetrata, restitutus in integrum rem venditam recuperat, et vicissim emptori reddendum est pretium quod persolverat.

Haec restitutio non temere, sed certis personis et certis de causis intra praefinitum a jure tempus conceditur. Et primo conceditur minoribus 25. annis, etiam puberibus qui sint patresfamilias, ubi se laesos fuisse ostenderint: Et laesio quidem intelligitur, sive rem propriam amiserint, sive lucrum, quod facere poterant, omiserint, sive oneri non necessario sese obstrinxerint, etiamsi curatorem babeant et ejus auctoritate rem gesserint, quin etiam Judicis decreto intercedente. Cessat tamen hoc beneficium: 1. Si minor factus major ratum habeat quod minor gesserat, quia talis actus a majori gestus censetur. 2. Si minor se majorem simulaverit, idque fraudolenter,

quia jura deceptis succurrunt, non decipientibus. 3. Si aetatis veniam a Principe impetraverit; tunc enim fictione juris major natu reputatur et liberam consequitur suarum rerum administrationem, non tamen potest sine Judicis decreto bona immobilia alienare, aut hypothecare. 4. Si actum jurejurando confirmaverit, idque ob Sacramenti religionem, Authent. Sacramenta puberum Cod. Si advers. vendit. 5. Si post negotium prudenter gestum laesus sit fortuito casu, « *quia non eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.* » sicuti ait Ulpianus L. 11. ff. §. 4. de Minoribus.

Jure minorum fruitur tum Respublica, tum Ecclesia aliaque Loca Pia ecclesiastica, quae ubi laesa sunt, in integrum restituuntur. Restituitur Ecclesia non modo contra privatos, verum etiam contra aliam Ecclesiam, si altera laesa sit et altera laeserit, sive una certet de damno vitando, altera de lucro captando; namque in pari causa de damno utrinque vitando altera contra alteram non restituitur, utpote quae pari privilegio fruantur, sicuti in pari conditione minor contra minorem non restituitur. Majores etiam 25. annis in integrum restituuntur; sed a minoribus hac in re differunt, quod minores probata laesione restituantur, sive fraude alterius, sive lubrica aetate, aut imprudentia et culpa propria laesi fuerint, sed majores tum laesionem demonstrare debent, tum causam, ob quam laesio contigit, eis imputari non posse, qualis esset, si errore, dolo, vel fraude alterius ad contrahendum fuerint adacti, sive ob absentiam Reipublicae causa, captivitatem, aliamque justam rationem remedio appellationis uti nequiverint.

Restitutio locum habet tum adversus sententiam quae in rem judicatam abierit, tum adversus alia negotia in quibus notabilis laesio interfuerit. Sed requiritur. 1. Ut negotium sit civile, non criminale: sic minor propter furtum condemnatus non restituitur: « *quia malorum*

mores infirmitas animi non excusat » ut loquitur L. 1. Cod. Si adversus delicta. 2. Ut sit ipso jure validum, nam restitutio dari non solet, ubi ordinaria remedia praesto sint; quamobrem si actus ipso jure non subsistat, ordinaria actione agendum erit. Ita si minor absque decreto Judicis res immobiles alienaverit, non restituitur; quippe quum alienatio irrita sit, agere potest vindicatione rei, et quoties dubitet utrum contractus valeat, alterutrum petere potest, ut vel contractus nullus pronuncietur, vel in integrum restituatur. 3. Ut negotium rescindi possit: frustra etenim postulatur restitutio adversus matrimonium, professionem religiosam, Ordines sacros rite susceptos. Restitutio autem non conceditur, nisi praevia cognitione causae, et semel denegata non amplius tribuitur, nisi novae causae prodierint ob quas indulgenda videatur. Igitur in primis videndum est, an qui petit ex iis sit qui hoc beneficio juvantur, et num causa cur petit ex iis sit ob quas restitutio petentibus permissa est. At vero causae restitutionum in integrum coram Judicibus ordinariis, qui administrationem habent, aut Delegatis ab eis tractandae sunt, non autem coram mero executore aut Arbitro, nisi coram eis quaestio restitutionis incidenter mota fuerit, quo casu cognoscunt quidem, sed vetantur pronunciare. Debet autem Judex esse competens respectu illius contra quem restitutio petitur, et restituere potest adversus sententiam vel a se, vel ab alio inferioris parisve auctoritatis Judice prolatam, non adversus sententiam Superioris. Tempus restitutionis petendae est quadriennium continuum, quod minores computant a die quo minorem aetatem excesserunt, Ecclesia et Respublica a die laesionis factae, sive ut aliqui putant a die laesionis cognitae, et denique majores a die remotae causae aut impedimenti, propter quod in integrum restituuntur, excepta actione metus quae uno anno, et actione doli quae biennio continuo finitur.

CAPUT II.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS

§ CCXXVIII.

DE NATURA DELICTI ECCLESIASTICI EJUSQUE DIVISIONE

Delictum seu crimen est libera ac voluntaria divini aut humani Juris violatio, quae in detrimentum Ecclesiae vel civilis Societatis redundat. Per haec posteriora verba crimen a peccato distinguitur; peccatum enim est quaevis actio vel omissio divinis humanisque legibus contraria, etiamsi Societas detrimenti nihil accipiat. Delicta autem seu crimina vel directe Ecclesiae soli, vel soli civili Reipublicae, vel utrique simul officiunt. Hinc criminum divisio orta est in ecclesiastica, civilia et mixta. Igitur ecclesiastica sunt, quae fidem et religionem directe laedunt, qualia sunt Apostasia, Haeresis, Schisma, Simonia, et hujus generis alia: civilia sunt, quae directe laedunt Rempublicam, uti homicidium, furtum, peculatus et similia: demum communia seu mixta sunt, quae Religioni et Reipublicae nocent, veluti crimen usurarum, adulterii, concubinatus, sortilegii et hujusmodi. De criminibus ecclesiasticis solus Judex Ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit et judicat; siquidem judicium est de re spirituali, sive de crimine quod Religionem directe spectat, de quo ab una Ecclesia et leges conditae, et poenae constitutae sunt. Crimina civilia Judex laicus contra laicos cognoscit: crimina autem mixta uterque Judex cognoscit

servata lege praeventionis. Verum haec spectant externum forum; nam Ecclesia in foro interno et Sacramentali in omnia tam Clericorum, quam laicorum crimina potestatem exercet, eaque retinet aut absolvit salutaribus impositis poenitentiis.

Quoniam ratio Institutionum non patitur, ut singula ecclesiastica crimina explicemus, ideo satis erit de praecipuis quatuor breviter et summatim pertractare, hoc est de Apostasia, Haeresi, Schismate, et Simonia.

§ CCXXIX.

DE APOSTASIA ET PRIMUM DE APOSTASIA A FIDE

« *Apostasia a latinis proprie desertio appellata est, idemque sonat Apostata ac desertor, uti conjicere licet ex L.* DESERTOREM *ff. de Re milit. Quandoque etiam Apostata dicitur praevaricator et apud Hebraeos* BELIAL. *Cum igitur Apostasia nihil aliud sit, quam recessus ab eo vitae instituto, quod quis ea mente assumpserat ut ei perpetuo adhaereret, cumque posset aliquis a fide Catholica, quam amplexus fuerat, deficere, alius a Clericali statu semel assumpto recedere, alius demum a regulari instituto cui se devoverat, se subtrahere, consequitur tres numerari Apostasiae species. Prima perfidiae dicitur, altera Ordinis, tertia Monachatus.* » Ita Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 13. Cap. 11. n. 9. Omnium gravissimum crimen est Apostasia perfidiae, per quam baptizatus a fide Catholica omnino deficit, sive ad Judaismum, Paganismum, aliudve infidelitatis genus transeat, sive relicto Christo nullam deinceps Religionem profiteatur. Namque ad crimen Apostasiae non requiritur ad aliam Religionem transitus, sed satis est Christianam deseruisse. Juxta veterem disciplinam maxima differentia est inter Apostatam qui sponte sua, et eum qui vi tor-

mentorum et metu fidem deserit. Hi posteriores, quamvis valde rei sint quod fidem Christi coram hominibus ejuraverint, veri tamen Apostatae non sunt, quod fidem corde retinuerint, unde proprio nomine lapsi dicebantur et canonicis poenis coercebantur, at si ex animo poenituissent, veniam facile consequebantur, ex Can. 6. Synodi Ancyranae. Verumtamen spontaneis Apostatis, praesertim si idolis etiam sacrificassent, communionem in ipso exitu vitae denegandam esse edixit Canon I. Concilii Illiberitani. Sunt tamen viri docti qui nomine *communionis*, quam Patres Illiberitani Apostatis denegarunt, non absolutionem et veniam, sed Eucharistiam interpretati sunt, quod in veteribus monumentis illae voces promiscue accipiantur, quodque a benignitate Ecclesiae nimis alienum videatur, morientibus etiam veniam et absolutionem omnino detrectare. Qua de re confer Natalem Alexand. in Histor. Eccles. sec. 3. dissert. 7. prop. 3. Sed in praesenti disciplina a tanta severitate recessum est, et Apostatae accipiunt veniam, ubi poenitentia ducti ad fidem Catholicam revertantur. Attamen quovis tempore Apostasia reputata est crimen omnium maximum et ipsa haeresi ingentius, quandoquidem haeresis unum, vel alterum fidei dogma inficiatur, Apostasia autem est desertio totius fidei quam aliquis in baptismo professus est. Hinc Apostatae iisdem plectuntur poenis ac haeretici, atque etiam aliis tum a Jure Canonico, tum etiam a Jure Civili constitutis, praesertim in Codice Justinianeo et Theodosiano Tit. de Apostatis.

§ CCXXX.

DE APOSTASIA ORDINIS

Altera Apostasiae species sive Apostasia Ordinis est, quando Clericus relicto habitu et tonsura clericali secularem vitam amplectitur. Soli autem majorum Ordinum Clerici, si clericatum ejuraverint, Apostatae sunt, quia vi Sacrae Ordinationis ad perpetuam stabilitatem devincti sunt: Clerici enim minorum ordinum clericalem militiam impune deserunt. Clerici majores apostatae multis poenis afficiuntur, nimirum poena excommunicationis ferendae sententiae, si matrimonium non contraxerint, latae autem sententiae, si nuptias etiam attentaverint. Deinde afficiuntur poena infamiae; quamobrem ab accusando et testimonio ferendo repelluntur. Praeterea ob hujusmodi infamiam, et si nuptias contrahant, ob bigamiam similitudinariam irregulares evadunt; ac denique ab Episcopo carceribus mancipandi sunt juxta testum A Nobis de Apostatis. « *Tales, si volueris, poteris sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo vita sibi misera reservetur, donec suae praesumptionis nequitia resipiscant.* »

§ CCXXXI.

DE APOSTASIA MONACHATUS

Tertia denique Apostasiae species est criminosa abjectio vitae monasticae solemniter professae cum animo ad regulare institutum non amplius redeundi. Quamobrem Regulares fugitivi, qui sine licentia Superioris, vel contra obedientiam a claustro discedunt ad tempus, aut vestem monasticam deponunt, eam propediem recepturi,

Apostatae non sunt, quatenus ex sententia plurium Doctorum, si absque expressa vel tacita licentia e claustris egrediantur, et dein facti poenitentes post brevissimum tempus intra eumdem diem ad claustra revertantur, a lethali culpa et a poenis contra Apostatas latis omnino excusantur. Nollem tamen idem dici de Monialibus Papali clausura obstrictis: si enim extra claustra pedem efferant, saltem a poena excommunicationis ob violatam clausuram excusari nequeunt. At vero S. Congregatio Concilii jussu Urbani VIII. die 21. Septembris anni 1624. statuit: « *ut fugitivi et Apostatae sive habitum regularem deserant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari secundum regulare institutum puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur.* » Porro Regulares inter Apostatas recensentur, etiamsi claustra deserant ea de causa vel praetextu, ut nullitatem professionis proponant, aut si post unicam de nullitate professionis sententiam monasticam vestem abjiciant; de quibus confer Bened. XIV. l. 13. de Syn. Dioec. c. 11. n. 14. In Regulares Apostatas multae poenae sancitae sunt, inter quas potior est excommunicatio latae sententiae, quam ipso facto incurrunt si habitum quoque dimiserint, Cap. Ut periculosa Ne Cler. vel Monach. in 6.° Sunt etiam a Canone alieni, ita ut si durante Apostasia Ordinem susceperint, ejus functione interdicantur, Cap. Consultationi de Apostat. et Reiterant., et si durante suspensione aut celebrent, aut aliud Ordinum munus exerceant, irregulares omnino fiunt, Cap. Cum aeterni De Sentent. et re judic. in 6°., et Cap. Cum medicinalis De sentent. excomm. in 6.° Demum ex Concilio Trid. sess. 25. cap. 19. de Regular: « *nullo privilegio suae Religionis juvantur.* » Praeter has poenas quae a jure communi sancitae sunt, aliis etiam mulctan-

tur, quas peculiares leges Ordinum Religiosorum adversus suos Apostatas constituerunt.

§ CCXXXII.

DE HAERESI

Haeresis a Doctoribus communiter definitur error pertinax fidei manifeste repugnans in eo qui fidem Catholicam suscepit. Igitur ad formalem haereticum constituendum conjunctim necessaria sunt, videlicet error ex parte intellectus, pertinacia ex parte voluntatis, et susceptio fidei ex parte subjecti. In primis itaque requiritur error intellectus qui fidei Catholicae opponatur. Error enim in definitione haeresis stat loco generis; quamobrem si quis metu mortis vel alia de causa fidem quam mente retinet coram hominibus negaret, quamvis graviter delinqueret, et in foro Ecclesiae quae de solis exterioribus judicat, tamquam haereticus haberetur et puniretur; nihilo tamen secius nec formalis haereticus esset, nec poenis adversus haereticos sancitis obstringeretur. Sed error, ut diximus, ejus generis sit oportet, ut doctrinae et catholicae fidei adversetur. Quae sit igitur doctrina vel fides Catholica videndum in primis est, ut inde perspectum fiat, qualis error pro vera haeresi habendus sit. Jam vero Doctorum sententia est: « *illud omne et solum esse de fide Catholica, quod in verbo Dei scripto vel tradito revelatum, et omnibus ab Ecclesia propositum est de fide divina credendum.* » Duo itaque faciunt doctrinam Catholicam, scilicet Divina Revelatio, et Ecclesiae propositio; si alterum desit, hujusmodi doctrina nondum est de fide Catholica, seu ejus generis cui fideles omnes sub poena haeresis assentiri teneantur. Quoniam vero Ecclesia in Concilio Trid. congregata sess. 4. in decreto

de divinis Scripturis definiverit, verbum Dei revelatum tum in Sacris Scripturis, tum sine scripto Traditionibus quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, contineri, et idcirco tum Sacram Scripturam, tum Traditionem ipsam tamquam ipsius Dei et fidei regulam proposuerit, fit inde ut quae in Sacra Scriptura vel Traditione manifesta et perspicua sunt, Catholica fide credenda sint. Quae autem in Scriptura vel Traditione non satis manifesta et perspicua apparent, et idcirco a SS. Patribus vel Doctoribus in diversas sententias explicantur, nulla earumdem sententiarum ad doctrinam Catholicam pertinebit, quia deest propositio Ecclesiae cujus est verum Scripturae sensum interpretari. Quamvis enim universa Scriptura et Traditio divina ab Ecclesia proposita sit, in obscuris tamen verus sensus verbi Dei seu scripti, seu traditi nondum constat, donec ab Ecclesia ipsa exponatur et proponatur. Illud itaque, quod supra diximus, nullum esse fidei articulum sine Ecclesiae propositione, ita accipiendum est, quatenus Scriptura vel Traditio egeant interprete, quum a SS. Patribus et Doctoribus in diversas sententias exponantur. Ubi enim Patres et omnes et aperte aliquam fidei aut morum veritatem doceant, concors et constans ipsorum doctrina, tamquam ipsius Ecclesiae doctrina, tenenda est, ut merito haereticus habeatur qui contra senserit. Id apertissime tradit Melchior Canus de Locis Theologicis lib. 12. cap. 6. praecept. 6. « *Quodcumque dogma fidei vel Ecclesia habuerit, vel Concilium auctoritate Pontificis roboratum, vel etiam Summus ipse Pontifex fidelibus praescripserit, vel certe Sancti omnes concordissime constantissimeque tenuerint, ita nobis illud pro Catholica veritate habendum est, ut contrariam sententiam haereticam sentiamus, quamvis nec aperte, nec obscure in Scriptura Sacra contineatur.* » Et

praeceptione seq. « *Si vel Ecclesia, vel Concilium, vel Sedes Apostolica, vel etiam Sancti una mente eademque voce aliquam Theologiae conclusionem et confecerint, et fidelibus etiam praescripserint; haec veritas Catholica ita censebitur, ut si esset per se a Christo revelata, et ille qui adversetur aeque erit haereticus ac si sacris literis traditionibusque Apostolicis refrageretur.* » Secundo requiritur pertinacia, ut nempe aliquis obfirmato animo doctrinam illam abjiciat, quam Ecclesia Catholica tenet credendamque proponit. Igitur si quis bona fide, ex simplicitate aut ignorantia etiam culpabili (non tamen affectata quae ab haeresi non excusat) contra fidem erraverit, paratus veritatem amplecti cum innotuerit, non pertinax, nec idcirco haereticus dicendus erit. Quo spectat illud Augustini « *errare possum, sed haereticus non ero* »; et in Can. Dixit Apostolus caus. 24. quaest. 3. ex eodem Augustino haec habentur: « *qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* » At vero non ii tantum haeretici sunt qui pertinaci animo doctrinis fidei contraria sentiunt, verum etiam qui in fide dubitant, unde omnium ore ac sermone jactatum adagium est: « *dubius in fide infidelis est* », si dubium illud cum animi pertinacia conjunctum sit, quum nempe deliberato animo in dubium revocat, quod optime novit ab Ecclesia propositum esse Catholica fide credendum. Is profecto qui non solum de universa doctrina Catholica, sed etiam de uno fidei articulo sciens prudens dubitat, hoc ipso in fidem peccat judicans rem fidei dubiam et ancipitem, nec proinde auctoritatem Ecclesiae in proponendis rebus fidei infallibilem esse, quod aperta haeresis est. Tertio denique ad formalem haeresim constituendam requiritur ex parte subjecti, ut fidem Christi

jam susceperit: unde S. Augustinus lib. 18. de Civitat. Dei cap. 51. haereticos vocat « *qui sub vocabulo christiano doctrinae resistunt christianae.* »

Multae in haereticos poenae tum ab Ecclesia, tum a civili potestate sancitae sunt. Haeresis enim gravissimum et nocentissimum crimen est, ejusque punitio necessaria ad conservationem fidei orthodoxae, ad exemplum bonorum, ut metu perterriti a tanto crimine arceantur, atque etiam ad eorumdem haereticorum correptionem et emendationem, quod poenis afflicti ac veluti excitati facilius errorem suum animadvertunt. Ipse Augustinus, qui vim inferre Donatistis haud aequum initio putavit, inde experientia victus intellexit poenas contra haereticos utiles omnino esse. Poenae ab Ecclesia constitutae numerantur; 1. Excommunicatio latae sententiae S. Pontifici reservata, quam etiam incurrunt fautores et receptores, tum ipsorum libros legentes, retinentes, ac imprimentes. 2. Depositio, si Clerici fuerint, ab omni officio et beneficio, ac degradatio. 3. Inhabilitas ad quodlibet officium et beneficium Ecclesiasticum. 4. Irregularitas seu inhabilitas ad Sacros Ordines suscipiendos vel exercendos. His tribus poenis, nimirum privatione omnium officiorum et beneficiorum, itemque inhabilitate ad quaevis officia et beneficia, et irregularitate mulctantur etiam fautores, receptores et defensores haereticorum, atque ipsorum liberi ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum gradum dumtaxat. « *Et quidem*, inquit Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 13. cap. 24., *pater etiam post ejuratam haeresim irregularitate tenetur, ideoque dispensatione indiget ad Ordines suscipiendos. At relicta a patre haeresi, eoque ad Ecclesiae sinum reverso, filii juxta aequiorem et magis receptam interpretationem irregularitate solvuntur.* » 5. Infamia non tantum facti, sed etiam juris ipso facto incurrenda, cap. 13. hoc tit. Haec autem in-

famia ad filios haereticorum non porrigitur, cum id nullo jure sancitum sit. 6. Denique privatio ecclesiasticae sepulturae: « *ut si quis in peccato haeresis decesserit, oblatio pro eo non fiat, nec inter Christianos sepulturam accipiat non obstante privilegio quibuscumque indulto.* » Cap. Sicut hoc tit.; et in Cap. 2. eod. in 6.° sancitum est: « *ut quicumque haereticos, vel credentes, vel receptatores, vel defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae sepulturae tradere, sententiam excommunicationis incurrant usque ad idoneam satisfactionem* ». Saeculares poenae a Principibus constitutae potissimum sunt. 1. Perpetua infamia ob quam a cunctis honoribus et muneribus ac Civium privilegiis arcentur, atque a ferendo testimonio repelluntur. 2. Incapacitas testamentum condendi, ex aliorum testamentis haereditatem vel aliud accipiendi, item donandi, donationesque capiendi. His accedunt multae pecuniariae, confiscatio bonorum, fustigatio, carcer, exilium, et ultimum supplicium.

Quilibet ex lege naturali, divina et ecclesiastica tenetur, si quem haereticum noverit, ad Ecclesiam denunciare. Apposite Hieronymus in illud ad Galat. 5. « *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* — « *Igitur*, inquit, *scintilla statim ac apparuerit, extinguenda est, et fermentum a massa vicina semovendum, secandae putridae carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum Orbem ejus flamma depopulata est.* » Imo et haereticus occultus, si extra Sacramentum poenitentiae innotuerit, denunciandus omnino est; quod plurimis Scripturarum et Patrum testimoniis, aptisque rationibus illustrat Suarez Tract. de Fide sect. 4. disp. 20: « *Talis denunciatio,* sunt ejus verba, *etiam de peccato sic occulto est necessaria ad bonum commune Reipublicae Chri-*

stianae, et de se utilis est ad spiritualem salutem ejus qui denunciatur. Quoad primam partem de bono communi probatur primo, quia licet in eo casu Judex non possit statim procedere ad inquirendum de tali persona in particulari, potest nihilominus generalem inquisitionem et interrogationem majori cum diligentia et advertentia facere, unde fieri potest, ut aliquam majorem notitiam consequatur. Secundo poterit etiam majorem cautionem et vigilantiam circa talem personam adhibere observando cum prudentia per se, vel per aliquem alium vitam, actiones et verba talis personae, ut aliqua alia indicia, si fieri potest, talis peccati inveniat, quod quidem morale erit, quia haeresis mente concepta vix contineri potest quin exterius prodeat. Tertio saepe contingit, ut qui suam haeresim uni soli latenter ostendit, idem cum pluribus singillatim et occulte faciat, ideoque maxime expedit ut singuli denuncient. Quarto est etiam optima ratio et magna Ecclesiae utilitas, ut haereticus non sit a denunciatione securus, etiamsi occultissime cum uno suam haeresim communicet, ne hoc modo audeant haeretici fideles inducere in suam haeresim cum singulis tantum singillatim et occultissime agendo. Ex parte vero ipsiusmet denunciati utilis est denunciatio, primo ex ratione proxime facta, nam hoc modo timebit magis vel in haeresim labi, vel saltem cum aliquo illam communicare, vel aliquem inducere, et ita saltem minus peccabit. Secundo quia etiam de peccato commisso fortasse hoc modo aliquam inveniet medicinam et efficacem correctionem; nam certe qui semel contempsit auctoritatem Ecclesiae, et contra illam ausus est pertinaciter errare, raro resipiscit et ab haeresi desistit, nisi per eamdem Ecclesiam corripiatur et aliquo modo compellatur. »

Praeter haereticos denunciandi sunt nefarii homines qui Sacramentis ad pravos fines utuntur, itemque caeremonias et ritus Ecclesiae irridentes, et denique id lo-

quentes aut agentes, propter quod vel manifeste haeretici, vel suspecti de haeresi comperiantur.

§ CCXXXIII.

DE CONTROVERSIA SUPER JURISDICTIONE HAERETICORUM

Duplex quaestio, utraque momentosa, hoc loco agenda est. 1. An formaliter Haeretici jure divino, an ecclesiastico jurisdictionem amittant. 2. An liceat cum eisdem Haereticis communicare.

Quod ad primam quaestionem spectat, certum est occultum haereticum non amittere jurisdictionem nec dignitatem « *donec ipse*, ut ait Bellarminus de Eccles. militant. lib. 3. cap. 10., *se ab Ecclesia publice separet, aut convictus haereseos invitus separetur. Adde quod si occulti haeretici nullam habere possent jurisdictionem, redderentur incerti omnes actus qui ex jurisdictione dependent, quod non parum universam Ecclesiam perturbaret.* » Praeterea certum est ante celeberrimam Extravagantem Ad evitanda in Concilio Constantiensi editam ex antiquo jure ecclesiastico manifestos haereticos et schismaticos omni ecclesiastica jurisdictione ipso facto caruisse. Quamobrem S. Thomas 2. 2. quaest. 39. art. 3. ait: « *In Schismaticis et Haereticis non manet potestas jurisdictionis: unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum.* » At vero post Extravagantem praedictam dubitatum est, utrum haereticus manifestus antequam per sententiam expresse et nominatim denuncietur, si non jure ecclesiastico, at saltem jure divino, et ratione haeresis jurisdictionem penitus amittat. Affirmativae sententiae studet Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 2. cap. 30., eamque vocat « *sententiam omnium veterum Patrum. Neque valet,*

inquit, *quod quidam respondent, istos Patres loqui secundum antiqua jura, nunc autem ex decreto Concilii Constantiensis non amittere jurisdictionem, nisi nominatim excommunicatos et percussores clericorum. Hoc, inquam, nihil valet; nam Patres illi, cum dicunt haereticos amittere jurisdictionem, non allegant jura humana quae etiam forte tunc nulla extabant de hac re, sed argumentantur ex natura haeresis. Concilium autem Constantiense non loquitur nisi de excommunicatis, idest de his qui per sententiam Ecclesiae amiserunt jurisdictionem: haeretici etiam ante excommunicationem sunt extra Ecclesiam et privati omni jurisdictione, sunt enim proprio judicio condemnati, ut docet Apostolus ad Tim. 3., hoc est praecisi a corpore Ecclesiae sine excommunicatione, uti Hieronymus exponit.* » Itaque Bellarminus et Doctores omnes quibus haec sententia arridet, non ex vi censurae, aut alia lege ecclesiastica vel divina positiva, sed ex vi solius haeresis manifestum haereticum jurisdictione privari contendunt. At Suarez in Tract. de Fide sect. 5. disp. 21. aliter sentit. « *Quia*, inquit, *fides non est fundamentum omnino necessarium jurisdictionis ecclesiasticae. Probatur autem; 1. quia absolutio data ab haeretico in extrema necessitate est valida, ut habet communis doctrina; ergo habet jurisdictionem. 2. Quia alias per haeresim mentalem amitteretur jurisdictio etiam Pontificalis: est autem absurdissimum et contra rectam Ecclesiae institutionem, quia alias Papa v. gr. qui semel incideret in haeresim mentalem, deberet renunciare Pontificatui, vel in illo permanere ficte et sine vera jurisdictione, quorum primum est moraliter impossibile, et secundum Ecclesiae perniciosum. Et hoc incommodum fere eodem modo sequitur, etiamsi id asseratur de haeresi externa per accidens occulta, et applicari potest ad Episcopos et alios Pastores et Judices Ecclesiae. Unde etiam repugnat illa doctrina antiquae Ecclesiae consuetudini, quae Episcopos haereticos retractantes haeresim*

aliquando in suis muneribus et dignitatibus recipiebat sine nova Episcopatus concessione, ut ex Conciliis Nicaeno et Chalcedonensi colligitur, et ex Cap. Convenientibus cum aliis *caus. 1. quaest. 7.; ergo signum est ex vi solius haeresis non amitti Episcopatum vel jurisdictionem ejus.* » Ex his sententia Suaresii videtur et majori pondere rationum praedita, et magis ab Auctoribus recepta esse. Contrariis vero argumentis responderi poterit potestatem Ordinis fundari in baptismate et charactere Sacerdotali, jurisdictionis autem in baptismate et ministerio ecclesiastico, quod aliquis rite acceperit, et quemadmodum potestas Ordinis ab haeretico manifesto seu quovis alio amitti non poterit, quia character indelebilis est, ita etiam potestas jurisdictionis a manifesto haeretico non amittitur, donec ministerium ecclesiasticum aut propria voluntate dimiserit, aut eo legitimo spoliatus fuerit. Et quidem explorati juris est, neminem jurisdictione sua privari, nisi voluntate propria, spontanea scilicet abdicatione, aut extra voluntatem propriam auctoritate Ecclesiae per quam ecclesiastico ministerio et jurisdictione exuatur. Quoties igitur haereticus manifestus neque potestati suae nuntium miserit, neque ab Ecclesia privatus extiterit, jurisdictionem retinet, et saltem hoc ipso ad externum Ecclesiae corpus aliqua ratione pertinet, ratione scilicet ipsius ecclesiastici ministerii quod adhuc possidet.

Apposite Sylvius in 2. 2. quaest. 39. art. 3. inquit: « *Verius videtur, quod Episcopi, Parochi et alii Clerici non amittant jurisdictionem ipso facto, quo ipsorum schisma vel haeresis manifestetur; sed tunc demum, quando vel nominatim vel publice denunciantur excommunicati, vel ob istud crimen alia in ipsos fertur per Ecclesiam sententia, vel ultro ipsi manifesteque recedunt ab eo beneficio vel officio quod habent ad haereticorum aut schismaticorum conventicula transeuntes. In Synodo enim VIII. Can. 10.*

statutum fuit. « *Ut nullus Clericus ante diligentem examinationem et Synodicam sententiam a communione proprii Patriarchae se separet, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse praetendat, nec recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria. Idem statuimus de Episcopis erga proprios Metropolitas, et de Metropolita circa Patriarcham suum.* » *Ergo hujusmodi Episcopis, quamvis revera schismaticis, manet sua jurisdictio usque ad sententiam sive excommunicationis, sive aliam, nisi seipsos antea segregent, et altare contra altare palam erigant; alioquin male juberentur Clerici, ut cum illis communicent, utpote jurisdictione carentibus et per consequens invalide absolventibus, ceteraque omnia jurisdictionem requirentia exercentibus.* » Et paucis interjectis: « *Respondeo,* inquit, *haereticos et schismaticos esse quidem extra Ecclesiam etiam seposita excommunicatione, sed non propterea privari jurisdictione; nam Ecclesia quae illis jurisdictionem dedit per Summum Pontificem aliosque Praelatos, eam ipsis continuat ad evitanda scandala et animarum pericula donec declarentur vel sponte recedant. Quare non oportet hic inseparabilia habere, esse extra Ecclesiam, et esse privatum jurisdictione, quia haeretici et schismatici occulti, imo et alii excommunicati sunt extra Ecclesiam, neque tamen existimandum est, quod omnes illi ante sententiam Judicis sint privati jurisdictione.* »

§ CCXXXIV.

DE COMMUNICATIONE CUM HAERETICIS

Sed jam de consortio cum haereticis breviter dicendum est. Antiqui Canones pleni sunt sanctionum atque poenarum quibus Catholicorum consortia cum haereticis vetabantur, et Opera SS. Patrum plena sunt monitionum atque exhortationum quibus fideles ab eisdem consortiis

arcentur. At vero, ut observat Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 6. cap. 5. « *per Canonem concilii Constantiensis a Martino V. approbatum, qui incipit* Ad evitanda, *quique semper in suo vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Conciliorum Basileensis et Lateranensis non nihil relaxata fuit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum atque etiam in divinis communicandum cum haereticis, qui tolerantur et expresse denunciati non sunt tamquam vitandi.* » Ex quo manifestum est non amplius ex lege ecclesiastica, neque vi excommunicationis in haereticos a jure inflictae vetitam esse cum haeretico manifesto communionem, nisi is fuerit expresse et nominatim denunciatus et a corpore Ecclesiae penitus resecatus. Verum aliqui Doctores putant eam communionem cum publico et manifesto haeretico, quamvis non denunciato, si non ex censura ac lege ecclesiastica, at certe jure ipso divino prohiberi. Equidem video neminem dubitantem, quin nefas sit cum haereticis communicare in tribus casibus: 1. Si communicetur in ipsa doctrina, in ritibus haereticis, aliave in re ob quam communicans vel haereticus, vel graviter de sua fide suspectus habeatur. 2. Si ex communicatione periculum perversionis immineat, aut Catholicae Religionis contemptus. 3. Si aliquod scandalum oriatur. Rem totam egregie explicat Suarez de triplici virtute disp. 21. sect. 1. « *Est autem haec prohibitio naturalis vel quatenus ad ipsammet fidem, vel ad charitatem spectat. Ratione fidei: 1. ac praecipue prohibita est communicatio cum haeretico in ipsa doctrina. 2. Prohibetur etiam communicatio in externis ritibus haereticis, quod non solum ad fidem sed etiam ad Religionem spectat. 3. Prohibetur tanta familiaritas cum haereticis, ut communicantem reddat de sua fide suspectum. 1. Ad vitandum scandalum proprium, ne quis in suo periculo errandi se constituat. 2. Ad*

vitandum scandalum proximorum, qui in illo exemplo facile ad familiarem communicationem inducerentur. 3. Ad vitandum nocumentum ipsiusmet haeretici, qui per hujusmodi communicationem fit audacior et in suo errore pertinacior. » Extra hujusmodi casus et concurrente gravissima causa aliqui Doctores autumant communicationem non solum in rebus civilibus, verum etiam in divinis permissam esse. » *Haud equidem ignoramus,* ait Benedictus XIV. cit. loco, *non deesse Theologos ab omni culpa absolventes Catholicos qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denunciatis communicant in divinis, atque etiam Sacramenta ab eisdem recipiunt, dummodo hae simul concurrant rerum circumstantiae: 1. scilicet ut ad praedictam communicationem Catholicos adigat gravissima et urgentissima causa. 2. Ut haeretici aut schismatici, a quibus Sacramenta exposcunt, sint valide ordinati, ut sacra administrent ritu catholico absque ulla admixtione ritus damnati. 3. Ut communicatio cum eisdem in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis. 4. Demum ut nulli scandalum ingerat. Verum in primis praedicta Theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tamquam in praxi sicura: dein ea etiam admissa, quum omnes enumeratae circumstantiae simul et conjunctim adesse debeant, ut Catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, idcirco fere impossibile est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant Catholici sese in rebus sacris cum haereticis vel schismaticis admiscentes.* » Confer Instructionem de Communicatione in divinis Catholicorum cum haereticis et schismaticis editam a S. Congregatione de Propaganda Fide pro Missionariis Orientis, quae incipit Cum saepe, et Responsionem Congregationis S. Officii super dubiis propositis a quodam Missionario Civitatis Tenos, quam utramque refert Giraldi in Expositione Juris Pontificii ad titul. 39. lib. V. Decretalium super Caput Nulli

8. de sentent. excommunic., ex quibus sententia laudati Pontificis mire comprobatur, quod videlicet, etsi *speculative* possit aliquis casus excogitari, in quo ea communicatio licere videatur, *practice* tamen circumspectis omnium rerum circumstantiis, difficile admodum sit et moraliter impossibile casum aliquem inveniri, in quo cum haereticis sine ullo crimine communicetur. Tantum materialis praesentia haereticorum vel schismaticorum precibus ac ritibus catholicis tolerari potest, modo tamen in eisdem functionibus nec proprios ritus adhibeant, nec ritibus Catholicis se immisceant, aliter enim non licet, nec ullo pacto permittenda est.

§ CCXXXV.

DE SCHISMATE

Schisma fit cum aliquis per contemptum et inobedientiam a legitimis Pastoribus se dividit; unde Hieronymus in Ep.ª ad Titum recte ait: « *inter haeresim et schisma hoc esse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habet, schisma propter Episcopalem discessionem ab Ecclesia separat.* » Igitur utrumque delictum hominem segregat ab Ecclesia Catholica, alterum per desertionem a fide, alterum per desertionem ab obedientia et subjectione. Verumtamen schisma sine aliqua haeresi vix ullum est, tum quia schismatici facile sibi persuadent extra Ecclesiae unitatem salutem dari quod aperta haeresis est, tum quia « *aliquam sibi confingunt haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videantur* » quemadmodum subdit Hieronymus cit. loco. At vero triplex schismatis species distingui potest, specialis, particularis, et universalis. Specialis est, quando aliquis a propria Ecclesia suoque Episcopo cum Apostolica Sede communionem habente se

injuste separat et subesse omnino recusat. Hujus generis schismatici si Clerici sint, deponuntur; si laici, extra Ecclesiam projiciuntur. Particularis est, ubi peculiares Ecclesiae inter se dissociantur, quod si fiat salva unitate tum fidei, tum communionis cum universalis Ecclesiae Capite Romano Pontifice, proprie schisma non est, sed potius voluntatum et opinionum dissidium et alienatio. Universale schisma est, dum aliqua Ecclesia, Episcopus, vel fidelis quilibet subjectionem et obedientiam Romano Pontifici denegat: hoc enim ipso ab Ecclesiae unitate discedit, quum Ecclesiae conjunctus esse nequeat qui ab ejus Capite et centro unitatis disjunctus est. Hinc S. Thomas 2. 2. quaest. 39. art. 1. tradit: « *Schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant.* »

Schismatici proprie dicti eisdem ferme poenis ac haeretici afficiuntur. Itemque de communione cum schismaticis in rebus sacris, deque validitate actuum Ecclesiasticae jurisdictionis quam exercuerint, eadem plane locum habent quae his de rebus respectu haereticorum dicta sunt. Ordinationes etiam a schismaticis factae illegitimae et sacrilegae omnino sunt; si tamen Schismatici valide ordinati fuerint, et in Ordinibus conferendis catholicum ritum adhibeant, Ordinationes valent quia character semel receptus etiam in Schismaticis, haereticis, excommunicatis vitandis, depositis, intrusis, simoniacis, aliisque maximis peccatoribus indelebilis manet; unde fit ut nec potestas Ordinis quae, uti loquuntur Theologi, in charactere radicatur, adimi possit neque ullo pacto aboleri. Quamobrem ea quaestio, de qua olim disputatum est, utrum ab haereticis ordinati, iterum ordinandi sint, pendet a quaestione facti, an primi a fide deficientes rite ordinati fuerint, et an quae ad substantiam Ordinationis pertinent, in subsequentibus Ordinationibus fuerint ob-

servata. At vero ordinati ab haereticis, schismaticis, aliisque ejus generis Episcopis « *vulneratum per eam manus impositionem habent caput* » ut loquitur Innocentius I. in Ep.ª ad Rufum et Episcopos Macedoniae, quia usum Ordinis non recipiunt, sed vinculo suspensionis obstricti permanent, et irregularitati propterea obnoxii si ipsos Ordines exercuerint. Hoc sensu hujusmodi Ordinationes in aliquibus Canonibus dicuntur irritae, quantum scilicet exercitium Ordinum spectat, non validam eorum collationem.

§ CCXXXVI.

DE SIMONIA

Religioni et Sacrarum rerum venerationi insigniter repugnat Simonia, seu spiritualium rerum cum temporalibus permutatio. Primus hujus sceleris auctor Simon Magus fuisse dicitur, a quo Simoniae nomen dictum est. « *Hic enim,* ut habemus Act. cap. 8., *Apostolis obtulit pecuniam, dicens: date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum: cui Petrus statim respondit: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* »

At latiori significatione Simonia dicitur, non solum si res spiritualis aut spirituali adnexa, ex. gr. Sacramenta, Sanctorum Reliquiae, jurisdictio spiritualis et hujusmodi, pro re temporali detur aut accipiatur, verum etiam si res spiritualis cum spirituali, veluti beneficium pro beneficio, vel temporalis pro temporali contra legem ecclesiasticam in commercium adducatur. Nomine rei temporalis hoc loco intelliguntur res illae quae neque spirituales sunt neque spiritualibus adnexae, sed aliquam tamen relationem aut ordinem habent ad rem spiritualem, uti officia Œconomi, Sacristae, Advocati, et alia ejus ge-

neris quae ad temporalium Ecclesiae rerum administrationem ordinantur. Haec itaque officia propter periculum et speciem quamdam Simoniae pretio conferri nequeunt, quatenus Ecclesia ob motivum Religionis, nempe ob dignitatem rei spiritualis ad quam referuntur, sub poenis adversus Simoniacos constitutis vetuit in turpem quaestum adduci. Ob eam causam a Jure ecclesiastico sub poenis simoniae vetita est resignatio ecclesiastici Beneficii pacto convento, ut alteri conferatur: « *Renunciare beneficium*, ait S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 5., *ut detur alteri, est simoniacum, quia prohibitum scilicet ex jure positivo* ». Itemque pensionis per Superioris auctoritatem constitutae et assignatae cassatio per anticipatas solutiones, venditio Chrismatis, Olei Cathecumenorum vel Infirmorum, Sepulturae, et rerum aliarum hujus generis, quamvis solius materiae pretium tribuatur. Ad hoc simoniae genus refertur etiam acceptio pecuniae, aut rei alterius etiam sponte oblatae pro examine ad Parochiales Ecclesias; quod graviter prohibuit Tridentinum de Reform. 18., ne scilicet Examinatores « *quidquam prorsus occasione hujus examinis ante vel post accipiant.* » Dum igitur res spiritualis aut spirituali adnexa pro re temporali datur aut promittitur, Simonia juris divini et naturalis dicitur, adeoque prohibetur quia mala est, ac juri naturali divinoque repugnans. Dum autem res spiritualis pro spirituali, et res temporalis pro temporali datur vel accipitur, simonia juris humani et ecclesiastici censetur, quia ex sola juris humani et ecclesiastici prohibitione mala est. Primum itaque Simoniae genus ulla dispensatione humana haud licitum effici potest; in altero dempta per Superioris auctoritatem ecclesiastica prohibitione omne vitium simoniae perimitur, et actus fit validus atque licitus, veluti si beneficium resignetur cum reservatione pensionis, si duo beneficia auctoritate Pontificis

permutentur. Hujusmodi enim resignationes, permutationes tamquam simoniacae, et sub poenis Simoniae a jure ecclesiastico tantum prohibentur, ne propria auctoritate fiant, Cap. Quaesitum 5., et Cap. Olim 7. de rerum permutat. Sylvius in 2. 2. quaest. 100. a. 1. « *Sunt,* inquit, *Auctores qui distinctionem allatam non approbant existimantes nullam esse simoniam, quae jure tantum humano prohibetur. Verum discordia videtur esse de nomine. Non enim asseritur, quod aliqua sit simonia in qua proprie et perfecte competat ratio Simoniae, et tamen solum prohibeatur jure humano, sed dicitur esse aliquod vitium habens similitudinem, et participans imperfectam rationem simoniae; quod ideo vocatur simonia non naturali, sed positivo jure prohibita.* »

Utraque simonia partitur in *mentalem*, *conventionalem*, et *realem*. Mentalis est internus voluntatis actus, quo quis per simulationem alteri rem spiritualem confert ea intentione, ut eumdem obstringat ad reddendum aliquid temporale, aut viceversa aliquid temporale alteri offert aut praestat spe et intentione rem spiritualem, puta beneficium, ab eo impetrandi: et ideo mentalis dicitur, quia nullo expresso aut tacito pacto malitia simoniacae intentionis se prodit exterius, sed in solo animo continetur. Quum autem Ecclesia de internis actibus non judicet, hinc adversus mentalem simoniam nulla a jure ecclesiastico poena statuta est. Conventionalis est externa conventio sive tacita sive expressa dandi vel recipiendi aliquid spirituale pro temporali et viceversa, quae conventio si adhuc ex neutra parte pro traditione rei completa sit, simonia pure conventionalis, si vero ex una parte traditio perfecta fuerit, simonia conventionalis mixta nuncupatur. Nulla in Jure Canonico adversus simoniam sive pure conventionalem, sive conventionalem mixtam, poena perspicue expressa reperitur. Quamobrem in odio-

sis benigniorem legis interpretationem facientes nullam poenam inflictam esse, sed omnem Judicis arbitrio relictam affirmamus. Actus tamen per simoniam conventionalem gesti jure non consistere generatim existimantur, ut si ex. gr. conventa pecunia licet nondum numerata permutatum aut resignatum sit beneficium, talis permutatio vel resignatio nulla omnino et inanis habetur; quam sententiam amplexa est S. Rota in *Paderbonens. Beneficii* 10. Maji 1747. coram Molino.

Tandem realis simonia est conventio utrinque perfecta saltem inchoative, dum e. g. reapse ab una parte res spiritualis data est, ex alia autem aut tota, aut saltem pars conventi pretii soluta fuerit.

His tribus speciebus addenda est Simonia quae *confidentialis* appellatur. Committitur autem, dum aliquis beneficium ecclesiasticum confert aut resignat, vel ad illud praesentat aut eligit, vel electum aut praesentatum confirmat aut instituit cum certa confidentia et obligatione, idest cum expresso vel tacito pacto seu conditione, ut accipiens beneficium, tamquam ex debito beneficium ipsum sibi aut alteri, puta fratri, nepoti, intra certum temporis spatium iterum cedat seu resignet, aut illius fructus vel eorum partem persolvat. Ad hoc simoniae genus extirpandum Pius IV. Constitut. edidit die 4. Decemb. 1564. incip. Romanum Pontificem, et alteram Pius V. die 5. Augusti 1569. quae incipit Intolerabilis attente diligenterque consulendas. Ex his Constitutionibus intelligitur Simoniam confidentialem quatuor modis committi, accessu nimirum, regressu, ingressu, et stipulatione fructuum vel pensionis. *Accessus* est, quando is qui ad beneficii collationem cucurrit eligendo, praesentando, aut confirmando ex inito pacto confidit idem beneficium sibi vel alteri resignatum iri, veluti si quis beneficium accipiat inito pacto cum patrono illud suo tempore resignandi in

favorem alterius qui nondum per aetatem habilis est. *Regressus* est, cum quis ea conditione beneficium resignat, ut resignatarius sibi vel alteri idem beneficium redditurus sit; puta si quis infirmitate correptus alteri beneficium suum resignet cum pacto in idem beneficium regrediendi si convaluerit. *Ingressus* est, cum quis beneficium sibi collatum et nondum possessum eo pacto resignat, ut in illud postea ingrediatur, si resignatarium vita periclitari, aut meliori beneficio donari contigerit. Denique *stipulatio pensionis* est, cum quis patrono praesentanti, aut resignanti, aut conferenti, seu alteri spondet reditus beneficii, aut pensionem soluturum. Porro ad simoniam confidentialem postulatur, ut accessus aut ingressus, aut regressus sint in unum idemque beneficium: quamobrem non confidentialis, sed conventionalis simonia erit, si quis beneficium ea conditione resignet, ut resignatarius non idem, sed aliud beneficium quod possidet in favorem tertii dimittat. Itemque si praesentans, eligens, aut conferens pretium temporale aliquod, non tamen fructus beneficii, sed aliquam ex eo pensionem stipuletur, erit simonia non tamen confidentialis; secus enim simonia omnis confidentialis dicenda foret, quod falsum est; idque probe notandum erit ob diversitatem poenarum quibus variae Simoniae species afficiuntur.

Quoniam autem, ut initio diximus, malitia simoniae in eo sita est, quod res spiritualis aut spirituali adnexa, cujus pretium longe rerum omnium terrenarum valorem excedit, per emptionem et venditionem, vel similem contractum pro re temporali tamquam ejus pretio commutetur; hinc singillatim explicandum est quid nomine pretii, seu rei temporalis in hac causa intelligatur. Jam vero hoc nomine venit quidquid rei temporalis pro re spirituali datur aut promittitur, et dicitur pretium aut munus, et triplex est ex S. Gregorio Papa in Cap. Sicut nonnulli

caus. 1. q. 1. « *Aliud enim*, inquit, *est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa, munus a manu pecunia est, munus a lingua favor.* » Igitur munus ab obsequio quodlibet temporale ministerium aut obsequium, ex. gr. famulatus, administratio rerum, negotiorum gestio, et aliud ejus generis temporale opus intelligitur, quod in commodum et utilitatem alterius expresso vel tacito pacto pro re spirituali promittitur aut praestatur, veluti si quis patroni liberos ad literas informet expresse vel tacite, ut ab eodem ad beneficium praesentetur. Per pecuniam, quae munus a manu est, res omnes pretio aestimabiles sive mobiles, sive immobiles, sive corporales, sive incorporales, mutuationes pecuniarum, debiti remissiones, aliaque hujusmodi intelliguntur. « *Totum enim*, ut legitur Can. Totum 1. q. 3., *quidquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur: Servus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habebant, in pecoribus habebant.* » Itaque munus a manu est, si quis pro ecclesiastico beneficio debitum, pensionem, aut temporalem mercedem, quae sibi solvenda esset, patrono vel collatori remittat. Denique per munus a lingua juxta Piringh in Decretal. lib. 5. tit. 3. n. 135., et communem Doctorum sententiam « *comprehenduntur laudes, commendationes, et preces quae pro aliquo interponuntur, et quidem ex vi pacti expressi vel taciti, ut res spiritualis vicissim detur. Ut si v. g. collator promittat se collaturum alicui beneficium, si pro se apud Principem intercedat, vel se ei commendet.* » Quamobrem preces, laudes, commendationes rationem habent simoniaci pretii, non quidem simpliciter et ex vi sua consideratae, sed quatenus ex pacto tacito vel expresso conferenti rem spiritualem possunt huma-

num favorem conciliare, quum hujusmodi favor pecuniae aut rei temporali aequiparari queat.

Non defuerunt Scriptores qui nullam Simoniae labem, si munus non tamquam pretium rei spiritualis detur, sed dumtaxat tamquam motivum seu gratuita compensatio, ut alter ad dandum spirituale excitetur aut moveatur. In hanc rem duae ab Innocentio XI. propositiones damnatae, quarum una est. « *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* » Altera est: « *Et illud locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.* » Ex quibus compertum est ad patrandum simoniae crimen non semper requiri expressam conventionem seu pactum, sed implicitam etiam et interpretativam sufficere, qua quis det temporale animo alterum obligandi aut movendi ad dandum spirituale, vel viceversa, quandoquidem terrena lucra movere non debent ad spiritualia dispensanda, sed utilitas Ecclesiae et merita personarum.

§ CCXXXVII.

DE REDIMENDA INJUSTA VEXATIONE

Hic quaeritur an si quis injustum impedimentum ponat, quominus beneficium aliamve rem spiritualem consequamur, liceat injustam vexationem pecunia redimere. Qua in re videtur distinguendum, an is cui impedimentum opponitur verum jus ad rem spiritualem acquisitum habeat, nec ne. Si primum, non est simonia, quia nihil

spirituale tunc emitur, sed tantum removetur injuria ab eo illata qui obesse potest, non autem prodesse: secundo casu vera simonia est, quod via ad rem spiritualem pecunia comparatur. Apposite S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. « *antequam alicui acquiratur jus in Episcopatum, vel quamcumque dignitatem, vel praebendam per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere, sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* »

Altera priori affinis quaestio est, an simoniaci sint qui ex pacto ad finiendam litem super re spirituali transigunt aliqua re spirituali vicissim data et accepta. « *Super eo*, inquit Alexander III. Cap. de Transact., *quod quaesivisti, utrum ab ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacra et litigiosa non potest. Etenim res sacrae ut possideantur aliquo dato et retento sive promisso, speciem credimus habere simoniae.* » Et in Cap. Constitutus sic habetur. « *Quia hujusmodi transactiones speciem continent Simoniae, mandamus quatenus revocata transactione in irritum causam audiatis.*

§ CCXXXVIII.

DE POENIS CONTRA SIMONIACOS LATIS

Nefarium et execrabile crimen Simoniae semper Ecclesia detestata est, variisque poenis pro criminum gravitate in Simoniacos animadvertit. Sunt tamen certae poenae a Jure Canonico sancitae, ipsoque facto incurrendae, si in collatione et susceptione Ordinum aut Beneficiorum, aut in Religionis ingressu Simonia patrata

fuerit. Poenae autem sunt hujusmodi. Et 1. quod spectat Simoniam realem in Ordinum susceptione et collatione, si haec simonia occulta sit, tam conferens quam suscipiens Ordines ipso facto excommunicationem incurrunt. 2. Ordinibus initiatus suspensus est tum ab executione Ordinis quem simoniace suscepit, tum ab exercitio aliorum Ordinum quos antea non simoniace susceperit, Ordinans autem a quocumque Ordinum et primae etiam Tonsurae collatione, et a munerum omnium Pontificalium executione ipso facto suspensus, et Ecclesiae ingressu interdictus est. Quod si Ordinans interdictum violet, non modo irregularitatem, verum etiam suspensionem incurrit a regimine et administratione Ecclesiae suae, et a perceptione fructuum Beneficiorum; Ordinatus vero, si ita suspensus actum Ordinis exerceat, irregularitatem incurrit, atque etiam privationem Beneficiorum omnium atque officiorum, et ad ea obtinenda inhabilitatem: Regulares vero incurrunt etiam privationem vocis activae et passivae, et inhabilitatem ad dictam vocem habendam; neque ab his censuris, nisi a Romano Pontifice, absolvi possunt. At si manifestum sit crimen Simoniae, tam Ordinans quam Ordinatus praeter supradictas poenas a gradu suo et ecclesiastico beneficio deponendus est. « *Qui enim per pecuniam quemque consecraverit, vel ab eo consecratus est alienus a Sacerdotio fiat.* » Can. Qui per pecuniam caus. 1. quaest. 1.

Adversus Simoniam realem in Beneficiorum collatione et susceptione patratam triplex poenarum genus est. 1. Est poena excommunicationis. 2. Est invaliditas collationis simoniace factae. 3. Est inhabilitas ad ecclesiastica officia et beneficia. Primo itaque quicumque ecclesiasticum beneficium vel officium sive saeculare, sive regulare conferunt, aut eligendo, postulando, praesentando aut aliis modis directe vel indirecte procurant, et qui-

cumque simoniace acquirunt, ipso jure et ipso facto excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt. Secundo hujusmodi simoniaca collatio, provisio et acquisitio ipso jure nulla est, ita ut beneficiatus sub gravis culpae reatu beneficium dimittere, fructusque omnes quos perceperit restituere teneatur. Demum Beneficiarius inhabilis fit non solum ad idem beneficium vel officium denuo obtinendum, sed etiam ad quaecumque alia beneficia assequenda; quin etiam beneficiis antea canonice acquisitis per sententiam Judicis privari poterit.

Verum confidentialis Simoniae graviores poenae sunt; nam praeter excommunicationem ipso facto incurrendam, et privationem tum beneficii per Simoniam acquisiti, tum alterius cujuscumque beneficii, aut pensionis etiam canonice prius obtentae, atque inhabilitationem ad idem beneficium et ad alia quaecumque assequenda, collatio beneficii per simoniam confidentialem dati vel accepti soli Romano Pontifici reservatur, fructusque male ex eo percepti Apostolicae Camerae applicantur. Sed petes: quid juris est, si non quidem ab eo cui beneficium collatum est, sed eo prorsus inscio ab alio, puta ab ejus patre, simonia commissa sit? Dico autem, quod Ecclesia in detestationem criminis simoniae omnino jubet, ut hujusmodi Beneficiarius, cum primum Simoniam fuisse patratam agnoverit, beneficium etiam ante sententiam Judicis dimittat: « *Secundum sacrorum Canonum instituta,* ait Caput Sicut tuis 33. de Simonia, *etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur.* » At in Cap. Nobis fuit eodem excipitur casus: « *nisi constaret illos qui promissum tale, nempe simoniacum fecerunt per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse* » ut scilicet tali pacto ab assecutione beneficii inhabilis redderetur. Altera exceptio est, cum quis sciens ab alio Simoniam

committi, adversum illam protestetur; si enim protestante prorsus inscio simonia adhuc compleatur et beneficium simoniace conferatur, Beneficiarius non obstringetur ad beneficium hujusmodi abdicandum; « *quoniam ex eo quod contra prohibitionem et voluntatem tuam aliquis, te prorsus ignorante, promisit pecuniam et exsolvit, nihil tibi debet ad poenam et ad culpam imputari*: » ut loquitur cit. Cap. Sicut tuis de Simon. Aliqui Doctores tertium casum excipiunt, dum scilicet aliquis per triennium beneficium possedit bona fide, quod illa verba absque *simoniaco ingressu* videntur omnino postulare, ut Simonia ab ipso ingrediente, vel eo saltem sciente patrata sit.

Denique adversus Simoniam in ingressu Religionis et professione patratam lata est excommunicatio contra personas singulas dantes et accipientes, et suspensio ab officiis capitularibus in Monasterium si consenserit. Utraque poena ipso facto contrahitur ac Pontifici reservatur, Extravag. Sane de Simonia. Is autem qui scienter per Simoniam professus est, in aliud Monasterium arctius detrudi debet ad criminis poenam luendam, Can. 25. de Simonia. Ne tamen simoniacum putes quidquid pro ingressu et admissione in Religionem aut recipitur, aut solvitur; nam ut tradit S. Thomas 2. 2. quaest. 100. art. 3. « *Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae quae in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes.* » Hac de re multa tradit Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 11. cap. 6.

CAPUT III.

DE POENIS ECCLESIASTICIS

§ CCXXXIX.

DE NATURA POENARUM ECCLESIASTICARUM EARUMQUE DIVISIONE

Poenae vel corpus affligunt vel animam, et omnes eo spectant ut criminosi homines coerceantur, et ceteri exemplo poenae a delictis se abstineant. Si quis delicti poenam luat in corpore, quum nempe vinculis, verberibus, exilio aut morte mulctetur, hujusmodi poenae *corporales* dicuntur: si vero privetur participatione Sacrorum, videlicet Sacramentis, Sacrificiis, Sacris officiis, et omni ecclesiastica potestate, quum haec ad affligendam animam pertineant, poenae *spirituales* appellantur.

Hic autem quaeritur, an Ecclesia utroque eo poenarum genere in sontes animadvertere possit? Jam vero quum Ecclesia duplex forum habeat, internum nimirum seu poenitentiale, et externum, atque ideo duplicem etiam tum internam, tum externam potestatem teneat; forum enim sine congrua potestate nec esse potest, nec intelligi, plane consequitur eam non modo spiritualibus poenis, sed etiam corporalibus jure meritoque semper usam esse, criminum reos plectendo verberibus, flagellis, detrusione in monasterium aut in carcerem, exilio, mulcta pecuniaria, aliisque poenis ejusdem generis. Quae quidem potestas antiquissimorum Patrum atque Scriptorum, Pontificum quoque et Conciliorum auctoritate comprobatur.

Hac de re jam dictum est in Jure publ. Ecclesiastico § 7. et 8. Lib. 1. At vero quoties criminis enormitas et magnitudo ea est ut ecclesiasticae coercitionis rationem et modum superet, Ecclesia quae mitiores poenas usurpare solet, et praesertim abhorret a sanguine, criminosum Clericum de gradu dimovet et civili potestati debitis poenis afficiendum tradit, quae sententia est Concilii Trident. sess. 13. de Reform. « *Cum vero,* ait, *tam gravia nonnunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem a Sacris Ordinibus deponendae et Curiae sint tradendae saeculari etc.* » De Clerico autem ob ejus flagitia solemniter degradato et Curiae Saeculari jam tradito Innocentius III. cap. 27. de V. S. illud sapientissime addit: « *pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* »

Praeterea ecclesiasticae poenae dividuntur in vindicativas et medicinales: primae sunt poenae *corporales*, quae in vindictam delictorum inferuntur; alterae sunt *spirituales* quibus in criminosum animadvertitur privatione bonorum spiritualium, et medicinales dicuntur propterea quod ad certum tempus et praefinitum non feruntur, sed indefinite idest donec delinquens resipiscat, ideoque quamdam rationem habent medicinae quae adhibetur usque dum aegrotus convalescat. Quae quidem conditio usque dum reus resipiscat vel ad bonam frugem se recipiat, etiamsi in poenis medicinalibus expressis verbis non enuncietur, pro adjecta tamen semper habenda est. Poenae vero medicinales proprio nomine *Censurae* vocantur, de quibus praesertim dicendum nobis est.

§ CCXL.

DE CENSURIS

Censura definiri potest - poena spiritualis et ecclesiastica, per quam homo baptizatus et graviter delinquens quorumdam spiritualium bonorum usu privatur donec a contumacia recedat. - Dicitur *spiritualis*, quia non corpus, sed animam affligit privatque spiritualibus bonis; *ecclesiastica* vero, quia ab Ecclesia, potestatis vi quam a Christo Domino accepit, ob grave crimen infertur. Hisce vero poenis soli Christiani afficiuntur; qui enim salutaris baptismatis lavacro non est ablutus, extra Ecclesiam manet, ideoque ejus potestati non est obnoxius. « *Quid enim mihi*, ait Apost. I^a. ad Corinth. 5., *de iis qui foris sunt judicare?* » Itaque Ethnici, Judaei, et quotquot baptizati non sunt, Censuris non innodantur. Quomodo enim communione Ecclesiastica interdici possunt qui intra eamdem communionem nunquam extiterunt?

Ne vero Censurae facile contemnantur et effectu careant, Sacrorum Canonum decreto cautum est, ut qui censuras violat, statim irregularitatem incurrat. Deinde Trid. Synodus sess. 25. cap. 12. de Reform. jussit: « *Censuras et interdicta ne dum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicari atque servari.* » Denique ex eadem Tridentina Syn. sess. 25. cap. 3. de Reform: « *Si quis obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de haeresi suspectum procedi possit.* »

§ CCXLI.

DE CENSURARUM DIVISIONE

« *Quaerenti quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris litteris apponimus : respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi.* » Ita Innocentius III. in Cap. Quaerenti de V. S. Tres itaque sunt Censurarum species seu divisiones, Excommunicatio, Suspensio, et Interdictum, quae in eo inter se differunt, quod homo per excommunicationem communione ecclesiastica in totum privetur et tamquam Ethnicus et publicanus rejiciatur; per Suspensionem Clericus vel Monachus Sacro ministerio exuatur; per Interdictum quaedam loca vel personae communibus precibus, participatione Sacramentorum, ac divinis officiis interdicantur. De quibus omnibus infra singillatim dicendum erit.

At vero in errore versantur qui depositionem, degradationem, et irregularitatem inter Censuras referendas esse arbitrantur. Depositio enim et degradatio non medicinales poenae sunt quae reo ad meliorem frugem se recipienti statim cessent, sed poenae vindicativae; irregularitas vero non censura, sed impedimentum ad Ordines.

Praeterea Censurae generatim dividuntur inter *Censuras a jure,* et *Censuras ab homine* latas, quarum primae sunt quae a Legislatore per legem aut edictum perpetuum irrogantur in eos omnes qui legem illam aut edictum violaverint. Censurae vero ab homine sunt, quae a Judice per sententiam judicialem, aut per mandatum seu praeceptum personae certae irrogantur. Censurae a

jure et censurae ab homine latae in eo potissimum discrepant, quod censura, quae ab homine fertur, semper reservata censetur, atque ideo ab ejus tantum Auctore, aut Superiore, aut delegato absolvi et relaxari potest: contra vero censura a jure lata nunquam reservata habenda est, et propterea a quocumque in foro interno et externo jurisdictionem habente rite absolvitur et relaxatur, nisi conditor Canonis sive legis aperte sibi reservaverit.

Rursus Censurarum partitio est in eas quae *ferendae sententiae* et in eas quae *latae sententiae* dicuntur. Censura latae sententiae ea est, quae sola admissione criminis absque ulla Judicis sententia ipso facto contrahitur, et proinde « *executionem secum trahit* » Cap. Pastorali de Appellat. Censura ferendae sententiae est, quae ipso facto videlicet admissione delicti statim non incurritur, sed per sententiam Judicis irrogatur. Utriusque discrimen ex verbis quibus lex concepta est facili negotio intelligitur. Censura enim latae sententiae significatur per haec vel similia verba: « *Excommunicatus sit ipso jure vel facto. - Excommunicationem statim incurrat. - Sub poena excommunicationis illico, confestim incurrenda etc.* » Censura vero ferendae sententiae hisce vel aliis similibus verborum formulis ostenditur. « *Excommunicabitur. - Praecipimus sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis etc.* » Cum vero ex Regula Juris 49. in 6.° « *in poenis benignior est interpretatio facienda* » illud consequitur quod in dubio Censura non latae, sed ferendae sententiae judicanda est.

Censuris ferendae sententiae trinae admonitiones praemittendae sunt ex decreto Concilii Lugdunensis, quod habitum est a Gregorio X. Pontifice, et refertur in Cap. Constitutionem de sent. excomm. in 6.° ubi haec leguntur: « *Statuimus ut inter monitiones quas (ut canonice promul-*

getur excommunicationis sententia) statuunt jura praemitti, Judices, sive monitionibus tribus utantur sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda. » Qui profecto Canon licet de sola excommunicatione mentionem faciat, et alias Censuras, suspensionem nempe et Interdictum non commemoret, dubitandum tamen non est quin ex concordi Doctorum sententia Censuris omnibus communis habendus sit. Igitur canonica monitio trina sit oportet, ideoque tribus distinctis vicibus facienda. Si vero una pro tribus adhibeatur, aliquot dierum intervalla observanda sunt antequam sententia feratur. Tridentina autem Synodus sess. 25. cap. 3. de Reform. binas saltem monitiones praemittendas decrevit.

In ferenda vero Censura latae sententiae nulla monitio praemittitur, quandoquidem lex ipsa sive Canon continuo admonet, et satis est contumax qui eidem Canoni sive legi praecipienti et admonenti obtemperare recusat. Verumtamen quidam Canonistae videntur Censuras latae sententiae minime probare, quandoquidem sine monitionibus, sine testibus, sine ulla defensione poenam irrogant, quod certe ab aequitate alienum esset. At vero qui haec opponunt, ii quidem disciplinam Ecclesiae bene cognitam exploratamque non habent. Nam cum ex Regula Juris nemo puniendus sit nisi probetur reus, nulla in foro externo poena irrogatur, nisi postquam sententia declaratoria criminis prolata fuerit. Gerson in Tract. de vita spirit. anim. lect. 4. coroll. 14. praeclare observat excommunicationem latae sententiae id efficere « *ut absque processu alio judiciali aut nova constitutione possit Judex statim probato facto vel confessato ferre juris sententiam et eamdem publicare, non sic ubi Canones essent solum ferendae sententiae, quoniam monitiones et processus secundum termi-*

nos juris perquirerentur multiplices. » Igitur in foro ecclesiastico externo requiritur officium Judicis, requiruntur probationes facti, vel rei confessio antequam poena censurae latae sententiae adnexa irrogetur. Civilis etiam Societas leges condit quibus sine monitione, sine testibus eos damnat vinculis, verberibus, exilio, morte qui graviora aliqua crimina perpetraverint. Ubi vero aliquis condemnandus est, processus quidem a Judice instruitur, et secundum juris formulas ac leges conficitur, probationes, defensiones, et denique sententia postulantur, et postea reus debita poena plectitur. Quid autem inter Ecclesiae et Societatis sententiam differt, si ea consideremus quae ad Judicii substantiam pertinent ?

§ CCXLII.

DE POTESTATE FERENDI CENSURAS

Potestas ferendi Censuras Antistitibus Ecclesiae a Christo Domino tradita est, dum eis dixit: « *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelis.* » His nempe verbis ex concordi SS. Patrum sententia et Conciliorum auctoritate non modo potestas ferendi leges, sed etiam corrigendi atque puniendi totamque Ecclesiam administrandi continetur. Haec autem potestas Petro et Apostolis concessa in eorum Successores transit, adeoque ad Romanum Pontificem atque ad Episcopos jure divino pertinet. In primisque Romanus Pontifex in omnes Catholicos censuris animadvertere potest, Episcopi autem in eos tantum qui sibi subditi sunt. Jure vero Ecclesiastico ferendarum Censurarum potestatem habent Praelati vere *nullius* cum territorio separato, Moderatores Ordinum Religiosorum, et generatim omnes qui in externo

foro ecclesiasticam jurisdictionem exercent. Quoniam vero necesse est poenam cum peccatis metiri quum ratio et aequitas id postulent, hinc sequitur Censuras, quae omnium gravissimae poenae sunt, in reos graviorum et enormium criminum, et contumaces irrogandas esse: et si ob culpam levem inferantur, irritae et nullae sunt, nisi forte culpa levis ob circumstantias, ex. gr. ratione scandali aut periculi quod immineat, viam parare ad graviora peccata facili negotio possit. Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. lib. 10. cap. 1. num. 3. docet non solum excommunicationem, sed etiam « *suspensionem a divinis, seu ab officio et beneficio, ad longum tempus, atque interdictum etiam personale, nisi partiale sed integrum et totale, nec valide propter culpam levem, nec prudenter propter lethalem, quae gravioribus non accenseatur, irrogari.* »

Praeter culpam gravissimam et manifestam necessaria quoque est multa et accurata circumspectio, ne quis temere sua potestate utatur. Quapropter plures viri sanctitate et doctrina illustres non dubitarunt, Constitutiones etiam Apostolicas reprehendere, in quibus secundum morem illorum temporum quidquid fieri juberent vel vetarent, poenam praesertim anathematis irrogabant adversus eos qui non obtemperassent. Et revera S. Petrus Damiani Epist. 12. ad Alexandrum II. ita scripsit: « *Delinquit itaque quisquis ille est in illud Apostolicae Constitutionis Edictum, et aliquando levi quadam et perexigua offensione transgreditur, et continuo velut haereticus et tamquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententia condemnatur. Et quum dictante justitia alia sit ultione plectendus qui plus delinquit, alia qui minus excedit; hic graviter leviterque peccantibus aequa cunctis et indifferens poena solius scilicet anathematis irrogatur .... Quamobrem si sanctae prudentiae vestrae placet, hunc morem de cetero a Decretalibus paginis amoveri praecipiat,*

et vel damni pecuniae, vel alterius cujuslibet ultionis calculum in earum transgressione praefigat: ne quod aliis est ad tuitionis munimenta provisum, aliis ad perniciem proveniat animarum » apud Benedictum XIV. de Syn. Dioeces. cit. lib. 10. cap. 1. num. 4. Itaque ante oculos semper habenda est sapientissima haec admonitio Tridentinae Synodi sess. 25. cap. 3. » *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, quum experientia doceat, si temere aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem.* »

§ CCXLIII.

DE EXCOMMUNICATIONE

Cathari et Albanenses, Wicleffus et Hussius, Lutherus et Jansenistae, multique eorum assentatores atque asseclae totis viribus elaborarunt ut excommunicandi potestatem quam Christus Ecclesiae suae tradidit, penitus ab ea eriperent, aut eam veluti nomen inane exhiberent, quod continendis in officio hominibus nihil admodum prodesse posset. Haec itaque potestas Ecclesiae ejusque Antistitibus divinitus data tamquam spiritualis gladius, et nervus Ecclesiasticae disciplinae, a Cultoribus Juris Publ. Ecclesiastici maxime tuenda est, id quod in ejusdem Juris Institutionibus Lib. II. § 32. praestitimus. Restat itaque ut de excommunicatione aliisque Censuris Ecclesiasticis ea tradamus, quae in canonica disciplina atque foro ecclesiastico usum habere possunt.

Jam vero excommunicatio alia major, alia minor appellatur. Minor excommunicatio ea dicitur, qua irretitus a

suscipiendis Sacramentis obtinendisque Beneficiis arcetur. Contrahitur haec excommunicatio, ubi quis cum excommunicato majori excommunicatione extra crimen communicat. Nam qui communicat in crimine criminoso, ut ajunt, majori excommunicatione irretitur. At si Sacerdos minori excommunicatione obstrictus celebret, quamvis Eucharistiae Sacramentum suscipiat, non tamen irregularitatem incurrit, quod sancivit Gregorius IX. Cap. Si celebret de Clerico excomm. ministr. « *Si celebret minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen irregularitatis notam incurrit.* »

Excommunicatio major gravissima omnium Censura est, per quam Christiani enormium criminum rei et manifesti a tota communione Ecclesiastica tamquam Ethnici et publicani ejiciuntur, donec emendentur et Ecclesiae satisfaciant. Itaque excommunicati cadunt omni jure, quod per baptismum adepti erant. Speciatim vero remoti sunt 1. A *bonis sacris*, idest susceptione et administratione Sacramentorum, participatione Sacrificiorum, et communibus Ecclesiae suffragiis, indulgentiis, atque precibus. Interim vero cuilibet licet pro excommunicato preces privatas fundere ut convertatur et vivat: hoc enim est merum charitatis officium, quod nullam in Sacris communionem inducit. 2. Remoti sunt a *bonis spiritualibus externis*, hoc est a beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis, ab omni ecclesiastica jurisdictione et potestate, atque ab ecclesiastica sepultura. 3. Denique removentur a *bonis humanae societatis*, nempe ab omni commercio et communicatione non solum in sacris, sed etiam in civilibus. At Martinus V. Pontifex Maximus in Extravag. Ad evitanda in Concilio Constantiensi edita, quam S. Antoninus retulit in Summa Theologica par. 3. tit. 25. cap. 3., rigorem antiquae disciplinae valde mitigavit. Ex ejusdem Extravaganti, quam universa Ecclesia recepit, facta est distinctio inter

excommunicatos *vitandos* et *toleratos*. Excommunicati vitandi ii sunt, in quos excommunicationis sententia a Judice *prolata et publicata specialiter et expresse fuit*: itemque ii qui palam in Clericum sacrilegas manus injecerunt etsi a Judice non denunciati, tamen vitandi omnino sunt. Tolerati vero dicuntur qui licet excommunicati, ex sententia tamen Judicis non sunt publice et expresse denunciati tamquam vitandi. De his inquiritur, num Catholicis fas sit cum eisdem conversandi atque etiam in divinis communicandi? De hac quaestione jam disputavimus superiori §. 234.

Quicumque a proprio Episcopo excommunicatus est, ab ipso tantum, non ab alio quovis Episcopo absolvi, neque in communionem recipi potest. Nam recta regiminis ratio postulat ratas et fixas manere poenas, quibus una Ecclesia in sontes animadverterit, idque etiam Sacris Canonibus sancitum est. Quapropter Pontificale Romanum part. 3. de ordine excommunicandi et absolvendi praescribit. « *Epistola Presbyteris per Parochias et etiam vicinis Episcopis mittatur continens nomen excommunicati et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam alterius illi communicet.* » Excipe tamen Romanum Pontificem qui ob amplam potestatem quam in universam Ecclesiam habet, excommunicatos quoscumque, ubi sibi visum fuerit, absolvere poterit et Ecclesiasticae communioni restituere.

§ CCXLIV.

DE SUSPENSIONE

Alterum Censurarum genus suspensio est, per quam Clericus ab officio vel beneficio, vel ab utroque suspenditur. Suspensio itaque differt ab Excommunicatione et Interdicto: his etenim et Laicus et Clericus ligari potest:

Suspensio vero in Clericum dumtaxat fertur. Quare Moniales, atque etiam Regulares qui nullo Ordine initiati sunt, etsi privilegiis Clericorum fruantur, suspensione tamen, quatenus Censura est, non afficiuntur.

Triplex igitur est suspensio: prima a solo officio, quum per eam Clericus exercere vetatur universa officia quae ab Ordine vel jurisdictione pendent. Secunda a solo beneficio est, per quam Clericus salvo Ordinis et jurisdictionis usu, jure percipiendi fructus sui beneficii, ejusque administratione privatur. Tertia denique ab officio simul et beneficio, qua persona ecclesiastica tum usu potestatis Ordinis et jurisdictionis, tum etiam jure percipiendi fructus sui beneficii ejusque administratione interdicitur. Quidam putant suspensionem ab officio includere suspensionem etiam a beneficio, quia beneficium datur propter officium. Qua in re videtur contraria sententia tenenda esse, propterea quod in jure suspensio ab officio et beneficio duae distinctae suspensiones sunt, nec altera alteram includit. Praeterea hac de re perspicuus est textus in Cap. 10. de purgatione Canonica.

Si suspensio absolute lata fuerit, nec qualis ea sit ex contextu legis aut sententia intelligi possit, communiori Doctorum sententia generalis suspensio, ab officio nempe et a beneficio, habenda est, quia nulla inest ratio cur suspensio ad unam potius quam ad alteram partem limitetur, sicuti etiam excommunicatio simpliciter lata de majori excommunicatione intelligitur. Aliquando autem suspensio pro parte irrogatur, et quidem pro ea parte tantum servanda est, non item pro reliquis. Ita suspensus a Jurisdictione non ab usu Ordinis, poterit ea omnia agere quae ad Ordinem spectant, nisi in aliquo actu jurisdictio necessaria foret, uti in excipiendis Sacramentalibus Confessionibus, quia sine jurisdictione absolutio evadit nulla.

Praeterea suspensio aut sine ullo tempore praefinito indici potest, aut ad certum tempus, puta ad annum, aut in perpetuum. Suspensio nullo certo tempore praefinita pro vera Censura habetur, quoniam medicinalis est, nam spem veniae offert statim ac reus ad bonam frugem redierit. Si vero ad certum tempus, vel in perpetuum lata fuerit, non est Censura, sed poena vindicativa, quia sine ulla spe veniae permanet donec statutum tempus elabatur. Haec autem suspensio, quatenus vera poena est, per dispensationem tollitur ab illo qui eam irrogavit. Suspensiones tamen, quae per modum Censurae vel poenae a jure communi impositae fuerint, ab Episcopis absolvi et relaxari nequeunt, utpote quibus derogando juri communi nulla inest facultas.

At vero suspensiones proprie dictae sine causa ferendae non sunt, quam etiam in scriptis exprimi oportet, et monitiones insuper praemittendae, nisi suspensio sit latae sententiae, tunc enim lex ipsa admonet, de quo supra diximus.

Verum ex decreto Concilii Tridentini sess. 14. cap. 1. fas est Episcopo *ob crimen occultum* sibi cognitum atque perspectum *quomodolibet*, *etiam extrajudicialiter*, nullis nempe actis judicialibus confectis Clericum a Sacra Ordinatione repellere, aut etiam usu Ordinum quibus initiatus est interdicere. Quicumque vero ab usu Ordinum suspensus irregularitatem incurrit, si eosdem Ordines exercuerit.

§ CCXLV.

DE INTERDICTO

Postremum Censurarum genus est Interdictum quod definitur — Censura, qua quibusdam locis aut personis divina officia, Sacramenta et Ecclesiastica Sepultura inter-

dicuntur. — Est igitur interdictum vel *locale* quod locum ipsum, vel personale quod personam, vel *mixtum* quod locum et personam afficit. Praeterea locale Interdictum vel *generale* est, quod integram nationem, provinciam, Regnum, et Civitatem complectitur; vel *particulare* quo unus tantum locus, veluti una tantum Ecclesia Sacrorum usu privatur. Interdictum etiam personale vel generale est vel particulare: generale quum in totum Clerum vel populum infertur, ita tamen ut si Clerus interdicatur, eo nomine populus non contineatur, et vicissim interdicto populo Clerus interdictus non censeatur: particulare autem illud est, quod unam pluresque personas certas et nominatim expressas percellit.

De Interdictorum origine et antiquitate quaestio est. Alii putant ignota fuisse interdicta ante S. Gregorium VII. qui anno 1073. Apostolicam Sedem conscendit: alii ea tribuunt Alexandro III. qui 1159. Pontificatum obtinuit: alii denique Interdictorum originem multo antiquiorem esse, idque probare contendunt ex Canone Concilii Romani anno 863. quo decernitur. « *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel pro interdictione imminentium vel futurorum malorum a Sedis Apostolicae Praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* » Multi denique interdictorum exemplar valde luculentum et apertum saeculo VI. agnoscunt, dum comperta Sancti Praetextati morte, qui in sua Cathedrali Sede Rothomagensi anno 586. interfectus fuerat, omnes Rothomagensis Urbis Ecclesiae clausae fuerunt, ne populus divinis officiis interesse posset, donec S. Episcopi interfector detegeretur.

Interdictum autem ad terendos contumaces multum conducit; sed visum est antiquae disciplinae severitatem cum prudenti moderatione conjungere. Itaque Innocentius III.

praeter parvulorum baptismum et morientium poenitentiam permisit, ut tempore Interdicti praedicatio Evangelii ad populum fieret, et pueris baptizatis confirmatio tribueretur; itemque ut Viaticum decedentibus, et Clericis qui Interdictum servaverunt Ecclesiastica sepultura concederetur. Gregorius IX. amplius permisit, ut in unaquaque hebdomada Missa privata, sed submissa voce, silentibus Campanis, et clausis Ecclesiae januis celebraretur, in qua Corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negabatur, conficeretur. Denique Bonifacius VIII. in Cap. Alma mater de senten. excomm. in 6.° concessit, ut « *tempore Interdicti ab homine vel a jure prolati non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam quam infirmi, ad poenitentiam licite admittantur.* » Permisit insuper « *ut singulis diebus in Ecclesiis et Monasteriis Missae celebrarentur, et alia dicerentur divina officia sicut prius; submissa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis.... In festivitatibus vero Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosae campanae pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, modo qui causam interdicto dederint ad altare non accedant.* » Martinus V. ad praefatos solemnes dies Festum quoque Corporis Christi atque ejus Octavam adjunxit.

Interdicta ab omnibus observanda sunt, et quicumque ea violaverint gravissimis poenis afficiuntur, et si Clerici fuerint, irregularitatem incurrunt, a qua non possunt nisi a Summo Pontifice absolvi, cap. 18. de sent. excomm. in 6.° Regulares vero etiam exempti, qui interdictum generale aut locale a S. Pontifice inflictum non servaverint, excommunicatione mulctantur.

Praeter Interdictum hactenus explicatum est etiam aliud quod ab ingressu Ecclesiae dicitur, et ab aliquibus partiale Interdictum, ab aliis novum genus Interdicti appellatur. Interdictus itaque ab ingressu Ecclesiae non potest ibi divinis officiis participare, et « *is cui est Ecclesiae interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat* » Cap. 20. de sent. excomm. in 6.° Hoc Interdicto ligatur etiam laicus, et sane in Canone Omnis utriusque sexus de Poenitentia et Remissionibus, Laicus qui semel in anno confessus non fuerit, et Eucharistiam in Paschate non perceperit « *vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* » S. Ambrosius ob caedem Thessalonicam, in qua tot innocentes necati sunt, Theodosium Magnum Imperatorem ingressu Ecclesiae prohibuit.

Affinis Interdicto videtur etiam *cessatio a divinis*, per quam Clerici vetantur divina officia celebrare in Ecclesia, quae adulterio, homicidio, vel alio gravissimo crimine polluta fuerit. Non itaque infligitur ob criminis, quod jam patratum est, emendationem, ideoque proprie Censura non est, sed divina officia in ea cessant, ut populo salutaris terror, et criminis horror incutiatur. Antequam vero Ecclesia reconcilietur, si Clericus divina officia in ea celebraverit, gravem culpam contrahit, non tamen fit irregularis. Regulares vero excommunicantur si cessationem a divinis violaverint, Clement. I. de sentent. excomm.

§ CCXLVI.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS

Saepe dictum est et iterum dicamus oportet duplex esse in Ecclesia forum, internum et externum; et Censura semel irrogata in utroque foro absolvenda et relaxanda est. Praeclare Innocentius III. Cap. A NOBIS 28. de sent. excomm.: « *vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpae remissione dissolvitur: illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur.* » Confirmatur ex Cap. CUM DESIDERES de sent. excomm., ubi cautum est, ne excommunicatus per solam resipiscentiam absque absolutione habendus sit pro absoluto, et Cap. QUA FRONTE de Appellat. idem declaratur de excommunicato et interdicto. Quod vero ad suspensionem pertinet, nonnulli Doctores dubitare visi sunt, propterea quod Cap. SAEPE de Elect. in 6.° haec habentur: « *eo ipso sint et tamdiu maneant ab officio et beneficiis quibuscumque suspensi, donec plane restituerint* »; ubi Glossa addit: « *impleta conditione suspensio cessat per se ipsam.* » Haec autem Glossae, non Canonis verba ita communiter explicantur, ut quamvis sublata contumacia videatur Ecclesiae satisfactum fuisse, poena tamen pro culpa sine absolutione non dimittatur. Huc spectat propositio ab Alexandro VII. damnata, nempe: « *Quoad forum conscientiae reo correcto, ejusque contumacia cessante cessant Censurae.* »

Censurae vero, ut diximus, vel a Judice vel a Jure latae sunt. Itaque Censurae ab Episcopo seu ab alio Judice Ecclesiastico latae, ab ipso Episcopo vel Judice qui eas irrogavit, per se aut per idoneum Sacerdotem

absolvendae, et in foro externo per eosdem Episcopum vel Judicem sunt relaxandae.

Quod vero pertinet ad Censuras latae sententiae, haec recepta regula est: si Summus Pontifex aut Canonis Conditor earum absolutionem sibi expresse non reservaverit, ab Episcopo vel etiam a quocumque Sacerdote ad excipiendas Confessiones approbato unusquisque absolvi potest, quam regulam Innocentius III. cap. 29. de sent. excomm. expresse tradidit his verbis: « *quia tamen Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* » In iis vero quas Summus Pontifex aut alius Canonis Conditor sibi reservavit, nemo absolvere potest, nisi ab ipso Summo Pontifice absolvendi facultatem obtinuerit, excepto mortis articulo in quo ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.: « *nulla est reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* » Absolutiones vero Censurarum latae sententiae ad forum internum pertinent, et si fuerint reservatae, auctoritas seu delegatio legitimi Superioris requiritur, ut jam dictum est; in ea autem delegatione censetur concessa quoque relaxatio in foro externo, nisi adjuncta sit clausula quae a Summis Pontificibus adjungi solet: « *dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint, nec facile futurum sit ut deducantur.* »

At vero censura irretiti, veluti excommunicati dum viverent, etiam post mortem ab Ecclesia pacem non obtinent, nisi postquam ab eadem absolutionem seu Censurarum relaxationem impetraverint, nam « *quantacumque poenitentiae signa praecesserint, si tamen morte praeventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen et debet ei Ec-*

clesiae beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. » Innocentius III. Cap. 28. de sent. excomm. Haec autem absolutio vita functis data eorum saltem memoriae admodum prodest, eo quod ecclesiastica sepultura donantur, atque Ecclesiae precibus et fidelium communioni restituuntur.

Praeterea in Censuris dantur etiam absolutiones *ad cautelam.* 1. Cum incertum, num aliquis ob factum vel commissum censuram contraxerit. 2. Cum agitur de gratia et favore alicui impertiendo, cujus adeptioni Censura a jure lata et ignorata impedimentum afferret, ob eamque causam ne quis concessis favoribus et gratiis careat, ea absolutio ad cautelam in omnibus Rescriptis et Bullis Apostolicis tribuitur. Sic etiam Sacerdotes in administrando poenitentiae Sacramento eamdem absolutionem a Censuris praemittunt antequam a peccatis absolvant.

§ CCXLVII.

DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE

Hactenus de Censuris; nunc de poenis Ecclesiasticis agendum est. In veteri Ecclesiae disciplina nullum inter depositionem et degradationem discrimen fuisse videtur. Nunc vero una ab altera maxime distat; depositio enim est poena ecclesiastica, qua Clericus perpetuo privatur aut exercitio suorum Ordinum, aut officio, aut beneficio, retentis tamen privilegiis Clericalibus Canonis et Fori. Itaque depositio ad suspensionem accedere videtur, in eo tamen discrepat quod suspensio non sit perpetua, quum veri nominis censura sit: degradatio autem, quae etiam realis, actualis, et solemnis depositio appellari so-

let, est poena qua Clerico detrahuntur insignia clericalia singulorum Ordinum a summo ad novissimum, abraditur etiam clericalis tonsura, et perpetuo privatur omni usu Ordinis, omnique jurisdictione, ministerio, officio et beneficio ecclesiastico. Denique privatur privilegiis Clericalibus Canonis quoque et Fori, ita ut in posterum potestati civili in omnibus tamquam laicus subjiciatur.

Itaque potiora discrimina, quae depositionem inter et degradationem intercedunt, haec sunt.

1. Depositio fieri etiam potest a Vicario Generali; degradatio autem ab uno Episcopo facienda.

2. In Depositione non requiritur vel Episcoporum, vel Dignitatum, vel Sacerdotum numerus, qui ad degradationem necessarius est, ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 4.

3. In Depositione potest vel officio, vel beneficio, vel Ordinis usu separatim privari; sed in degradatione tria illa simul amittuntur.

4. Depositio non privat privilegiis Canonis et Fori; degradatio autem utrumque tollit.

5. Depositus Curiae Saeculari non subditur; degradatus vero eidem Curiae traditur.

6. Depositus in proprium gradum ab Episcopo; degradatus autem ab uno Romano Pontifice restitui potest.

Depositio, utpote poena gravis, non est nisi ob grave delictum irroganda; degradatio autem, quae omnium gravissima poena est, infligitur propter quaedam enormiora crimina quae in Jure speciatim expressa habentur: sunt autem haeresis et apostasia a fide saltem cum pertinacia, falsificatio litterarum Apostolicarum, assassinium, nefandum crimen non semel admissum, sollicitatio ad turpia in Sacramentali Confessione, celebratio Missae aut exceptio Sacramentalis Confessionis sine Ordine Sacerdotali, falsificatio sive erogatio falsae monetae aureae

vel argenteae, et verae monetae detonsio in Italiae provinciis, furtum sacrilegum Sanctissimae Eucharistiae vel Sacrae Pixedis etiam sine divinis particulis, et denique procuratio abortus foeti animati. Itaque Clerici propter haec enormia crimina degradati Magistratibus traduntur; ob alia vero crimina etsi gravissima non degradantur, sed pro qualitate criminum aliis debitis poenis mulctantur.

§ CCXLVIII.

DE LAICA ET PEREGRINA COMMUNIONE

Omnes consentiunt communionem tum laicam, tum peregrinam duplex poenarum genus fuisse, quibus in veteri Ecclesiae disciplina Clerici afficiebantur, sed in iis poenis singillatim determinandis valde dissentiunt. Bellarminus de Eucharistia lib. 4. cap. 24. laicam communionem fuisse existimat Communionem sub una tantum specie « *quae in poenam gravis alicujus delicti olim dabatur Clericis, ablata eis communione clericali* ». Quae quidem opinio communiter non probatur, quum certum sit olim etiam laicos sub utraque specie communionem percepisse. Lindanus aliique laicam communionem fuisse putant quam Clerici depositi non intra Sanctuarium in quo reliqui Clerici communicant, sed extra sacros cancellos cum laicis accipiebant. Verum non videtur ex solo loco, ubi Eucharistia sumebatur, laicam communionem aestimandam esse; enimvero quum Presbyter aegrotans in suis aedibus communicatur, eam laicam communionem fuisse nullo modo dici potest. Petrus de Marca, et Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 19., aliique rectius existimant laicam communionem nihil aliud fuisse, quam veram degradationem per quam Clerici ob delicta pa-

trata omni gradu et officio, omnibusque clericalibus privilegiis privabantur, adeoque ad communionem laicam redigebantur, et cum solis laicis communicabant.

Quam veteris Ecclesiae disciplinam Apostolica Sedes praesertim in Galliis secuta est. Quum enim postremis elapsi saeculi annis in maxima illa sacrarum humanarumque rerum perturbatione multi Sacerdotes ex utroque Clero impetu tempestatum abrepti scelcribus et flagitiis se contaminassent, dein vero cum ibidem res publicae atque etiam religiosae in ordinem adduci cepissent, eorum plures superiorum enormitatum dolore ac poenitentia ducti ad Apostolicam Sedem confugerunt enixe rogantes veniam, et vehementer exoptantes cum reliquis fidelibus Catholicae unitati iterum consociari. Itaque Sancta Sedes, quum id ad Ecclesiae pacem et Catholicae unitatis bonum maxime conducere intelligeret « *proprio uniuscujusque Oratoris Episcopo gratiam et communionem cum Apostolica sede habenti facultatem communicavit, Oratorem ipsum dummodo indubia poenitentiae signa exhiberet a poenis et censuris ecclesiasticis, a recessu a statu clericali, sacrilegiis, attentatibus et excessibus admissis Apostolica auctoritate in utroque foro absolvendi in forma Ecclesiae consueta, injuncta pro modo culparum poenitentia salutari, aliisque injunctis de jure injungendis, firmis quoad eumdem Oratorem tum irregularitate ex praemissis et praemissorum occasione contracta, quam inhabilitatione ad quodcumque Sacrorum Ordinum exercitium, atque ad quaevis ecclesiastica officia et beneficia seu obtenta, sive assequenda, et ad illorum emolumenta et fructus ex iisdem quoquo modo percipiendos.* » Denique declaratur et decernitur: « *eumdem Oratorem ad simplicem laicorum communionem hoc ipso traductum, nec non omnibus juribus et privilegiis clericalibus prorsus spoliatum remanere.* » Itaque etiam aetate

nostra Clerici criminosi omni gradu et officio dejecti, ac usu Ordinum omnibusque juribus et clericalibus privilegiis expoliati ad laicam communionem traducuntur.

Communio autem peregrina erat alterum poenae canonicae genus, quo Clerici in veteri Ecclesiae disciplina mulctabantur. Quid vero fuerit, variae et discrepantes sunt Doctorum sententiae. Bellarminus communionem peregrinam eamdem ac laicam fuisse putat, sed fallitur eo quod Clericis ad laicam communionem redactis nulla spes remanebat pristini gradus recuperandi, sed Clerici ad communionem peregrinam traducti, peracta poenitentia ex Can. II. Concilii Agathensis « *suum gradum dignitatemque recipiebant.* » Glossator Gratiani contendit, nomine communionis peregrinae significari communionem quae nonnullis Clericis criminosis in exitu vitae dari consuevit, dum nempe de hoc mundo peregrinabantur; inepta quidem interpretatio, non enim qui moritur, sed qui vivit amissum gradum ac dignitatem recipere potest. At aliis hujusmodi opinionibus in medio relictis verior aut certe probabilior sententia est, Clericos ad communionem peregrinam traductos de bonis quidem Ecclesiae vixisse, et interim ab omnibus officiis clericalibus exclusos fuisse. Cur autem ea communio dicta sit peregrina, intelligi facile poterit, si praenotamus Clericos qui in alienas Dioeceses peregrinabantur sine litteris proprii Episcopi, quibus de eorum fide et moribus constaret, recipiebantur quidem, ac etiam si egerent, de bonis Ecclesiae alebantur, sed ab officiis Clericalibus et a communione precum removebantur. Itaque Clerici ob aliquod delictum in sua Ecclesia ad conditionem peregrinorum reducebantur, quae poena communio peregrina dicta est, in qua manebant donec de crimine admisso poenitentiam egissent.

Et hic INSTITUTIONIBUS JURIS PRIVATI ECCLESIASTICI finem facio, paratus quemcumque errorem, in quem lapsus sim, corrigere.

HOC VERO OPUS

QUALECUMQUE SIT

BEATISSIMAE VIRGINI MARIAE

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAE

D. D. D.

VISTO CONTE HOYOS GENERALE

IMPRIMATUR

FR. THOM. V. AIRALDI O. P. INQ.

VIDIT PRO EXC. AC R. D. DEL. APOST.

ALOISIUS BRUSCHETTI R. P.

ANCONAE DIE XVI. DEC. MDCCCLIV.

CAN. SEBAST. PETRELLI CENSOR EP.

12033 | Re 680-14
9k

348.71
So24
5693
Institutionum
Juris Privati
Ecclesiastici /
J. Soglia

348.71
So24
5693
Institutionum
Juris Privati
Ecclesiastici /
J. Soglia

Graduate Theological Union Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA. 94709